# FORMULÆ MEDICAMENTORUM USITATIORES.

EDITIO ALTERA AUCTIOR.

NEAPOLI

A. MDCCXCI.

# INTRODUCTIO.

QUemadmodum Pathologia indolem, ſedem, & varia morborum accidentia declarat, & artis ſalutaris fundamentum conſtituit; ita materiæ medicæ, nempe doctrinæ, quæ naturam, vim & actionem medicamentorum perſequitur, intelligentia, ægritudinum curationi primario inſeruit. Læſiones vero & perturbationes, quæ in ſana corporis Œconomia eveniunt, non ſemper tamquam vitia pharmacis præcipuiſque auxiliis debellanda ac diſſipanda conſiderari debent; nec affectus omnes remediis curandi, omnique tempore præſidia adverſus morbos ipſos adhibere convenit. Difficile rurſum eſt vires naturæ medicatrices, ſive actiones ſalutares, quæ magnorum remediorum locum tenere debent, a languentis, debilis ac morientis fere facultatis ſignis perfecte diſtinguere; quod quidem ſummopere medicis neceſſarium. Neque raro in eodem morbo modo efficacem curationem inſtituere, modo a quocumque remedio

 abſti-

abſtinere oportet. In ingreſſu, incremento & ſtatu morborum evacuantia, ſtimulantia, compeſcentia, vel ſedativa regulari cauſæ morbificæ ſubactioni, humorum ſeparationi, & neceſſariæ quieti poſt ſaluberrimas perturbationes, omnino opponuntur. Hinc *concocta medicare atque movere oportet, non autem cruda, neque in principiis: in principiis morborum, ſi aliquid videatur movendum move, dummodo materia turgeat; utplurimum vero non turget. Dum morbus viget, melius eſt quietem habere &c.* Dogmata hæc, & alia multa eandem ſpirantia doctrinam, nudis obſervationibus, ſimplici fulgidæque veritati innituntur. Febres vehementiſſimæ, quæ a præternaturali admodum calore, a vehementi arteriarum pulſu, atque a concitato inſigniterque adaucto functionum omnium exercitio deſignantur, impetum ſalutarem internæ, viventis & conſervatricis facultatis, quæ vel totum corpus, nempe maſſam fluidorum, aut circulantium aut qui partibus neceſſario adhærent, vel organa præcipua a peculiari morboſa cauſa affecta liberare nititur, nobis patenter declarant. Medicamenta igitur antifebrilia, quæ ſemper inopportune, ac impune nunquam in principiis admi-

miniſtrantur, calida, & adſtringentia, uti *Cortex Peruvianus*, *Gentianæ omnes*, *Quaſſia* irritationem adaugent, relaxationem prohibent, brevem morbum longiſſimum, criticaſque evacuationes incertiſſimas reddunt. Antifebrilia refrigerantia, nitrata, acida mineralia, copioſius ingeſta, balnea frigida & alia ejusdem indolis, ob virium naturalium imminutionem, beneficam morbi remiſſionem prohibent. Calorem in febribus magni facere, ejus impetum ac potentiam diligenter æſtimare, atque, quod præcipuum eſt, variam caloris ſpeciem ſedulo dignoſcere oportet. Calor etenim inter præſidia naturalia, ſive inter inſtrumenta vitæ ſuſtinendæ, ac ſanitati ſervandæ neceſſaria primarium tenet locum. A quantitate enim & qualitate caloris, cujus particulas ſanguis immediate ab aere atmosphærico mutuatur, opera reſpirationis, vita animalis immediate pendet, quia a calore motus omnes in corpore oriuntur, & calore ſuſtinentur. Ubicumque igitur animalis Œconomia, præternaturalem aliquam mutationem, ſanis functionibus oppoſitam animadvertit, intenſiorem vehementioremque motum adhibet, majorique caloris quantitate a ſolidis fluidiſque

partibus evoluta, causam morbi extra corpus evacuare nititur. Copiosum ac solito majorem calorem sæpe partes quibus includebatur, & humores quibus coercebatur relinquere posse ostendunt non Crawfordiana modo inconcussa experimenta, sed luculentissimæ observationes practicæ alibi adnotandæ. Simplex minimeque suspectus & evolutioni ægritudinis necessarius calor, fere semper cum faciei rubore, linguæ arescentis rubro colore, ac certa carnium intumescentia conjungitur. Pulsus vehemens duram, resistentem, vibrantemque præsefert arteriam; atque respiratio magna est & superior. Hæc profecto inflammatoriæ ægritudinis speciem repræsentant. Præternaturalis in hoc casu calor, minime periculosum exitum portendit. Contra vero dum magna virium prostratione æger afficitur, dum mortali pallore obducitur facies, manus pedesque frigescunt, respiratio parva, brevis & anhelosa deprehenditur; si tunc pulsu parvo debilique existente calor acutus, tangentibus digitis per longum tempus infestus animadvertitur, extinctam fere vitalitatem, immo corruptorium statum adesse, & calorem ab omnibus internis sedibus jam evasisse significat. Quemadmodum

in

in priori casu naturæ vires integræ ſunt, & caloris vehementia morbus facile debellatur, ſic contra in ſecundo deficit motus, & quod reliquum erat caloris ab interioribus ſedibus, una cum vita animalis expellitur. Tunc artis opera fugientem animam, brevique ceſſantem motum, remediis, induſtria, pharmacis, ſi poſſibile erit, revocare opus eſt. Subitam quoque & inſignem caloris evolutionem ſæpe offerunt morbi graviſſimi, in quibus dum primo ſeptenario perfrigeratio lethalis, cum exiliſſimo & capillari pulſu obſervabatur, ſtatim mutatis omnibus calor univerſalis oboritur, æger æſtu exagitatur, arteriæque ampliſſimæ beneficum febrilem motum, fallaciſſimamque ſalutis ſpem nobis oſtendere videntur. Calor hujuſmodi neque remediis coerceri, neque augeri debet, morientis enim facultatis terminum, ac totius latentis caloris diſſipationem oſtendit. Plenum itaque difficultatis negotium eſt temporibus & conditionibus morborum propria & opportuna præſidia aptare; nam erroneæ indicationes, præpoſteræque remediorum adminiſtrationes, ſanitati prorſus & vitæ opponuntur. Hinc primæ medici partes in ægritudinum accurata diligentique diagnoſi ver-

ſantur. Huic tantum ſolido fundamento curatoriæ indicationes innituntur; diagnoſticis ideo doctrinis poſthabitis omnia in empiriſmum vergere neceſſe erit. Pathologus vero perfecta ſignorum doctrina ornatus, & in curatoriis deſignandis indicationibus verſatiſſimus, novas experitur difficultates, ac gravioribus exagitatur curis, dum ſubſtantias medicamentoſas ſibi neceſſarias intuetur, ac remediorum naturam intelligere nititur. Hæc etenim ſcientia cum hiſtoria naturali, naturalique primum philoſophia, dein cum Chemia & Pharmacia arctiſſimo nexu conjungitur. Et ſane niſi prius ſubſtantiæ omnes, quæ inter auxilia adverſus morbos referuntur perfecte innoteſcant, de illarum actione, effectu & activitate in corpore humano judicari non poterit. Neque in hac diſciplinæ parte doctiſſimorum quamvis virorum auctoritati acquieſcendum eſt; neque formulæ ſpecioſiores magiſque complicatæ ſimplicibus anteferendæ ſunt. Prima profecto facie, quemadmodum & Medicus cito efficaciterque morbos debellare cupit, atque perfectam ſanitatem ardenter expetunt ægroti, multa inter se copulata remedia magnopere laudantur, quia ubi gregatim corpus ſubeunt

eunt, juxta propriam activitatem, unaquæque substantia peculiarem adoritur ægritudinem. Sed magna ob miscelam mutatio accidit, magna a digestione ventriculique operatione remediorum decompositio oritur; & quo substantiæ, quæ validiorem actionem exercere creduntur, quia vel stimulantes, vel adstringentes, vel insigniter alterantes sunt, affatim administrantur, eo magis curatio retardatur, & existens jam morbus augetur, vel graviora alia accidentia, ab ipsis tantummodo remediis generantur. Calidissima enim aromata, acerrimi & corrosivi sales, camphora, moschus & similia, febricitantis stomacho inclusa irritantem facultatem exerunt, siccum calorem inducunt, partium vitalitatem destruunt, & corrugatis solidorum fibris, obstructisque tenuioribus canalibus, congestiones sæpe invincibiles generant. Semper ideo simplicissima præsidia, semperque maximo quietis tempore sunt propinanda. Erroneum profecto medicorum principium procul dubio est, dum existimant in magnis, acutissimis nempe & exitialibus morbis, nullo neglecto tempore, immo omni momento immensa remediorum farragine ægri stomachum obrui debere; illo certe

lau-

laudabili consilio, ut nulla interposita mora causæ morbificæ absoluta subactio obtineatur. Votis vero optati effectus nunquam respondere consueverunt; nam fere semper post assiduam medicamentorum ingurgitationem, inexpectato superveniente vomitu, immutata omnia eiiciuntur. In morbis phlogisticis, illis præsertim qui a paludoso aere & locorum argillosorum exhalationibus oriuntur, ob lethalem humorum spissitudinem, ac generalem corporis siderationem, impervia omnia redduntur, nec unquam vel medicamenta vel alimenta a ventriculo in sanguinem perveniunt. Pharmaca tunc non inutilia modo, sed magnopere damnosa erunt. Sed de his satis, nam medicamentorum compositio, ac diligens præsidiorum præparatio ad Pharmaceuticam disciplinam pertinere tantummodo videtur.

Ut opportuna, salutaria ac minime periculosa seligantur medicamenta, oportet ut Medicus artis suppellectilem cognitam habeat. Et quemadmodum præsidia adversus morbos a vegetabilibus, mineralibus & animalibus desumuntur, ideo substantias vegetabiles, nempe plantas, mineralia, scilicet metallica, salina, inflamma-

bi-

bilia, & animalia denique, ut medico perſpecta ſint requiritur. Quamvis vero univerſalem atque abſolutam corporum naturalium intelligentiam comparare impoſſibile prorſus cenſendum ſit; unica enim ſcientiæ naturalis pars totum requirit hominem, & ætatem pene integram; attamen plantarum medicinalium claſſes, formas, œconomiam, componentia, unde præcipua ſingularum activitas oritur, noſſe neceſſarium eſt. Mineralia quoad principia quæ continent, perſpecta ſint oportet, ideoque chemicarum doctrinarum ſcientia, nec adeo ſuperficialis, comparanda. Rurſum quamvis generalis illa Chemia Pharmaceutica, quæ mineralium affinitates, compoſitiones, decompoſitiones & generales declarat effectus, ſatis eſſe videatur, in medicina facienda; verum profundi & inſatiabiles naturæ ſcrutatores, chemiæ philoſophicæ innixi, novas ſemper medicamentorum vires, indole cauſarum morbificarum & humorum corporis humani temperie ac natura inter ſe comparatis, eruere pro virili nituntur. Hoc autem nihil aliud eſt, quam chemiam medicinæ recte accomodare; quod quidem abſurdum a nonnullis exiſtimatur. Multi namque diverſam omnino eſſe me-

dicamentorum qualitatem extra corpus, quam in sedibus internis acriter contendunt. Omnes certe substantiæ in ventriculo mutantur, atque dum ulterius intime nostris miscentur humoribus, novam profecto naturam assumunt. Chemicæ mutationes intra corpus magnopere perturbantur, neque admodum facile erit e. g. alkalinam substantiam animali œconomiæ infestam, acidis propinatis debellare. Sed fundamentales certe qualitates præcipuamque & raro variabilem activitatem multa possident remedia, quæ sagacioribus medicis viam ostendunt, qua artificiosa medicamentorum administratione peculiares effectus & votis respondentes obtinentur. Calces antimonii, quæ pulverem exhibent perfecte dephlogisticatum, & inflammabilis principii avidissimum, in morbis ab excessu phlogisti pendentibus utillimæ evadunt, quia principio inflammabili, vitalitati infesto saturantur, unde corpora phlogisto liberata amissum calorem, ac deperditas nervorum facultates resumunt. Opiata, quæ electricitatem destruunt, ac proinde fluidi nervei quantitatem imminuunt, liberumque influxum prohibent, morbis ab excessu actionum, sive a nimia ir-

ri-

ritabilitate ortis medentur. Acidum nitri ſpecificum fere eſt in hæmorrhagia uterina præſidium, quia in hoc caſu ſanguinis fluxus ab acri phlogiſto ſalino, ſive alkali phlogiſticato ortum ducit. Aer reſpirabilis, juxta varias quas obtinet proprietates, vitalitatem, ſanitatemque aut integram ſervat, tuetur & ſuſtinet, aut infirmat vel penitus evertit. Etenim quemadmodum mephiticus, inflammabilis vel nitroſus aer inſpiratus, momento citius ſuffocationem affert, ſic contra dephlogiſticatus aer reſpirationem perficit; viribus muſcularibus primarium fundamentum ſuppeditat, carnibus colorem, fibris irritabilitatem, ac menti etiam inſignem alacritatem conciliat. Dantur itaque multæ peculiares ſubſtantiæ, quæ abſque ulla mutatione per totum corpus diffunduntur, nec unquam propriam indolem amittunt. Servatur radicis Rubiæ color, aromatum odores urinam, perſpirationem, fœces conſtanter inficiunt, nec in novam naturam vertuntur. Verum omnium curationum fundamentum conſtituunt præſidia illa, quæ merito univerſalia dici debent; atque ab externa corporis ſuperficie ſuſcepta, ab innumeris hiantibus cutaneis oſculis, ad lymphaticorum

rum vasorum systema perveniunt, ac recta integram lymphæ, ac dein sanguinis massam ingrediuntur, & ad glandulas & organorum substantiam perducuntur. Præsidia hæc nulla stomachi & succorum digerentium actione decomponuntur, integrasque vires adversus causas morbificas opponunt. In hac classe reperiuntur balnea diversi generis dulcium, frigidarum, vel mineralium ac thermalium aquarum; frictiones mercuriales, nonnullis tantum, vel multis corporis partibus adhibitæ; balnea vapore minerali cutim calefaciente instituta, & balnea marina. Hisce tantum præsidiis, quibus integra animalis œconomia insigniter profecto mutatur, gravissimi morbi eradicative curantur. Neque silentio præterire ullo modo oportet incomparabilis, solida ac fundamentalis efficacia aeris, in tuenda bona, ac affecta valetudine restituenda. Hoc penetrantissimo, subtilissimo, invisibili pharmaco pulmonibus jugiter immisso, natura utitur tanquam unico vitæ, sive vitalitatis instrumento. Et quemadmodum quo purior est aer atmosphæricus, nempe quo majorem continet aeris dephlogisticati, sive caloris quantitatem, eo majori efficacia vitam sustinet; ideo medici officium

pri,

primarium ſemper erit, puriſſimi aeris reſpirationem ægrotantibus procurare. Hac ratione non chronici modo, ſed acuti etiam ac periculoſiſſimi affectus omnino curantur. Nec aer a pulmonibus tantum ſuſceptus vitam cum calore affert, ſed aeris etiam particulæ integram quoque corporis ſuperficiem, quodammodo afficiunt. Recte ideo recentiores Chemici novam methodum, qua dephlogiſticato, nempe valde reſpirabili aere, ægrotantium cubilia replentur, cum generali emolumento excogitarunt. Chemiæ cultoribus debetur diffuſio ſaluberrima effluviorum nitri, quibus aeris admodum noxii dephlogiſticatio deletur. Hujuſmodi ſcientia edoctus ſpiritum vitrioli ac nitri dulcem, nunquam acido vitriolico aut nitroſo ſimpliciter attenuatis anteferri debere conſtitui, in morbis vel mere phlogiſticis vel corruptoriis. Acidum enim cum ſpiritu vini conjunctum certa ſaturatione, decomponitur & ſulphuris volatilis ſpeciem componit; ideoque nova principii inflammabilis copia ſaturari non poteſt. Rurſus acidi vitriolici ſimplicis activitas integra ſervatur, atque ſi multa tepidiuſcula aqua attenuatur, dum totum facile pervadit corpus, cum particulis phlo-

gi-

gisticis celeriter combinatur; atque hac ratione causæ morbificæ vires valde imminuit. In corruptoriis ac dissolutoriis morbis, quorum causa acerrimo ac salino phlogisto procul dubio tribuenda est, acidum vitrioli, ubi cum volatili phlogisto conjungitur, corruptionem arcet. Hæc atque alia multa magni momenti emolumenta Chemiæ intelligentia nobis offert. Qui vero simpliciter medicamentis componendis, miscendisque incumbunt, penitioris Chemiæ solidam notitiam sibi comparare debent, ut non solum, quæ a medicis præscribuntur recte parari possint, verum etiam ut multi medicorum magis imperitorum errores in dosibus, mixturis, sive combinationibus medicamentorum emendari possint.

In historia igitur formularum concinnanda, atque in operis fundamentalis constitutione, regulas doctrinasque chemicas primarias breviter exposuimus, *ex Pharmacopœja medici* exscriptas, adjectis nonnullis tantum necessariis observationibus, juxta recentissimorum scriptorum doctrinas, ut opus magis absolutum evaderet. Formulas præstantiores, sive in morbis efficaciores, non Londinenses modo Pharmacopœjæ, sed Parien-

rienſes, Germanicæ, Italæque ſuppeditarunt. Neque inter reliquos hujus argumenti ſcriptores infimum certe locum tenet Thomas Donzellus Neapolitanus, qui *Theatrum Pharmaceuticum*, ſummo ſtudio, quantum tunc ferebant tempora, concinnavit. Hinc falſum omnino eſt, quod multi contendunt, Neapolitanam medicorum ſcholam peculiari medicamentorum codice carere. Vires remediorum rarius auctoritati, ſæpiſſime vero obſervationibus practicis innixi, determinare conati ſumus. Non raro medici aliena, non autem propria proponunt, atque auctoritati non experimentis inhærent. Experimenta vero nobis ſuppeditarunt Diaria Clinica, ſive hiſtoriæ morborum juxta ægrotantium lectulos ſumma diligentia, & quotidie conſcriptæ. Præſtantiora ideo remedia, nempe a peculiari effectu cognita nobis atque perſpecta, commendavimus, cætera vel prorſus inutilia, vel aliqua ſaltem ex parte damnoſa reiicienda cenſuimus. In compoſitorum remediorum præparatione ſemper, quæ doctiores in arte viri excogitarunt, in medium attulimus. Doſes practicis experimentis edocti determinavimus; plerumque enim efficaciſſima præſidia parcius pro-

pinata nullum prorſus effectum gignunt, & interdum morbus cum ægroti damno augetur. Contra nimiæ doſes, magnum ſæpe periculum afferre ſolent. Nominibus objectorum materiæ medicæ in priori editione tantummodo appoſitis, brevem ſingularum ſubſtantiarum notitiam adiiciendam curavimus; ut corporum naturalium, & medicamentorum ſimplicium indoles unico intuitu innoteſceret. Difficillimum opus ad umbilicum perduxiſſe non gloriabimur, ſed rei ipſius perficiendæ difficultas, tenuiori ingenio vires adjunxit, ut quod abſolvi non poterat attamen feliciter inchoaretur.

Pro publico bono, & pro peculiari hominum emolumento rem ſane arduam aggreſſus ſum, hinc nihil mihi ab acerrima cenſuræ ſeveritate pertimeſcendum ſupererat; omnes enim improborum contumelias, & abjectas invidorum calumnias alacriter ſemper ſuſtinui. Formulas medicamentorum poſt Donzellum primus in Patria evulgavi. Uſum externum ſublimati corroſivi in Lue venerea, primus propoſui. Veram pro pellium præſervatione inſtituenda theoriam in lucem eduxi. Morborum diagnoſim & deſcriptionem a natura ipſa mutuatam illuſtrare conatus ſum in *No-*

*ſologia*

*sologia methodica*. Immortalis Linnæi *Philosophiam Botanicam* proprio commentario ornavi, & *Materiam Medicam* vegetabilem Fundamentis Botanicis adjunxi. Floræ Neapolitanæ in *Fasciculis plantarum rariorum*, & *Entomologiæ* in speciminibus propriis manum admonere ausus sum. Errores proprios aliis emendandos relinquam, nullo tamen disputandi ardore abreptus sum; imperitos vero rogo atque obtestor, ut *desinant maledicere; malefacta ne noscant sua*.

# PONDERA ET MENSURÆ.

APud nostrates in usu sunt duo ponderum genera, unum quo aurum & argentum veneunt, alterum quo ceteræ fere merces. Horum libræ diverso modo dividuntur. Illius enim libra duodecim tantum uncias habet, hujus vero sedecim. Pondera quoque differunt tum libræ, tum unciæ; libra aurifabrorum minor est altera, uncia major.

Nos libra aurifabrorum utimur, quam tamen non ut isti Opifices, sed in hunc modum dividimus.

| | | |
|---|---|---|
| Libra | habet | uncias duodecim |
| Uncia | habet | drachmas decem. |
| Drachma | habet | scrupulos tres. |
| Scrupulus | habet | grana viginti. |

MENSURÆ Liquidorum etiam apud nostrates dispares sunt; aliis metiuntur Cerevisiam (*Birra*) aliis vinum; posteriorem nos adhibemus & eam vocamus libram.

Hanc libram hac ratione dividimus.

| | | |
|---|---|---|
| Libra | habet | uncias sedecim. |
| Uncia | habet | drachmas octo. |

Congius habet libras octo.

Cochleare denotat mensuram unciæ dimidiæ. Atque hæc sunt pondera & mensuræ apud Anglos.

Nos in Praxi Neapolitana libra utimur duodecim semper unciarum; ac uncias in decem semper drachmas dividimus, in pondere aut mensura.

## PONDERA EX DONZELLO.

G*Ranum* dicitur pondus minimum, grano frumenti, quoad pondus, æquale. Hinc apud nos dicitur *Acino*, quod idem est ac granum frumenti.

Multæ in ponderibus diversitates occurrunt, ac multæ ponderum denominationes in libris reperiuntur, ex. gr. *Chalcos* vel *æreolum* constituit grana duo.

*Siliqua* vel *Ceration* , Arabum *Kirat*, grana quatuor.

*Dav ik* Arabum, grana octo.

*Obulus*, grana XII.

*Scrupulus*, vel *sciruptulus* grana XXIV.

*Denarius* octava pars unciæ Romanæ.

*Drachma* ( *dramma* ) est octava pars unciæ Græcorum, levior *Denario*; continet grana sexaginta, sive *Scrupulos* tres vulgares.

*Drachma* Romanorum grana LXXII.

*Sextula*, sexta pars unciæ.

*Esagium*, scrupuli quatuor.

*Aureus*, sesquidrachma.

*Solidum*, idem ac *Aureus*.

*Sicilicus* drachmæ duo.

*Duela* scrupuli octo, sive sextulæ duo.

*Loton* pondus unciæ dimidiæ, a Germanis usitatum.

*Uncia* ( *oncia* ) duodecima pars libræ. Juxta Romanos continet drachmas octo, nempe scrupulos XXIV. vel grana 576. Et quamvis uncia Neapolitanorum sit granorum 600, attamen levior est; quod quidem evenire existimo, ob majus pondus grani Romani. Uncia Salernitanorum, juxta Saladinum est drachmarum novem. *Uncia* ita dicitur quia in unum colligit reliqua pondera.

*Sextans* unc. II, sive sexta pars libræ.

*Quadrans* unc. III, quarta pars libræ.

*Triens* unc. IV, tertia pars libræ.

*Quincunx* unciæ quinque.

*Semis* unciæ VI, libræ dimidium.

*Septunx* unc. VII.

*Octunx* vel *Bes* unc. VIII.

*Dodrans* unc. IX.

*Dextans* unc. X.

*Deuns* unc. XI.

*Libra* seu *Pondus*, & *As* aut *Assis* unciæ duodecim Libræ Romanæ medicinalis. Dicitur *libra* quasi *libera*, quia in unum colligit pondera omnia minora. *Libra* dicitur potius a *librando*, quia librando corporum pondera diversa determinantur.

*Libra* qua mercatores utuntur varia est.

*Me-*

*Mediolanensis* habet uncias XXIV.
*Parisiensis* uncias XVI.
*Lugdunensis* uncias XV.
*Hispana* unc. XIV.
*Aurifabrorum* uncias XIII.
*Sesquilibra* eſt libra una & semis.
*Sesquiuncia* uncia una & semis.
*Faba Alexandrina* idem eſt ac Sesquiuncia.
*Sesquidrachma* drachma una & semis.
*Faba Ægyptiaca Obulus* juxta Galenum.
*Victoriatus* denarium semis, ab aliis gr. 72 cum septima parte.

*Mina* apud Athenienses, ante Solonem drach. 75, poſt Solonem 100, appellatur a nonnullis *Mina* Græca.
*Mina* Alexandrina drach. 160.
*Mina* Italica, vel Ptolomei unc. 18.
*Talentum* Atticum, minæ 60.
*Talentum Magnum*, minæ 80.
*Ramich*, Kirat sex.
*Sacratin* aureum unum & semis.
*Ceration* Obulum semis, nempe grana 6.
*Chema* & *Olca*, octava unciæ pars.
*Themen* idem ac chema.
*Status*, uncia semis.
*Dipondium*, libræ duo.

## MENSURÆ EX DONZELLO.

MEnsuras medicinales magis apud nos usitatas, & quæ Romanæ dicuntur, præcipuo ordine dispositas, & auctoritatibus scriptorum innixas explicare conabimur.

*Gutta* vel Guttula ( *goccia* ) eleganter definitur: *Gutta eſt lacrymæ calidæ ab oculo decidentis quantitas.*
*Cochleare* (*cucchiajo*) eſt pondus scrupulorum decem.
*Cyathus* drach. 13 vel obul. 12.
*Acetabulum* Cyathum unum & semis.
*Hemina* Cyathi sex, vel unciæ 10.
*Sextarius* vel *Kiſtar* unc. 20, vel 18.
*Congius* libræ 10.

 *Urna*

*Urna* sextarii 24 nempe lib. 40.

*Amphora* lib. 80.

*Culeus* Amphoræ 20.

*Manipulus* eſt quantum cum integra manu comprehendi poteſt, quod apud nos dicitur *una Brancata.*

*Fasciculus* apud Galenum ( lib. 8 de composit. pharmac. cap. ult. ) definitur : *Fasciculus Rutæ eſt quantum duobus digitis apprehendi poteſt.*

*Pugillus*, qui uti placet Aetio: *eſt quod pugno, seu compressis digitis capi poteſt*, melius, mea quidem sententia definitur a Barchausen, nempe: *eſt quantum adductis trium digitorum apicibus attollitur*; nempe quod extremitatibus trium digitorum comprehenditur.

Hæc quæ a Cl. Donzello Neapolitano erudite admodum circa *Pondera* & *Mensuras* adnotantur, adjunxi; quia in librorum medicinalium lectione non mediocrem utilitatem afferunt.

In Dispensatorio suo Universali hæc de Ponderibus & Mensuris habet D. Reuss: *Pondus universale adnotavi in quibusvis Europæ regionibus receptum, & ad libram quidem medicam numeravi uncias* 12. *ad unciam* 1, *drachmas* 8, *ad drachmam* 1, *scrupulos* 3, *ad scrupulum* 1, *grana* 20. *Drachma ponderis civilis respondet drachmæ unæ medicæ, & granis paulo minus decem; reliqua cæterum pondera medica retinui.*

# MATERIA MEDICA.

INdicem tantummodo objectorum, sive nomina Plantarum, Mineralium & Animalium, Formulis Medicamentorum, in superiori editione apposuimus. Scriptores Pharmaceutici, & Compilatores Formularum Ordine Alphabetico de simplicium substantiarum extrinsecis characteribus, atque essentialibus qualitatibus disseruerunt. Scientiam itaque nullo modo constituerunt; desunt enim doctrinæ fundamentales, desunt canones qui inconcussam stabilemque veritatem ostendunt. Immortalis tantum Linnæus, qui naturæ penetralia solus intravit, novam prorsus materiæ medicæ comparandæ viam proposuit, & titulis facultatum & effectuum, nomina substantiarum pharmaceuticarum adjunxit, ut unico intuitu vires medicamentorum innotescerent. Rudimenta hujus systematis, quæ occurrunt in auctoris *Clavi universæ medicinæ*, in hoc tractatu materiæ medicæ, locum satis opportunum occupant. Brevissima Linnæana dogmata, brevissimis itidem observationibus, & aliquando novis inventis locupletare conati sumus. Vires plantarum leviter attigimus; secunda enim pars Fundamentorum Botanicorum, integram materiæ medicæ vegetabilis tractationem complectitur.

## NATURA

Secundum QUALITATES sensuum SAPIDAS seligit.

*Vires Diæteticas & Medicas.*

### SAPORES.

| | | |
|---|---|---|
| *Liquidi*; | his oppositi sunt | *Arentes* |
| Aquosi | . . . . . . . . . . . . . | Sicci. |
| Acidi | . . . . . . . . . . . . . | Amari. |

Pin.

Pingues . . . . . . . . . . . . Stiptici.
Dulces . . . . . . . . . . . . Acres.
Mucosi . . . . . . . . . . . . Salsi.

Substantiæ sapidæ & liquidæ sunt primo simpliciter aquosæ; si deficit aqua nascitur arescentia & siccitas. Liquoribus acidis opponuntur amari, Pinguibus stiptici, Dulcibus acres, Mucosis salsi. Generales doctrinæ sequentibus & peculiaribus exemplis illustrantur.

| | | *Fluida.* | *Solida.* | |
|---|---|---|---|---|
| I. | AQUOSA | Diluentia, | Humectantia | |
| | | Absorbentia, | Exsiccantia. | SICCA. VI. |
| III. | ACIDA | Refrigerantia, | Attenuantia, | |
| | | Balsamica, | Tonica. | AMARA. IV. |
| V. | PINGUIA | Obtundentia, | Emollientia, | |
| | | Inspissantia, | Adstringentia. | STIPTICA. VI. |
| VII. | DULCIA | Edulcorantia, | Incrassantia, | |
| | | Incidentia, | Corrodentia. | ACRIA. VIII. |
| IX. | MUCOSA | Inviscantia, | Lubricantia, | |
| | | Penetrantia, | Abstergentia. | SALSA. X. |

VIRES.

AQUOSA *Aqua* . . . . . . . . . . . . *Farina* SICCA.
ACIDA *Acetum* . . . . . . . . . . . . *Fel* AMARA.
PINGUIA *Oleum* . . . . . . . . . . . *Galla* STIPTICA.
DULCIA *Saccharum* . . . . . . . . . *Capsicum* ACRIA.
MUCOSA *Mucilago* . . . . . . . . . . *Sal* SALSA.

Theoriæ qualitatum, quæ a sapore nascuntur facile intelligi poterunt si in primo numero legatur *Aquosa diluunt*, nempe attenuant fluida, quæ aquosis commixta tenuiora evadunt, humectant vero solida. Sicca contra quæ aquosis opposita sunt absorbent fluida, & exsiccant solida. Acida sunt refrigerantia, & attenuantia; amara sunt Balsamica & Tonica; acida enim attenuant particulas phlogisticas, quæ densitatem communicant. Amara quæ eodem principio abundant sunt balsamica & tonica, inspissant siquidem & duritiem conciliant. Substantiis pinguibus, quæ obtundentes & emollientes sunt opponuntur stipticæ, quæ inspissantes
&

& adstringentes sunt. Idem de reliquis dicendum, atque hac ratione de viribus medicamentorum judicare oportet. In articulo sexto Tabulam Therapiæ, materiæ medicæ valde necessariam exhibet Linnæus.

## VI. THERAPIA.

Diætetici *excessus* generant Pathologica *Vitia* Indicantia, occurrenda Naturæ *Qualitatibus*, exerentibus *vires*, unde *usus* practicus.

DIÆTETICA Vitia emendantur Naturæ

### QUALITATIBUS

| | | FLUIDA. | SOLIDA. | |
|---|---|---|---|---|
| I. | EXCRETA | Densa, | Tonica. | |
| | | *Diluunt*, | *Humectant*. | AQUOSA I. |
| II. | RETENTA | Tenuia, | Humida, | |
| | | *Absorbent*, | *Exsiccant*. | SICCA II. |
| III. | MOTIO | Phlogistica, | Tenacia, | |
| | | *Refrigerant*, | *Attenuant*. | ACIDA III. |
| IV. | QUIES | Acidula, | Tenera, | |
| | | *Balsamant*, | *Tonicant*. | AMARA IV. |
| V. | VIGILIÆ | Acria, | Macra, | |
| | | *Obtundunt*, | *Emolliunt*. | PINGUIA V. |
| VI. | SOMNUS | Oleosa, | Pinguia, | |
| | | *Inspissant*, | *Adstringunt*. | STIPTICA VI. |
| VII. | FAMES | Pauperata, | Gracilia, | |
| | | *Edulcorant*, | *Incrassant*. | DULCIA VII. |
| VIII. | CIBUS | Plethorica, | Turgida, | |
| | | *Incidunt*, | *Corrodunt*. | ACRIA VIII. |
| IX. | FRIGUS | Muriatica, | Rigida, | |
| | | *Inviscant*, | *Lubricant*. | MUCOSA IX. |
| X. | CALOR | Glutinosa, | Fluxa, | |
| | | *Penetrant*, | *Abstergunt*. | SALSA X. |

Legatur ex. gr. *Fluida densa* diluunt aquosa; Phlogistica tenacia *refrigerant* Acida; solida humida *exsiccant* sicca... Ob motum nimirum fluida phlogistica, & solida tenacia evadunt. Vitium phlogisticum humorum ab

ab aquosi principii dissipatione ortum; refrigerando & tenacitatem solidorum attenuando, emendant Acida.

Quies quæ humores acidulos, & solida tenera nempe gracilia & debilia reddit, intemperiem gignit. Hæc corrigitur Amaris, quæ balsamant fluida acidula, & tonicant, nempe roborant solida tenera.

In Vigilia diuturna fluida acria fiunt, solida macie afficiuntur. Hoc in casu adhibenda sunt remedia Pinguia, quæ acres particulas obtundunt, ut quæ sicca & arida sunt ob maciem, emolliantur.

Olei & pinguedinis superabundantia, quæ a nimio somno in humoribus morbose colligitur, inspissatione flipticis procurata, emendatur.

Fames diu tolerata depauperat humores; & solidorum gracilitatem gignit. Hoc vitium tollitur Dulcibus subſtantiis, quæ edulcorant & incrassant.

Cibus nimius Plethoram, nempe redundantiam fluidorum, & turgescentiam solidorum efficit. In hoc casu Acria præsidia incidendo, scilicet attenuando fluida, & corrodendo solida, utilitatem afferunt. Frigus indolem muriaticam nempe salinam humoribus & rigiditatem solidis conciliat. Huic causæ opponuntur Mucosa, quæ inviscant fluida muriatica & lubricant, nempe emolliunt rigiditatem solidorum. Calor denique fluida reddit glutinosa, & solida fluxa. Salsa glutini opponuntur, & solidorum degenerationem prohibent. Ut doctrinarum modo propositarum intelligentia facilior reddatur, classes medicamentorum propriis definitionibus illuſtratæ juxta Linnæum adiiciendæ sunt, & primo

I. AQUOSA. opposita. II. SICCA.

| *Liquores.* | *Capillares Herbæ.* |
| --- | --- |
| 1. Aqua. | 1. Filix mas. |
| Cerevisia. | Ceterach. |
| Juscula. | Scolopendrum. |
| Succi expressi. | Trichomanes. |
| | Ruta muraria. |
| | Capillus veneris. |

Ra-

*Radices aquosæ.*

2. Rapæ.
Brassicæ.
Paſtinacæ.
Dauci.
Betæ.
Rapunculi.
Sisari.
Tragopogonis.

*Turiones aquosi.*

3. Asparagi.
Cardunculi.
Cichorii.

*Olera.*

4. Portulaca.
Lactuca.
Spinachia.
Atriplex.
Taraxacum.

*Fructus horæi.*

5. *Anguria* *
Melo.
Pepo.
Chamæmora *
Fraga.
Cerasa.
*Pruna alba.*
*Persica.*
*Armeniaca.*

*Ligna sicca.*

2. Sanctum.
Guajacum.
Sassafras.
Juniperi.
Cupressi
Lentisci.
Capparidis.
Dulcamaræ.

*Radices siccæ.*

3. Sarsæparillæ.
Chinæ.
Potatos.

*Semina farinosa siccata.*

4. Pisa.
Fabæ.
Phaseoli.
Eruum.
Lens.
Cicer.

*Præparata.*

5. Calcarea omnia.
Martialia.
Panis biscoctus.
Coffea.

Aquosa *Vegetabilia*, *non sunt exsiccanda*. Exsiccatione aquam amittunt, neque diluentia aut humectantia evadunt.

Diluentia, *Mundificantia vulgo dicta*, ob aquam quam continent præternaturales ſubſtantias sanis humoribus immixtas attenuant, & evacuant, unde merito *mundificantia* dicuntur.

Humectantia, *Obſtructiones tollentia, debilitantia.* Aquosa conſtanter partibus applicata humectant, & diu-

diuturna aquæ actione humorum tenacitatem, nempe obstructionum causam tollunt. Attamen aquosa per longum tempus usurpata solidorum debilitatem gignunt.

Prosunt *Hæmorrhoidibus, infarctibus viscerum, Polypis.*

Nocent *Œdemati*, *Hydropi*. Aquosa, diluentia & humectantia prosunt hæmorrhoidibus, cum quibus semper infarctus viscerum conjunguntur. Polyposæ concretiones sanguinis spissitudinem indicantes, aquosis dissipantur. Nocent aquosa Œdematosis & Hydropicis, quia colluviem serosam adaugent.

Absorbentia, *Flatulenta* 4.

Exsiccantia, Roborantia sunt. Fibræ enim rigiditas robur solidis addit.

Prosunt *plethoræ*, *Rachitidi*.

Nocent *marasmo*. Plethorici & rachitici humido abundant, exsiccantia ideo quod supereft aquosi in marasmo, cum maximo damno absumunt.

III. ACIDA. opposita. IV. AMARA.

| III. ACIDA. | IV. AMARA. |
|---|---|
| *Liquores.* | *Fella Animalium.* |
| 1. Acetum. | 1. Ursi. |
| Vinum. | Tauri. |
| Cereuisia. | |
| *Cedra.* | |
| *Præparata.* | *Succi.* |
| 2. Tartarus. | 2. Aloe. |
| Sal Acetosellæ. | Myrrha. |
| *Fructus acidi.* | *Fructus.* |
| 3. Citrus. | 3. Colocynthis. |
| Berberis. | Ignatii. |
| Oxycoccus. | Vomica. |
| Vitis idæa. | |
| Ribes. | |
| Rubus. | |
| Morus. | |
| Tamarindus. | |
| Mala acida. | |

*Her-*

*Herbæ.*

4. Acetosa.
Acetosella.
Sempervivum.

*Radices.*

5. Senega.

*Radices caudicesue.*

4. *Quassia.*
Aloes lign.
China.
Pareira.
Ophiorrhiza.
Gentiana.
Dictamnus.
Coris.

*Herbæ.*

5. Fumaria.
Centaurium.
Gentianella.
Chamædrys.
Scordium.
Hyssopus.
Trifol. aquat.
Card. Bened.
Tanacetum.
Santolina.
Cinæ *sem.*
Artemisia.
Absinthium.
Abrotanum.
Chamomill. *Flor.*

*Acida* refrigerant *resolvendo cruorem.*

Attenuant *fibras, teneriores sive vietiores reddendo, ut in carne aceto condita.*

Refrigerantia *resolvendo sanguinem.*

Attenuantia *Crassa, debilitantia. Stomachica æstiva, venerea.*

Acida Vegetabilia hoc in loco adnotata ideo prosunt, quia aqua diluta principio inflammabili saturantur, & spissitudinem sanguinis emendant.

Acida mineralia concentrata sanguinem spissiorem reddunt. Hinc semper multa aqua sunt diluenda.

Sunt ſtomachica æſtiva, quia putredini opponuntur.

Prosunt *Putridis, Phlogiſticis, Polysarcbiæ.*

Nocent Criticis, Cachexiæ, Chlorosi, Leucorrhææ, Hydropi, Melancholiæ, Hyſteriæ, Hypochondria-

driasi, Arthritidi, Calculo.

Damna in adnotatis casibus semper oriuntur ab acidorum concentratorum abusu, a quo periculosæ humorum spissitudines, obstructiones glandularum & colluvies serosæ.

*Amara sunt Balsamica cum resistunt & acescentiæ & putredini.*

Balsamica *Antiputredinosa, antivenerea.*

Tonica *Emaciantia, rigefacientia.*

Prosunt *Acidis, & ubi acida nocent, imprimis Criticis, Arthriticis, Calculosis, Cachecticis.*

Nocent *oculis, nutritioni, Veneri.*

Tonica prosunt Criticis, nam vires naturales in Criticis evacuationibus absolvendis sustinent. Debilitatem ab acidis genitam tollunt, & Cachecticorum languorem firmant.

## V. PINGUIA. opposita VI. STIPTICA.

| V. PINGUIA. | VI. STIPTICA. |
|---|---|
| *Olea expressa.* | *Coriaria.* |
| 1. Olivarum. | 1. Rhus. |
| Amygdalor. | Quercus. |
| Rapæ. | Acacia. |
| *Sesami.* | Balaustia. |
| | Uva Ursi. |
| | Tamarix. |
| | Ruscus. |
| *Animalium succi.* | *Selecta.* |
| 2. Medullæ. | 2. Fung. melit. |
| Butyrum. | Hypocistis. |
| Cremor lactis. | Acaciæ succ. |
| Sperma ceti. | Sanguin. drac. |
| Vitellus. | Catechu. |
| | Gallæ. |
| | Bovista. |
| *Resinæ.* | *Radices.* |
| 3. Balsami. | 3. Rhodiæ. |
| Copaiba. | Bistortæ. |
| Tolu. | Tormentillæ. |
| Opobalsamum. | Caryophyllatæ. |
| Peruvian. Bals. | Pimpinell. *ital.* |

Tere-

Terebinthina.
Gummi-Resinæ *partim*.

*Semina*.

4. Lini.

Rubiæ.

*Fructus*.

4. Olivæ condit.
Myristica.
Granatum.
Cydonia.
Mespila.

Semina exprimuntur in *Oleum*, hoc exsiccatur in *Resinam*. Semina eadem cum aqua contunduntur in *Emulsionem*; hæc exsiccatur in *Gummi*; hoc aqua solutum fit *Gluten* viscidum. Animalia rediguntur in *Gelatinam*, hæc exsiccata fit *Glutinum*; hoc aqua solutum fit *Gluten* viscidum. Utrunque Gluten alit; superfluum in textu celluloso deponitur in *Pinguedinem*.

*Prosunt* Fluxibus evacuatoriis, Diarrhææ, Hæmorrhagiis, Hypochondriasi, Anorexiæ, Herniæ, Polysarchiæ.

*Obtundentia* acrium, Biliosa, nutrientia, sero transpirantia. Pinguibus & oleosis perspiratio imminuitur, unde Polysarchia.

*Emollientia*. Expectorantia.

*Prosunt* Excoriatis: Colicæ, Dysenteriæ, Anginæ, Visui.

*Nocent* Criticis, Febribus, Erysipelati, Hysteriæ, Herniæ, Dentibus.

*Inspissantia* Humorum; cum Vitriolo ferri nigricantia.

*Adstringentia*. Depsantia, Coriaria, Obstipantia.

*Nocent* Obstructionibus, Obstipationibus, crystallisationibus calculi, Arthriticis.

Stiptica humores inspissant & substantias ferro saturatas nigras reddunt. Depsantia, nempe stomachica sunt, quia roborantia. Coriis spissitudinem conciliant; substantiam incorruptam servant. Ob vim adstringentem alvi stipticitatem gignunt, ideoque noxia sunt in obstructionibus, obstipationibus.

*Nocent* Criticis, Febribus, Erysipelati, Hysteriæ, Herniæ, Dentibus.

VII. DULCIA. Opposita VIII. ACRIA.

**VII. DULCIA.**

*Lacticinia recentia.*

1. Lac dulce.
   Emulsiones.

*Parata.*

2. Saccharum.
   Syrupi.
   Conservæ.
   Condita.
   Confection.
   Mel.

*Radices.*

3. Liquiritiæ.
   Polypodii.

*Pericarpia.*

4. Caricæ.
   Dactyli.
   Jujubæ.
   Siliqua dul.
   Cassia ult.

**VIII. ACRIA.**

*Septica.*

1. Euphorbia.
   Coccognidium.
   Capsicum.
   Cataputia.
   Arum.
   Pyrethrum.
   Plumbago.
   *Selinum* V.
   Cicuta.
   *Œnanthe*.
   Sedum.
   Parietaria.
   Ranunculus.
   Pulsatilla.

*Antiscorbuticæ.*

2. Sinapis.
   Armoracia.
   Nasturt. V.
   Raphanus.
   *Tropæolum*.

*Bulbi.*

3. Allium.
   Porrum.
   Cepa.
   Scilla.

*Aromatica omnia.* nu. XVIII.

4. *Imprimis* 1, 2, 3, 4, 5.

*Nuclei.*
5. Cacao.
Amygdala.
Pini.
Pistaciæ.
*Cerealia dulcia mucosa.*
6. *Ex his parata.*

Dulcia nutriunt, si simul mucosa sive pinguia.
*Edulcorantia* Acrium Acidorumque. Expectorantia.
*Incrassantia* nutriendo, relaxando. Vulneraria.
*Prosunt* Tussi, Cachoëti, Senio.
*Nocent* Laxis, Erysipelati, Exanthematicis, Hysteriæ, Odontalgiæ.

*Hydragoga.*
5. Iris.
Aristolochia.
Serpentaria.

Resinæ pleræque & Olea rancida sunt Acria.
Acria sunt diuretica, exceptis Aromaticis.
*Incidentia* Viscidi.
Corrodentia, Rubefacientia, Vesicantia.
Excoriantia, Stimulantia, Pellentia.
*Prosunt* Frigidis, Soporosis, Sterilibus, Hydropi, Astmhati, Scorbuto.
Nocent Phlogisticis.
OBS. Acria non semper hydropicis prosunt. Nocent in morbo confirmato; præsertim si ob acrimoniam humorum lingua valde rubra est, & ulcera in cruribus apparent.

IX. MUCOSA. Opposita. X. SALSA.

*Animalia.*
1. Albumen.
Cor. Cer. gelat.
*Semina.*
2. Ocymi.
Cumini.
Psyllii.
Cydonii.
Fœni græc.

*Aquæ.*
1. Acidulæ.
Aqua marina.
*Præparata.*
2. Sal Culinaris.
Pisces salsi.
Haleces.

*Cortices.*

3. Visci.
Myxæ.
Filicis.

*Gummata.*

4. Arabicum.
Cerasi.
Tragacanthæ.

*Radices.*

5. Symphyti.
Pulmonar. mac.

*Herbæ.*

6. Malvæ.
Altheæ.
Alceæ.
Meliloti.

*Fructus.*

7. Caricæ.
Jujubæ.

*Plantæ.*

3. Salicornia.

*Salsola.*
*Chenopod. mar.*
*Mesembr. neap.*
*Reaumuria.*
} Salicorniæ ob saporem affines.

*Mucosorum qualitates.*

Mucosa sunt principium solidi in corpore.

Mucosum destruitur a frigore, ut in glutine ex Amylo.

*Inviscantia* acrium, nutrientia.

*Lubricantia* strictorum.

*Prosunt* Doloribus, Torminibus, Spasmis, Colicæ, Calculo, Stranguriæ, Obstipatis, Parturientibus, Raucedini, Tussi, Hæmoptysi.

*Salinorum qualitates.*

Salia urinam excernendo, ipsa diuretica sunt. *Stimulando secretiones accelerant, roborant solida.*

*Penetrantia* destruendo sanguinem, Diuretica, Aphrodisiaca.

*Abstergentia*, Rigefacientia, Exulcerantia, Stomachica.

*Prosunt* Soporosis, Anorexiæ.

*Nocent* Scorbuto, Febribus, Ulceribus.

*Nocent* Soporosis, Anorexiæ.

XI. AMBROSIACA. Opposita. XII. HIRCOSA.

*Animalia specifica.*
1. Ambra.
Moschus.
Zibethum.

*Orchideæ.*
2. Vanilla.
Orchis.

*Moschatæ.*
3. Abelmosch.
Matrisylva.
*Holcus odor.*
*Milium sylv.*
*Lathyrus odor.*
*Hyacinthus mosc.*
*Malva mosc.*
*Allium mosc.*
*Balsama pleraque.*

*Hircina.*
1. Geranium robertian.
*Hypericum hircinum.*
*Satyrium hircinum.*
Pimpinell. noſtr. *rad.*

*Urinaria.*
2. Vulvaria.
Linaria.

*Felina.*
3. Serpentaria.
Valeriana *rad.*
Nepeta.
Mentha.

4. Sabina.
Ruta.

*Ambrosiacorum qualitates.*

Ambrosiacus odor plerumque invisus hyſtericis. Fortasse hyſtericæ mulieres odoribus perturbantur, quia ambrosiaca ſtatum debilitatis augent. Semper ab ambrosiacis animi deliquium gignitur. Qui hisce odoribus delectantur, morbo aliquo affecti magnopere ab iisdem ambrosiacis perturbantur: morbosa debilitate supera-

*Hircosorum qualitates.*

*Hircosa* compescunt Hyſteriam, quam irritant ambrosiaca 3. Certe Mentha & Ruta ſterilitantes sunt, sed odore mixto.

*Rancida* ad hanc classem pertinere videntur.



ta

ta odores nullum afferunt dammum.

*Præservant* a Contagiis, Acaris.

| XIII. FRAGRANTIA | Opposita. | XIV. NIDOROSA. |
|---|---|---|
| *Flores.* | | *Amara.* |
| 1. Citri. | | 1. Humulus. |
| Aurantiorum. | | Myrtus brabant. |
| Tiliæ. | | Rosmarinus sylv. |
| Cheiri. | | Vitex. |
| *Nerii.* | | |
| *Polianthes.* | | |
| Jasmini. | | |
| Lilii. | | |
| Violæ. | | |
| Nympheæ. | | |
| Fabæ. | | |
| Galii. | | |
| Primulæ *Rad.* Fl. | | |
| *Flores tristes nocturni.* | | *Halituosa.* |
| 2. *Hesperis tristis.* | | 2. Abrotanum. |
| *Cheiranthus tristis.* | | Absinthium. |
| *fruticosus.* | | Tanacetum. |
| *Cestrium nocturnum.* | | Màtricaria. |
| *Crucianella marit.* | | Hyssopus. |
| *Reseda Ægypt.* | | Betonica. |
| *Chomelia.* | | |
| *Rosea.* | | *Dulcescentia.* |
| 3. Jolhithus. | | 3. Botrys. |
| Tunicæ *Flor.* | | Cyperi *sem.* |
| Rosæ *Flor.* | | |
| Rhodiæ *Rad.* | | |
| Rhodii *Lig.* | | |
| Santali *Lig.* | | |
| Sassafras *Lig.* | | |
| *Subaromaticæ.* | | *Ustulata.* |
| 4. Crocus. 3j. | | 4. Foci. |
| Myristica. | | Coffea. |

*Per-*

*Permanentia.*
5. Iris florent. *Rad.*
Caryophyllat. *Rad.*
Spica celt. *Rad.*
Melilotus *Herb.*
Fœn græc. *Sem.*

Fragrantia extrahuntur optime oleis expressis.

*Ferinæ carnes.*
5. Cervi.

Nidorosa pleraque sunt amara.

Copiosius assumta inebriant cum Cephalalgia.

*Nocent* Oculis, Veneri.

XV. SPIRANTIA. Opposita XVI. TETRA.

*Verticillatæ.*
1. Marum.
Thymus.
Satureja.
Rosmarinus.
Salvia.
Horminum.
Sclarea.
Dictamnus *Cret.*
Origanum.
Majorana.
Melissa.
Basilica.
Pulegium.
Mentha.

*Fermentata dosi refracta.*
2. Vina.
Spiritus diſtillatus.
Spiritus Sal.Ammon.

*Fœtidæ.*
1. Papaver.
Opium gr. ij.
*Cimicifuga.*
Actæa.
*Anagyris.*
*Stachys fœt.*
Scrophularia.
Pæonia.
Sambucus.
Ruta.
Buxus.
*Tagetes.*
Spigelia.

*Umbellatæ.*
2. Coriandrum.
Anethum.
Apium.
Conium.
Cicuta.
Angelica atropurpur.

*Mephiticæ.*
3. Fungi *varii.*
Mucor unctuosus muc.

*Spirantium qualitates.*

*Resolvunt* inflammata, excitant nervos, reficiunt vires. *Abundant enim oleo volatili aromatico.*

*Extrahuntur* Spirantia optime spirituosis; quia olea essentialia in spiritu vini solvuntur.

*Fumant* oleum essentiale pyxides olidæ globosæ sub poris latitantes, ut in cortice Citri & foliis Hyperici, & *Myrti.*

*Nervorum* actiones incitant, vix calefaciunt; *Immo Spiritus Menthæ Piperitidis insigne frigus generat.*

Putrida Ligna, *Herbæ.*
Animalia, Ulcera.
Halitus, Ozæna.

*Secreta.*

4. Castoreum.

*Tetrorum actio.*

Dosi majori assumta pupillam dilatant, scotomiam inducunt, copiosiori paralytica evadunt, justa vero *Dolores* & *spasmos* tollunt. Influxum nerveum imminuunt, quia narcotica sunt; abusus generat paralysim. Spirantia magis volatilia, convulsiones primo dein lethalem siderationem gignunt. Conium, *Cicuta* mortem celerrime attulit. Hunter.

*Externe* primaria sunt Repellentia. Ruta externe adhibita bubones venerei sæpe dissipantur.

*Interne* audiunt Expellentia, cum eos natura omnimode eliminare studet per poros; Evacuationesque omnes sistunt excepta diaphoresi & lacte.

Inter *Secreta* collocatur *Castoreum*; quia in folliculo proprio, juxta anum animalis reperitur.

XVII. AROMATICA. Opposita XVIII. NAUSEOSA.

1. Cinnamomum.
   Cassia lignea.
   Canella alba.
   Malabatrum.
   Laurus.
   Camphora.

2. *Dracoceph. canarien.*
   *Camphorata.*

3. Caryophylli.
   Pimenta.
   Myrtus.
   Cubebe.
   Piper.

4. Cardamomum.
   Galanga.
   Zedoaria.
   Zingiber.
   Costus.
   Acorus.
   Contrajerva.

*Umbellatæ acriores.*

5. Angelica.
   Imperatoria.

*Amara.*

1. Aloe ʒj.
   Elaterium ʒj.
   Colocynthis *ext.*gr.IV.
   Bryonia ʒij.
   Scammonium ʒ *sem.*
   Senna ʒj.
   Gratiola ʒij.
   Linum cath. ʒij.

*Acria.*

2. Veratrum.
   Helleborus ʒj.
   Asarum ʒij.
   Jalapa ʒij.
   Turpetum ʒj.
   Soldanella ʒij.
   Cyclamen.
   Ipecacuanha scr. j.
   Sambucus.
   Ebulus.

*Stiptica.*

3. Rheum ʒj.
   Rhaponticum ʒij.
   Lapathum ʒjv.

*Acida.*

4. Tamarindus. ʒjx.

*Dulcia.*

5. Cassia fistula ʒVIII.
   Polypodium ʒ. XII.
   Gen-

Gentiana alba.
Meum.
Carum.
Cyminum.
*Dulcescentes.*
6. Petroselinum mac.
Cerefolium.
*Odorata.*
Fœniculum.
Anisum.
Anisum ſtellatum.

Mechoacanna ℨij.
Dulcamara.

*Aromaticorum vires.*
Aromatica omnia sunt acria; calefaciunt incitando vitam.

*Nocent* calidis, juvenibus, phlogiſticis.

*Nauseosorum effectus.*
Emetica, Cathartica, Diuretica, Sudorifera, Errhina, eadem dosi & modo diverso propinata.

XIX. ORGASTICA. Opposita. XX. VIROSA.

*Bulbi.*
1. Scilla.
Allium.
Cepa.
Porrum.

*Alliacea.*
2. Alliaria.
Scordium.
*Petiveria.*
*Antiscorbuticæ.*
3. *Thlaspi all.*
Armoracia.
Sinapis.
Raphanus.
Eruca.

*Lurida.*
1. Datura.
Hyoscyamus.
Mandragora.
Belladonna.
Solanum.
Tabacum.
Antirrh. orontium.

2. Arnica.

3. Cannabis.

Na-

Nasturtium.
Erysimum.
Sophia.
*Gummi-resinæ.*
4. Assa fœtida.
Ammoniacum.

4. *Harmala.*

*Orgasticorum proprietates.*
Extrahuntur orgastica 1, 2, 3 potius aquosis, quam spiritibus aut oleis, contra ac in reliquis olidis.
*Diuretica* sunt horum pleraque 2, 3.
*Diaphoretica* imprimis 4, 1.

*Virosorum activitas.*
*Odores* aut *sapores* mixti, diversum exserunt effectum.

Olida varia non nisi calide infusa patescunt.
*Vires* in modica dosi pleræque cum *Tetris* communes exserunt, cautius propinanda.

XXI. COLORATA. Opposita XXII. CREPITANTIA.

*Rubra.*
1. Brasiliense Lignum.
Sappan Lignum.
Orleana.
Sanguis Draconis.
Catechu.
Rubia.
Biſtorta.
Tormentilla.
Acetosæ *Radix.*
Balauſtia.
Rosæ rubræ *Flores.*

*Lutea.*
2. *Berberis* Cortex.
Frangula.
Cervispina.
Gutta *Gummi.*
Cheiri.
Carthamus.

*Ligna.*
1. Frangula.
Abies.

*Herbæ.*
2. Calendula.
Cerefolium.
Centaurium.
Lappa.

Al-

Alcanna.
Chelidonium.
Rheum.
Lapathum.
Genista.
*Xanthium.*

*Cærulea.*

3. Lacmus *Crotonis.*
Indigo *Indigofora.*
Glastum *Isatidis.*
Nephriticum *Lign.*
Pimpinellæ *Oleum.*
Chamomillæ *Oleum.*
Millefolii.
Cardiacæ *Aqua.*
Pulsatillæ *Aqua.*

*Niger.*

4. Hypocistis.
Fungus melitensis.
*Orobus niger.*
Anacardium.
5. Dictamnus *Rad.*

*Semina.*

3. Eruca. *Sem.*

*Coloratorum Qualitates.*

*Rubra* sæpius stiptica evacuationes obturant. *Lignum Brasiliense* sanguinis fluxum & *Catechu* gonorrhæam sistit. At *Rubia* menstrua & lochia pellit.

*Lutea* bili favent. Rhabarbarum.

*Nigra* sanguineas evacuationes sistunt.

*Tinctoriæ* vires medicas diutius servant, quia minus volatiles & plerumque glutinosæ sunt.

*Crepitantium vires.*

Vires horum & causæ qualitatis nondum innotuerunt.

| XXIII. LACTESCENTIA. sunt | XXIV. TONICA. |
|---|---|
| | *Lactescentia pleraque.* |
| 1. Gutta Gummi. | 1. Euphorbiæ. |
| Chelidonium. | Papavera. |
| Sanguinaria. | Chelidonia. |
| Papaver. | Lobeliæ. |
| | Convolvuli. |
| | Ficus. |
| | Rhus. |
| | Lactuca virosa. |
| *Campanaceæ.* | *Vepreculæ omnes corrosivæ.* |
| 2. Convolvuli. | 2. Mexereum. Cocc. Gnid. |
| Campanulæ. | |
| Lobeliæ. | |
| *Contortæ pleræque.* | *Contortæ omnes.* |
| 3. *Ordo naturalis* XXX. | 3. *Ordo naturalis* XXX. |
| *Cerbera.* | Vincæ Toxicum. |
| *Ravuolfia.* | Vinca. |
| *Periploca.* | |
| *Apocynum.* | |
| *Asclepias.* | |
| *Cynanchum.* | |
| *Tricoccæ pleræque.* | *Tricoccæ omnes.* |
| 4. *Ordo naturalis* XXXVIII. | 4. *Ordo naturalis* XXXVIII. |
| *Euphorbia.* | Mercurialis. |
| *Jatropha.* | Cascarilla. |
| *Plukenetia.* | Ricinus. |
| *Hippomane.* | Cataputia. |
| | Tiglia, Pavana. |
| | Euphorbia. |
| | *Lucidæ omnes.* |
| 5. Rhus. | 5. *Ordo naturalis* XXXVIII. |
| Vernix. | Mandragora. |
| Ficus. | Belladonna. |
| Aloe *Lignum.* | Nicotiana. |
| Selinum *Aqua.* | Hyoscyamus. |
| | Solanum. |

*Semiflosculosæ* XLIX. *B.*
6. Taraxacum.
Lactuca.
Auricula.
Cichorium, Endivia.

*Umbellatæ aquaticæ.*
6. Cicuta.
*Œnanthe.*
*Phellandrium.*
*Sium.*

*Polyandræ polygynæ.*
7. Delphinium.
Aconitum.
Aquilegia.
Nigella.
Anemones.
Ranunculi.
Pæonia.

*Liliacea varia.*
8. Corona Imperialis.
Gloriosa.
Hyacinthus.

Lactescentia pleraque sunt *Toxica*, exceptis Semiflosculosis 6; præter Lactucam virosam & Scariolam, quæ tamen antivenerea & paregorica.

*Toxica*, sunt aut sapore acria corrosiva, aut odore tetra, nauseosa, virosa, electrum suffocantia, repellentia. Hinc nervorum functiones, & irritabilitatem primario perturbant. Electricum esse fluidum nerveum pronunciavit Linnæus: confirmant nuperrimæ observationes.

XXV. LACTARIÆ.

*Colore.*
1. Crocus.

XXVI. URINARIÆ.

*Color.*
1. Opuntia.
Rubia.
Crocus.
Curcuma.
Rheum.
Card. benedictus.
*alb.* Bardana.
*niger.* Liguiticum.

*Sa-*

*Sapore.*
2. Absinthium.
Scordium.
Allium.

*Subſtantia.*
3. Pinguicula.
Ros solis.
Boletus.
Tilia.

*Coagulat.*
4. Ficus.
Cynara.
Galium.
Lamium.

*Resolut.*
5. Mentha.

*Pelli.*
6. Lactuca.
Cerefolium.
Fœniculum.
Nigella.
Sambucus.

*Repellit.*
7. Mentha.
Matricaria.
Petroselinum.
Apium.
Coriandrum.
Anethum.
Geranium robertianum.

*Sapor.*
2. Absinthium,
Copaiva.

*Odor.*
3. Resinæ.
Balsama.
Coſtus.
Myriſtica.
Macis.
Asparagi.
Cardui.
Fraga.
Thlaspi.
Allium.

Lactariæ plantæ illæ sunt quæ qualitates proprias sen-

Urinæ peculiarem colorem a diversis plantis assum-

sibiles lacti communicant. Croco lac luteus redditur. Absinthio amarus. Coagulatur succo proprio Ficus, Cynaræ. Abundanter secernitur *Lactuca*, *Cerefolio*. Repellitur *Mentha*, *Matricaria* &c.

sumunt; *Opuntia* rubras efficit, *Crocus* luteas, albas *Bardana*, nigras *Levisticum*. Saporem urina accipit ab *Absinthio* & *Copaiva*: odorem a Resinis, Balsamis.

ALVINA.

Nigra fiunt a *Martialibus*.
Alba ab *Agarico*.
Rubra a *Fraga*.

## XXVII. ANTHELMINTICA.

*Herbæ.*

1. Spigelia. *
Muscus Cumatilis.
Ruta.
Botrys.

*Semina.*

2. Hypericum.
Amygdalus amara.
Persica.
Lupinus.
Juglans.
Sophia.
Nigella.
Ricinus.
Cina.
Zedoaria.
Saponaria.

*Radices.*

3. Aristolochia.
Dictamnus.
Allium.
Liquiritia.
Gramen.

## XXVIII. PHTHIRIACA.

PULICES.

1. Satureja.
Pulegium.
Persicaria.
Cotula.

PEDICULI.

2. Sabadilla. [c]
Staphisagria.
Cocculi.
Lauri.
Piper.
Ruta.
Nicotiana.
Centaurium.
Lycopodium.
Ledum.
Pinguicula.
Indigo.
Crocus.

CIMICES.

3. Cimicifuga. *
Cannabis. *
Plumbago.
Mentha.
Nasturtium.
Myrica.
Geran. robert.

Opulus

Opulus.
Acorus.
Capsicum.
Agaric. musc. *

*Succi.*

4. Assa fœtida.
Saccharum.
Petroleum. *
Pix liquida. *

XXIX. EXANTHEMATICA.

1. Ambra. *
Moschus. *
Zibethum. *
Abelmosch.
Matrisylva.
Geran. mosc.
2. Crocus.
3. Piper.
4. Colchicum.
5. Scabiosa.
Lapathum.
Sulphur.
Hydrargyrum.

XXX. CAUSARIA.

*Febris.*

Caſtanea.
Santalum.
Juglans.
Sambucus.

*Gaſtritis.*

Crepitus Lupi.

*Angina.*

Juglans.

*Ophthalmia.*

Myriſtica.
Lactuca.
Absinthium.
Crepit. Lupi.

*Cephalalgia.*

Rosmarin. sylv.
Myrtus brabantica.
Absinthium.
Meum.

*Epilepsia.*

Coriaria.
Apium paluſtre.

*Paralysis.*

Juglans.

*Singultus.*

Piper.

*Tussis.*

Capsicum.

Corpora omnia Naturalia, quæ Chemiæ Pharmaceuticæ ſundamentum conſtituunt, in sex classes dividuntur; videlicet Salina, Inflammabilia, Metallica, Terrea, Aquosa, Aerea. Non solum quinque priores classes materiæ medicæ aliquid suppeditant, sed vapores aeriformes diversis saturati principiis, cum peculiari emolumento ægrotis propinari possunt. Acido aereo morbi corruptorii curantur. Nitri aere dephlogiſticato atmosphæricus aer corrigitur; causa morborum phlogiſticorum, ab aere inflammabili composita, propriis præsidiis emendatur.

## SALES.

*Sunt sapidi & in aqua solubiles.*

- SIMPLICES
  - Acidum
    - Vitriolicum
    - Nitrosum
    - Muriaticum
    - Vegetabile.
  - Alkali
    - Fixum . . . Vegetabile
    - Volatile Fossile.
- COMPOSITI
  - Neutri.
  - Metallici.
  - Terrei.

## INFLAMMABILIA.

Sunt corpora, quæ ignem concipiunt, & consumuntur.

- OLEUM
  - animale
    - nativum
    - empyreumaticum
  - vegetabile
    - expressum
    - essentiale
  - fossile
    - fossile

SULPHUR.

ALCOHOL.

ÆTHER.

AER INFLAMMABILIS.

ME-

## METALLICA.

Sunt corpora per calorem fuſibilia, ad metallicam formam frigore redeuntia ; & quæ maxima gaudent gravitate ſpecifica.

- METALLA
  - perfecta
    - aurum
    - argentum
  - imperfecta
    - argentum vivum
    - plumbum
    - cuprum
    - ſtannum
    - ſerrum
- SEMI-METALLA
  - zincum
  - antimonium
  - arſenicum.

## TERREA.

Sunt ſolida, inſipida, nec aqua pura ſimplici ſolubilia, nec inflammabilia, & nunquam fuſibilia, quin in vitrum abeant.

- TERRÆ
  - abſorbentes
  - cryſtallinæ
  - argillaceæ
  - talcoſæ.

## AQUOSA.

- AQUA
  - communis
  - mineralis.

# SALES.

| Acidum | | Alkali Veget. | Alkali Fossil. | Alkali Volat. |
|---|---|---|---|---|
| Acidum | Vitr. | Tart. Vitriol. | Sal Glaub. | Ammon. Vitriol. |
| Acidum | Nitr. | Nitr. Com. | Nitr. Cub. | Ammon. Nitr. |
| Acidum | Mur. | Sal dig. Syl. | Sal Com. | Ammon. Com. |
| Acidum | Veg. | Tart. regen. | Sal Rupel. | Ammon. Veg. |

Proposita tabella complectitur substantias salinas neutras, ab acido & alkali compositas, atque legitur ex. gr. alkali vegetabile cum acido vitriolico, generat tartarum vitriolatum; cum acido nitroso gignit nitrum commune; cum acido muriatico salem digesticum Sylvii, & cum acido vegetabili tartarum regeneratum. Eadem ratione intelliguntur reliquæ acidorum cum diverso alkali combinationes.

## SALES ACIDI.

### *Proprietates acidorum generales.*

1. Vel mutuo, vel alkalinis, vel corporibus metallicis commixta, calorem excitant, & phlogisto saturata indolem aeriformem acquirunt.
2. Concentrata cum oleis uniri possunt.
3. Terras calcareas dissolvunt.
4. Aquæ tenacissima sunt, quam ab aere utcumque sicco attrahunt.
5. Corpora animalia ac vegetabilia dissolvunt.
6. Cum aqua calorem, cum glacie frigus producunt.

7. Flui-

7. Fluida animalia, & vegetabilia, quæ coagulabilia sunt, coagulant.

### ACIDUM VITRIOLICUM.

Synonyma.

*Acidum Primigenium.*
*Catholicum.*
*Æthereum.*
*Sulphureum.*
*Aluminosum.*

*Oleum vitrioli.*
*Spiritus vitrioli.*
*Spiritus sulphuris, per campanam.*

Corpora nativa in quibus occurrit, sunt
Sal Glauberi nativus.
Sales metallici qui Ferrum, Cuprum, vel Zincum pro basi habent.
Sales terrei, qui vel alumine, vel terra calcarea sunt uniti.
Aquæ variæ.
Atmosphæra.
Aura electrica.

A vitriolo autem viridi, vel sulphure usitatissime obtinetur.

Puritas per specificam ejus gravitatem & pelluciditatem determinatur. Est ad aquam ut 18. ad 10.

*Proprietates chemicæ.*

1. Cum spiritibus ardentibus unitum volatilitatem acquirit, & aciditatem deponit; unde æther.
2. Ferrum, Zincum & Cuprum dissolvit.
3. Per caloris gradum bullientem cum metallis omnibus uniri potest.
4. Corpora animalia, aut vegetabilia corrodit.
5. Fermentationem prohibet.
6. Cum alkalicis neutra facit, quæ vide.

*Proprietates medicæ.*

1. In morbis mere phlogisticis, febribus ab aere palustri ortis, sanguinis sputo, & Phthisi pulmonali, Lue Ve-

Venerea confirmata, Hydrothorace, cum periculosis pedum ulceribus, eſt remedium fundamentale.

2. Nunquam concentratum, sed multa aqua dilutum debet propinari, nam minus ſtimulat, facilius absorbetur, faciliusque phlogiſto saturatur.

3. A spiritibus ardentibus mutatur in subſtantiam sulphuream volatilem, & ideo aciditatem amittit, una cum qualitate antiphlogiſtica. Hinc ætheris & liquoris anodyni mineralis efficacia dubia, utilitas incerta. Inutilitatem liquoris anodyni confirmant experimenta propria, & observata Cl. Home.

4. Hinc semper spiritu vitrioli, sive spiritu sulphuris per campanam utendum.

5. Dosis a guttis decem ad viginti, omni trihorio, ex opportuno vehiculo, nempe decocto corticis peruviani, Ptisana hordeacea, & similibus.

6. In hydro-thorace lac propinandum eodem tempore ac acidum vitriolicum adminiſtratur. Cl. Home acidum vitriolicum in morbis pectoris noxium esse exiſtimavit, quia in tribus ægrotis vehementem diarrhæam excitavit. Hoc vero noſtris observationibus omnino opponitur.

*Acidi vitriolici volatilis proprietates peculiares.*

1. Concentratu difficilius.

2. Aliquid alienum semper adhærens habet. An aer mephiticus?

3. Majori alkalia proportione saturat, ut & terras absorbentes, quamvis minus acidi continet.

4. Corpora animalia ac vegetabilia minus afficit, metallica vero magis.

5. Affinitatem habet cum alkalicis minorem.

6. Minus generat caloris cum aqua, & frigoris nive commixtum.

7. Vaporem sulphureum emittit: an aer mephiticus?

## Synonyma.

*Spiritus nitri.*
*Aqua fortis.*
*Spiritus nitri Glauberi.*

Obtinetur ex salibus nativis nitrosis, vel a terris animali & vegetabili materia saturatis.

### *Proprietates Chemicæ.*

1. Eſt volatile.
2. Rubri ut plurimum coloris.
3. Maximæ, poſt acidum vitriolicum, gravitatis specificæ.
4. Cum oleis & spiritibus vinosis violenter effervescit.
5. Corpora plurima metallica dissolvit: ſtannum, & antimonium corrodit.
6. Minus cum aqua generat caloris, quam acidum vitriolicum, sed glacie vel nive frigoris plus.
7. Sanguinem non tam facile, ac acidum vitriolicum coagulat, solida tamen animalia & vegetabilia, celerius dissolvit,
8. Auget inflammationem.
9. Aerem figit, hinc pulvis pyreus, fulminans, aurum fulminans &c.

### *Proprietates Medicæ.*

1. Multa cum acido vitriolico communia habet; sed ob majorem quam cum principio inflammabili affinitatem habet, majorem exercebit activitatem.
2. Hæmorrhagias uterinas præ cæteris siſtit, si doses repetito adhibentur viginti vel triginta guttarum.
3. Urinam vehementer trahit.

## ACIDUM MURIATICUM.

Synonyma.

*Spiritus Salis marini.*
*Spiritus Salis gemmæ.*
*Spiritus acidus salis ammoniaci.*
*Spiritus Salis Glauberi.*

Obtinetur ex animalibus, vegetabilibus, fossilibus; a fuligine, sale gemmæ, vel sale communi.

Concentrationis signa sunt, color flavus, & particulæ oleosæ supernatantes.

Gravitas specifica ad aquam ut 12. ad 10.

Concentratum acidi unum ad aquæ partes 7. continet.

*Proprietates Chemicæ.*

1. Unc. XXI. alkali vegetabilis unc. I. saturat.
2. Oleis difficillime jungitur,
3. Cum spiritibus vinosis facillime.
4. In corpora metallica prompte agit.
5. Cum aqua & glacie eosdem ut alia acida, gradu tamen minori, producit effectus.

*Proprietates Medicæ.*

1. Non adeo frequenter adhibetur, ob ingratum saporem.
2. In angina maligna proficuum est Spiritum Salis gargarismis detergentibus adiicere.
3. In morbis phlogisticis acidum muriaticum multa aqua dilutum majorem activitatem exercebit, ob magnam quam cum principio inflammabili affinitatem habet.

## ACIDUM VEGETABILE.

Est vel nativum, vel fermentatum, vel distillatum.

Synonyma.

*Acetum.*
*Limonum succus.*
*Tartarum.*

Pro-

### *Proprietates Chemicæ.*

Præter qualitates quas cum reliquis àcidis communes possidet, acidum vegetabile uniri potest cum *Cupro*, *Zinco*, & *Plumbo*; & tunc quæ nascuntur combinationes venenatæ sunt; uti *Ærugo*, *Cerussa*, *Saccharum Saturni &c.*

### *Proprietates medicæ.*

1. Tutius quam acida mineralia usurpari potest, quia stimulo permanenti, & stipticitate caret.

2. Humoribus facilius miscetur, & olei adipisque copiam imminuit.

3. Volatile est, at in vapores non molestos, uti spiritus nitri fumans, sed gratos & pulmonibus amicos diffunditur. Hinc aerem mephiticum corrigit: absorbendo principium inflammabile; contagia morborum malignorum prohibet. Hæ tamen qualitates essentiam aceti, nempe acidi fermentati, constituunt.

4. Succus limonum secundum tenet locum inter acida vegetabilia. Vim possidet quoque antisepticam & antiphlogisticam; sed uti reliqui succi acidi & acescentis vegetabilium mucilagine involvitur, visciditate sua difficulter in stomacho solvitur, in acrem substantiam facile mutatur. Succi acidi vegetabilium non fermentati Tartaro, in quo acidum peculiare cum multo alcali, sive acri conjungitur, similes esse videntur.

5. Acetum volatilitate sua cum aere phlogisticato facile combinatur; hinc aerem mephiticum corrigit, uti nitrum.

## ACIDUM AEREUM.

### Synonyma.

*Gas sylvestre.*
*Acidum pingue* Meyeri.
*Acidum Carbonicum* Gallorum.
*Aer mephiticus.*

*Aci-*

*Acidum aereum* Berg.
*Aer fixus*. Black.

*Proprietates Chemicæ.*

1. Formam aeream possidet, & principio inflammabili abundat.

2. Terram calcaream & sales alkalinos præsentia sua mites, absentia causticos reddit: ab aqua calcis vivæ terram calcaream præcipitat.

3. Dum a terris calcareis, & succis vegetabilium exstricatur effervescentiam gignit. Cum aqua facile miscetur, & aquas acidulas componit.

4. Vitæ animali, si inspiratur, noxium; nam suffocationem affert, & irritabilitatem valde imminuit.

5. Flammam destruit.

6. Ignis actione educitur e corporibus alkalinis, quæ tunc caustica redduntur.

*Proprietates medicæ.*

1. Humorum corruptioni opponitur.

2. Utillimus acidularum usus in calidis regionibus.

3. Ulcera cachoetica & scorbutum sanat; dissolutioni humorum opponitur in morbis malignis.

Sunt præterea numerosæ acidorum species, quæ tamen raro a medicis, vel sine ullo emolumento administrantur, uti acidum
Boracis
Electri
Arsenici
Sacchari &c.

## SALES ALKALINI.

*Proprietates alkalium generales.*

1. In statu solido sunt mites, a combinatione cum aere mephitico.

2. Mites effervescentiam cum acidis cient; caustici nullam.

3. Cum

3. Cum oleis saponem, cum sulphure hepar sulphuris formant.

4. Cum acidis calorem generant, itemque cum aqua, si sicca & cauſtica sint, & cryſtallisati, frigus.

5. Fermentationem impediunt: hinc antiseptici.

*Proprietates medicæ.*

1. Urinas vehementer educit alkali mite.
2. Humorum tenacitatem imminuit.
3. Oleum solvit.

ALKALI VEGETABILE.

Synonyma.

*Cineres russici.*
*Cineres clavellati.*
*Pot ashes.*
*Pearl ashes.*
*Alkahest Glauberi.*
*Marcoft.*
*Blanch ashes.*
*Cendres gravellèes.*
*Sal tartari.*
*Sal absinthii.*
*Nitrum fixum.*
*Fluxum fixum.*
*Cassob.*
*Lapis infernalis.*

Obtinetur a calcinatione vegetabilium integrorum.

*Proprietates chemicæ.*

1. Cauſticum, aquam ab aere avidissime attrahit, & deliquescit.

2. Cauſticum, & mite eadem producunt neutra.

3. Cauſticum cum spiritibus vinosis se se conjungit; in quibus tamen si sit aqua, eam attrahit & fundum petit.

4. Phlogiſtico conjunctum, corporum metallicorum fusionem promovet, & plurima eorum dissolvit.

5. Cum terris in universum vitrescit.

6. Cauſticum, corpora animalia & vegetabilia dissolvit.

Pro-

*Proprietates medicæ.*

1. Aperiendi actionem habet; urinam adauget; bilis vitia emendat.
2. Tartarum non irritando solum agere videtur, sed facultas præcipua pendet ab ejus acido peculiari.

ALKALI FOSSILE.

Nitrum vel Natrum Antiquorum, est productio nativa, quæ in Asia & Africa ut plurimum invenitur.

Obtinetur a Sale marino, sale Glauberi, Borace, ex aquis mineralibus, & plantis marinis; etiam a quadam efflorescentia, quæ super muros Cryptarum subterranearum sæpe apparet.

Ab alkali vegetabili parum discrepat, præter quod, aquam ab aere minime attrahit, & acidis commixtum alia producit neutra.

ALKALI VOLATILE.

Obtinetur per distillationem ex omnibus corporibus animalibus vegetabilibusque: ex his tamen parce, nisi post putrefactionem: a sale etiam ammoniaco.

*Proprietates chemicæ.*

1. Aerem avidissime attrahit; hinc plerumque in forma crystallina est, ergo mite; namque ubi causticum fit, semper fluit.
2. Cum sulphure destillatum dat tincturam sulph. Hoffmanni.
3. Mite cum spiritibus vinosis, dat offam Helmontii.
4. Oleis essentialibus & spiritibus vinosis salem volatilem oleosum.
5. Causticum, cum sulphure, tincturam volatilem.
6. Causticum, cum oleis essentialibus, & oleo succini in spiritu vini solutis, dat *Eau de Luce*.
7. Causticum, calculum humanum dissolvit.

SA-

# SALES NEUTRI.

## TARTARUM VITRIOLATUM.

*Acido Vitriolico & alkali vegetabili.*

Synonyma.

*Sal enixum Paracelsi.*
*Sal de duobus.*
*Arcanum duplicatum.*
*Sal polychreſtum.*
*Nitrum ſtibiatum.*
*Panacea Duc. Holsat.*
*Nitrum vitriolatum.*

*Proprietates chemicæ.*

1. Cryſtalla hexagona pyramidalia ut plurimum exhibet.
2. Siccitatem servat in aere etiam humido,
3. Magnam aquæ portionem requirit ut dissolvatur.
4. In spiritibus vinosis solubile non eſt.

Componi poteſt ex

| | cum | |
|---|---|---|
| Spir. vitriol. / Spir. sulph. per cam. | | Ciner. russic. / Sal. absinth. / Sal. Tartar. |
| Vitriol. omnib. | | Cauſtic. com. |
| Sal. vitriol. | | Cauſtic. mit. |
| Sal. martis. | | Lixiv. tart. / Lixiv. saponar. |
| Sulph. miner. / Lac. sulph. / Sulph. præcip. / Sulph. antimon. | | Sapon. amygd. |
| Ammoniac. vitriol. | | Sapon. dur. |
| Alumin. | | Sapon. ex ol. oliv. |
| Selenit. | | *Hepat. sulph.* |
| Antimon. crud. | | Nitro com. |
| Æthiop. min. | | Sal. dig. |
| Mercur. emet. flau. | | Sal. diuret. |
| Cinnaber. | | Tartar. solub. / Tartar. regen. / Tinct. antimo. |
| Sal. cathart. amar. | | |

OBS.

OBS. Obtinetur quoque Tartarum vitriolatum ab Hepate sulphuris, evaporatione phlogisti lento igne; & ab Hepate sulphuris, via humida. Baumè.

*Proprietates medicæ.*

Incisiva facultas Tartari vitriolati varietatibus omnibus tribuitur. Sale polychresto in acutorum principiis, nitro stibiato in progressu utimur; vulgus tartaro vitriolato ipecacuanham incisivam & laxativam reddere conatur. Dosis a scrupulo uno ad drachmas tres.

Effectus plerumque frustraneus. Actio nulla.

SAL GLAUBERI.

*ex*

*Acido vitriolico, & alkali fossili.*

Generatur commixtione corporis cujusvis, quo continetur acidum vitriolicum, cum alio quod alkali fossile, cum acido alio adjunctum habet.

Nativus in Calabria reperitur. *Sal Selliæ.*

*Proprietates chemicæ.*

1. Crystalla hexagona exhibet.
2. In aere siccus evadit.
3. In crystallis continetur aqua $\frac{3}{4}$.
4. Solvitur in aquæ pondere æquali.
5. Fusilis temperato calore; unde a sale epsom. discrepat, quod nullo caloris gradu fundi potest.

Com-

*Componi potest ex*

| | | |
|---|---|---|
| Aqu. fort.<br>Spir. nit. Glaub.<br><br>Aqua regin.<br><br>Caustic. lunar. | cum | Sal. C. C.<br>Sal. vol. sal. ammon.<br>Sal. fuligin.<br>Spir. vol. aromat.<br>Spir. vol. fœtid.<br>Ammon. com.<br>Ammon. veget.<br>Spir. C. C.<br>Spir. sal. ammon. |

SAL DIGESTIVUS SYLVII.

*ex*
*Acido muriatico & alkali vegetabili.*

Semper est artis productio. A sale communi parum discrepat. Est *spiritus salis marini coagulatus* Pharm. Lond.

*Componi potest ex*

| | | |
|---|---|---|
| Spir. sal. marin.<br><br>Tinct. mart. in spir. sal.<br><br>Mercur. subl. corrosiv.<br><br>Caustic. antimon. | cum | Ciner. russic.<br>Sal. absinth.<br>Sal. tart.<br>Caustic. com.<br>Caustic. mit.<br>Lixiv. tartar.<br>Lixiv. sapon.<br>Sapon. amygdal.<br>Sapon. dur.<br>Sapon. ex ol. oliv.<br>Hepat. sulph.<br>Sal. diuret.<br>Tart. solub.<br>Tartar. veget. |

*ex*

*Acido muriatico, & alkali fossili.*

Synonyma.

*Sal gemmæ, sal marinus, muriat.*

*Proprietates chemicæ.*

1. In cubos concrescit, qui, si purus sit, in nulla aeris conſtitutione figuram mutant.

2. Eſt antisepticus: experimenta Pringliana cum sale culinario sunt facta, qui magnam terræ proportionem continet.

*Proprietates medicæ.*

1. Digeſtionem adjuvat, quia alimentorum decompositioni inservit,

2. Succi gaſtrici essentiam conſtituit.

3. Aquæ marinæ primarios effectus gignit; & in glandularum lymphaticarum obſtructione specificum auxilium exhibet.

*Componi poteſt ex*

| | | |
|---|---|---|
| Spir. sal. marin.<br>Tinct. mart. in spir. sal.<br>Mercur. subl. corrosiv.<br>Cauſtic. antim. | cum | Natro.<br>Sal. Rupell.<br>Borace. |

SAL AMMONIACUS COMMUNIS.

*ex*

*Acido muriatico, & alkali volatili.*

Obtinetur ex omnibus fuliginis speciebus, per sublimationem vel solutionem.

*Pro-*

### *Proprietates Chemicæ.*

1. In aqua solubilis.
2. Aeri expositus deliquescit.
3. In aqua solutus, menſtruum ita disponit ut majorem sublimati corrosivi proportionem dissolvere valeat.
4. Cum sale communi in aqua solutus insigne generat frigus.
5. In spiritibus vinosis eſt solubilis.
6. In modico calore fusilis.

### *Proprietates Medicæ.*

1. Incisiva qualitate eminet ob facilem solutionem, quia celeriter absorbetur & quia ab alkali volatili penetrantem activitatem mutuatur.
2. Usurpatur in intermittentibus, in obſtructionibus, Chlorosi, Hydrope, Rheumatismo &c.
3. Fortasse facile decomponitur in corpore humano; unde ejus vires ab acido marino libero ac valde attenuato sunt repetendæ.

### *Componi poteſt ex*

| | | |
|---|---|---|
| Spir. sal. marin. | cum | Sal. C. C. |
| Tinct.mart.in spir.sal. | | Sal. vol.sal.ammo. |
| Cauſtic. antimon. | | Sal. fuligin. |
| Mercur. subl. corrosiv. | | Spir. vol. aromat. |
| | | Spir. vol. fœtid. |
| | | Spir. C. C. |
| | | Spir. sal. ammon. |
| | | Ammon. veget. |

## TARTARUM REGENERATUM.

ex

*Acido vegetabili, & alkali vegetabili.*

Synonyma.

*Tartarum solubile, Sal diureticus.*

*Proprietates Chemicæ.*

1. Solubilis in spiritibus vinosis.
2. Oleis, gummi & resina uniri poteſt.
3. Metalla in spiritibus vinosis solubilia reddit.

*Proprietates Medicæ.*

1. Inter mitiora cathartica collocatur.
2. Urinam movet uti neutra omnia.

*Componi poteſt ex*

| | | |
|---|---|---|
| Aceto. | | Ciner. russic. |
| Succo limon. | | Sal. absinth. |
| Tart. crud. | | Sal. tartar. |
| | | Cauſt. com. |
| Chryſtal. tart. | | Cauſt. mit. |
| Tart. emetic. | cum | Lixiv. tartar. |
| Aerugin. | | Lixiv. sapon. |
| | | Sapon. amygd. |
| Sacchar. saturn. | | Sapon. dur. |
| | | Sapon. ex ol. oliv. |
| | | Hepat. sulph. |

ex

*Acido vegetabili, & alkali fossili.*

Synonyma.

*Polychrest de Rochelle, Sal de Seignette.*

*Proprietates Chemicæ.*

1. Non tam facile deliquescit, quam tartarum regeneratum.

2. Decomponitur in decocto Tamarindorum & quocumque alio acido, ob majorem affinitatem horum acidorum ad alkali minerale, quam est Cremoris Tartari. *Wall. diss.* 16. §. 4.

*Componi potest ex*

| | | |
|---|---|---|
| Aceto. | | Natro. |
| Succo lim. | | |
| Tart. crud. | | |
| Crystal. tart. | cum | |
| Tartar. emet. | | |
| Aerugin. | | |
| Sacchar. saturn. | | Borace. |

*Proprietates Medicæ.*

Alvum leniter subducit, nullamque affert irritationem. Hinc in morbis biliosis, reliquis neutris anteferri consuevit.

ex

*Acido vegetabili, & alkali volatili.*

## Synonyma.

*Spiritus Mindereri.*

Optime producitur, ammoniaci vitriolici cum tartaro regenerato commixtione.

### *Proprietates Chemicæ.*

1. Facile deliquescit.
2. In aqua vel spiritibus vinosis copiose solubilis.

### *Componi potest ex*

| | | |
|---|---|---|
| Aceto | | Sal. C. C. |
| Succo limon. | | Sal. volat. sal. amm. |
| Tartar. crud. | | Sal fuligin. |
| Cryftall. tart. | cum | Spir. vol. arom. |
| Tart. emet. | | Spir. vol. fœtid. |
| Aerugin. | | Spir. C. C. |
| Sacchar. saturn. | | Spir. sal. amm. |

### *Proprietates Medicæ.*

1. In morbis rheumaticis aliquam affert utilitatem, quia sudorem procurat.
2. Si externe confricatur partibus rheumatico dolore affectis, valde juvat.
3. Urinæ secretionem adauget. Vires vero pendent a tenuitate & penetrabilitate alkali volatilis.

## VITRIOLUM CŒRULEUM.

ex

*Acido vitriolico, & Cupro.*

Synonyma.

*Vitriolum Romanum.*
*Vitriolum Veneris.*
*Vitriolum Cyprium.*

Artis ut plurimum eſt productio.

*Proprietates Chemicæ.*

1. Cryſtalla depressa, rhomboidea dodecaedra habet.
2. Saporis adſtringentis, acris ingratissimi.
3. Eſt fusile, & in magno caloris gradu calcinatur.

*Proprietates Medicæ.*

1. Interne assumtum vim emeticam periculosam exercet. Hinc non sine damno Phthisicis propinatur. *Bibl. du Nord. v.* 1. 50.

2. Externe vim possidet corrosivam, adſtringentem, sæpe noxiam in hæmorrhagiis in quibus adhibetur.

3. Collyrium præbet ophthalmicum.

4. Fluxus immodici inopportune semper salibus omnibus vitriolicis cohibentur.

ex

*Acido Vitriolico, & Ferro.*

Synonyma.

*Vitriolum Martis.*
*Vitriolum Anglicum;*
*Sal martis. Off.*
*Angl. Copperas.*

Eſt nativum, ſed plerumque per artem paratur.

*Proprietates Chemicæ.*

1. Cryſtalla pellucida rhomboidea exhibet.
2. Saporis adſtringentis, ſubdulcis.
3. Calcinari poteſt.
4. In aqua facile ſolvitur, ſedimentum deponens.

*Proprietates Medicæ.*

1. Adſtringit uti reliqua vitriola.
2. Interne multa aqua dilutum, utillimum eſt in phthiſi pulmonali.

VITRIOLUM ALBUM.

ex

*Acido vitriolico, & Zinco.*

In fodinis reperitur.
Saporis subdulcis adſtringentis.
Vim habet emeticam; & collyriis ophthalmicis adjungitur.

CRYSTALLA LUNÆ.

ex

*Acido nitroso, & Argento.*

Synonyma.

*Lapis infernalis. Cauſticum lunare.*

Vim habet escharoticam.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

ex

*Acido muriatico, & Mercurio.*

*Proprietates Chemicæ.*

1. In spiritibus vinosis solubilis.
2. In aqua parva in proportione.

*Componi potest ex*

| | | |
|---|---|---|
| Sal. com. | | Vitriol. virid. |
| | | Nitro. |
| | | Spir. nitri. |
| vel | et | Præcipit. rub. |
| | | Vitriol. calcin. |
| | | Spir. vitrioli. |
| Spir. salis. | | Turpeth. min. |

*Proprietates Medicæ.*

1. Interne assumptus, sæpe ventriculum corrodit; & facultatem exercet antivenereum satis incertam.
2. Unguenti forma, nempe cum pinguedine trituratus & plantis pedum confricatus luem veneream confirmatam perfecte curat.
3. Urinam copiosam & valde sedimentosam educit.
4. Unguenti forma adhibitus salivationem rarissime excitat.

## SACCHARUM SATURNI.

ex

*Acido vegetabili, & Plumbo.*

*Proprietates Chemicæ.*

1. Facile in aqua solubile.
2. Saporis dulcis & adstringentis.

*Proprietates Medicæ.*

1. Saturnina omnia interne usurpata noxia & venenata; fluida enim animalia coagulant.
2. Externe usurpata exsiccantia & ideo detergentia sunt.
3. Saccharum saturni adhibent Chirurgi in ophthalmia, pro collyrio.

4. Ob

4. Ob vim coagulandi saturnina commendantur tanquam remedia venereum contagium avertentia. Sed poteſt etiam venenum coagulari & tamen virulentiam suam retinere. *Hunt. morb. vener.*

## SALES TERREI.

### ALUMEN.

ex

*Acido vitriolico, & terra argillacea.*

Eſt artis productio.

*Proprietates Chemicæ.*

1. Igne liquescit.
2. Decies quater aquæ pondus requirit, ut solvatur.
3. Saporis adſtringentissimi.
4. Cryſtalla octoedra pyramidalia exhibet.

*Proprietates Medicæ.*

1. Ob saporem et vim valde adſtringentem in fluxu quocumque adhibetur, & præsertim in hæmorragiis, diarrhæis & sanguinis sputo.

2. Interne propinatur in Tertiana & Quartana; sed ut plurimum nocet.

3. In gonorrhœa solutio alumnis in urethram iniicitur; quod sæpe periculosum.

4. Alumine uſto carnes flaccidæ, ulcerum cicatricem prohibentes, corroduntur.

### SAL CATHARTICUS AMARUS;

ex

*Acido vitriolico, & Magnesia.*

Synonyma.

*Sal Anglicus, Sal Epsomiensis.*

*Proprietates Chemicæ.*

1. In aquæ exigua quantitate solubilis.
2. In aqua solutus, additione salis alkalini, terram deponit.
3. Fusilis non eſt.

*Proprietates Medicæ.*

1. Vim catharticam cum reliquis analogam possidet.
2. Habetur pro specifico in passione Iliaca.

## INFLAMMABILIA.

### OLEUM ANIMALE NATIVUM;

i. e.

Adeps, Pinguedo, Sebum, Spermaceti Axungia. Quoad proprietates, ab oleis vegetabilibus expressis parum discrepant.

### OLEUM ANIMALE EMPYREUMATICUM.

Synonyma.

*Oleum Dippelii. Oleum Cornu Cervi.*

Obtinetur per diſtillationem a subſtantia quacumque animali.

*Pro-*

*Proprietates Chemicæ.*

1. Odoris ambuſtorum æmuli.
2. Saporis acris amaricantis.
3. Per rectificationem sæpius reiteratam fœtore, & colore suo orbari, & ad maximum subtilitatis gradum poteſt evehi.
4. Ità purificatum, spiritibus vinosis miscibile.
5. Cùm acidis inflammationem excitat.
6. In aerè àperto, *fœtorem* atquè colorem citissimè reassumit.

*Proprietates Medicæ.*

1. Vires cum Narcoticis communes habet, nam inflammabilia sedativa evadunt deſtruendo principium vitalitatis.
2. Hinc Oleum Dippelii commendatur externe atque interne ad guttas aliquot in Hyſteria mulierum, & motibus convulsivis puerorum. Aliquid præſtat fœtore potius, quo præternaturalis partium irritabilitas imminuitur. Sed morbi convulsivi raro medicamentis profligantur.
3. Incertitudo effectuùm pendet a difficili præservatione, poſt perfectam quamvis rectificationem; nam poſt certùm tempus olea omnia empyreumatica nativam fœtiditatem denuo acquirunt.

Reliqua olea empyreumatica *Buxi*, *Guajaci*, *Petrolei*, *Terebinthinæ*, *Ceræ*, quamvis a diversis scriptoribus adversus varios morbos laudentur, a Pharmacia prorsus exulari deberent, nullam enim utilitatem afferre solent.

## Synonyma.

*Oleum pingue.*
*Oleum viscidum.*
*Oleum unguinosum.*

Ex plantarum fructibus seminibusque per expressionem elicitur.

### *Proprietates Chemicæ.*

1. Eſt inodorum & saporis blandi.
2. Nec aqua, nec spiritibus vinosis per se miscibile.
3. Cum acidis potentioribus in pinguedinem concrescit.
4. Salibus lixiviosis commixtum, in saponem coit.
5. Oleis essentialibus, nec non empyreumaticis uniri poteſt.
6. Cum sulphure coctum balsamum, trituratum vero linimentum e sulphure componit.
7. Plumbum & Stannum per calorem dissolvit.

### *Proprietates Medicæ.*

1. Necessitatem & utilitatem olei unguinosi in corpore humano, oſtendit conſtans hujus subſtantiæ exiſtentia in vegetabilibus omnibus & animalibus diæteticæ addictis. Hinc a proportionali olei quantitate sanitatis integritas.
2. Oleosorum & pinguium abusus perspirationem & urinam imminuit, & polysarchiam acidis dissipandam gignit.
3. Glutine quo abundant, venenorum vim corrosivam ventriculo infeſtam emendant oleosa, unde oleum affatim propinatum, veneni ſtatim assumti actionem coercet.
4. Catharticorum draſticæ activitati opponitur oleum, ideo-

ideoque oleosa quæ alvum purgant reliquis anteferenda. Hæc præcipua qualitas Oleum *Ricini communis* efficacissimum, & blandum simul catharticum reddit.

5. Olea expressa simplicia, uti sunt Oleum olivarum, Amygdalarum dulcium, seminum Lini, in morbis acutis febrilibus sedulo vitanda; nam calore ſtatim mutantur in subſtantiam empyreumaticam, veram inflammationis siccæ causam.

6. Frictio cum oleo olivarum, supra abdomen, diu protracta, copissisimum urinæ fluxum excitat. *Cull. Mat. Med.* 2. 126.

7. Olea expressa cum acidis potentioribus conjuncta saponem acidum in *Ascite* & *Anasarça* utillimum præbent.

8. Emplaſtrorum fere omnium basim conſtituunt olea expressa.

9. Qui oleo abutuntur acerrimam humorum indolem acquirunt, & cutaneis valde pruriginosis efflorescentiis infeſtantur.

10. Alimenta omnia oleo cocto parata, pravam nutritionem, difficilemque digeſtionem gignunt, ob qualitatem empyreumaticam.

OLEUM

## OLEUM VEGETABILE ESSENTIALE.

Obtinetur per diſtillationem vegetabilium, a foliis, floribus, ſtaminibus, lignis, corticibus, fructibus, seminibus, radicibus, balsamis, & resinis.

### *Proprietates Chemicæ.*

1. Saporis, odorisque penetrantis, subjectum de quo erat separatum plane declarantis.
2. Spiritibus vinosis solubile, frigus insigne generans.
3. Consiſtentiæ, specificæ gravitatis, & coloris diversi, & permutabilis.
4. Cum acido vitriolico, & nitroso flammam concipit.
5. Cum aqua per diſtillationem uniri poteſt, unde aquæ officinarum ſtillatitiæ.
6. Cum alkali etiam fixo conjungi poteſt; unde *Sapo philosophicus*, vel Starkæi.
7. Ac volatili; unde *spiritus volatilis aromaticus*.

### *Proprietates Medicæ.*

1. Olei essentialis particulæ volatiles, odoratæ, penetrabiles, minime tamen excitantes & tonicæ per se sunt, ac si aliquando tales esse videntur, fugacissima activitas pendet a spiritu vini in quo solutæ reperiuntur.
2. Olea essentialia, uti & olea fossilia fœtida, oleum Rutæ &c. Nervina & Antispasmodica, ac præsertim Anti-hyſterica sunt, quia qualitatem & indolem tetram, soporiferam, siderantem, ac proinde proficuam habent. Nil igitur mirum ab oleis essentialibus intra corpus assumtis insigne frigus oriri; nam sideratione sensibilis simulque latens calor absumitur. In paroxysmo enim hyſterico aquæ ſtillatitiæ refrigerando operantur. Somnus Epilepsiam & Hyſteriam solvit, atque poſt animi deliquium diu protractum a paroxysmo hyſterico mulieres excitantur.

3.Re-

3. Resinæ & balsama oleis essentialibus propriam debent activitatem.

Quæ Cl. Retzius de Natura Oleosorum scripsit in Prolegomenis ad Pharmacologiam, hoc in loco adnotari merentur.

§. 11.

*Oleum*, quod plantas ingreditur, duplex est, *Unguinosum* & *Æthereum*. Olei unguinosi pars aliqua, in omni adest planta, licet non semper evolutum, sed a sale essentiali adeo solutum aliisque immixtum, ut variis sub formis ludat & *materiam Extractivam, Mucilaginem, Gummi* efficiat.

OBS. 1. *Materia estractiva* nobis nigrescens plerumque illa & formæ unctuosæ materia est, quæ ab aqua æque ac spiritu vini sub infusione, digestione, decoctione solvitur, & basin constituit *Extractorum*, quæ demum a resinoso, oleo æthereo, sale essentiali &c. specificantur.

OBS. 2. Singularis igitur non est originis hæc materia, sed mixta ex reliquis, quorum natura est per se ab adhibito menstruo solvi, vel saltem vi mixtionis. Hinc quoque patet, cur adeo facile hæc materia decomponatur; dum enim vi caloris vel alio quoque modo tollitur hujus vel illius vis solvendi, cujus ope solutum fuerit, necessario turbatur solutio.

§. 12.

Quæstio ut dirimetur digna est, quænam originis differentia sit essentialis inter oleum æthereum & unguinosum? Unguinosum in æthereum, vel saltem æthereo analogum mutari potest, contrarium autem Chemicis latet. Multum conferre videtur mucilaginosum oleis unguinosis inhærens, sed vix sufficit, nec resinosum ætherea ab unguinosis distinguit.

*Olea unguinosa*.

I. Pinguia sunt & plerumque insipida.

OBS. 1. Sapor illorum demi potest, nam ab immixto

xto resinoso vel æthereo pendet, cui mucilago impura sæpius symbolam addit.

II. Neque aqua, nec spiritu vini solvuntur.

OBS. 1. Sale alkalino in saponem redacta & acidi ope ab hoc iterum separata, in spiritu vini solvuntur.

III. Ope alkali in saponem abeunt.

OBS. 1. Hoc etiam fit adhibitis acidis, licet difficilius. Methodum invenit D. ACHARD, continuavit D. MACQUER, faciliorem reddidit D. MOLLERAT DE SOVHEI.

IV. A saponibus cum artificialibus, tum naturalibus, ac mucilaginosis solvuntur, & aquæ miscibilia redduntur.

OBS. 1. Sed solutio hæc imperfecta est; facile enim mora, calore, acidis &c. turbatur, & lactea præterea est; qui color potius tenuissimam divisionem & suspensionem quam veram solutionem adesse demonstrat.

V. In frigore congelantur.

OBS. 1. Sub hac congelatione in granula concrescunt.

OBS. 2. Quo minor frigoris gradus ad eorum congelationem necessarius sit, eo minus ad rancitatem prona sunt & contra. Sic Butyra sic dicta vegetabilia v. gr. Palmæ, Cacaonis diutissime durant, sed simul insipida sunt. Si in loco adeo frigido servata, ut penitus coagulentur, optime & diu conservantur.

VI. Calore iterum fluescunt, & hujus ope, ut & ætate, rancescunt, ac odorem saporemque peregrinum, non minus, quam vires fere contrarias contrahunt.

OBS. 1. Rancescentia caloris opus est. Sub hac, quæ levioris fermentationis species videtur, acidum explicatur, unde originaria olei compositio turbatur. Acidum vero, quod hoc modo explicatur, simul a pristina sua natura recedat necesse est.

OBS. 2. Huic opinioni favet methodus D. SIEFFERT corrigendi oleum olivarum rancidum. Aliter vero rancescentiam explicat D. ROZIER; innuit enim spiritum rectorem a proportionata mucilaginis quantitate ligatum, per fermentationem liberari, & rancedinem pro-

producere, quæ ratiocinatio vix vera; exempli loco sint axungiæ &c.

OBS. 3. An major vel minor olei ad rancescentiam pronitas a diversa salis acidi copia, vel potius a laxiore vel arctiore ejus cum oleo nexu pendeat?

OBS. 4. Quo magis frigide & expressa, & servata fuerint, eo accomodatiora semper usui sunt Medico.

VII. Aqua licet multo specifice leviora sint, attamen cum aqua alembicum non ascendunt.

OBS. 1. Sub ebullitione itaque leniori, non qua olea evaporant, licet partes aqueas amittant, crassescunt & verniceam acquirunt indolem.

OBS. 2. Postquam autem empyreumaticam contraxerunt naturam, quoad partem cum aqua distillant.

VIII. Color recentis unice a resinosis sub præparatione solutis pendet. Rancescentia etiam colorem mutat.

OBS. 1. Olea, quæ pura, virtute absolute identica gaudent; quæ autem odorem, saporem & colorem eorum mutare valent, vires quoque mutant,

OBS. 2. Oleum *Ricini* dulce est, h. e. fere insipidum, nec odore particulari instructum, nihilo tamen minus vim singularem habet eccoproticam; unde autem? An acris corticum vis a pingui soluta adeo occultetur, ut sapori non pateat? Ita videtur, nam oleum e granis nondum excorticatis, magis sapidum & activum dicitur.

IX. Resinas puras cum solidas, tum fluidas, adstipulante calore solvunt, ut & calces Saturninas.

X. Non nisi fervida inflammantur.

§. 13.

*Oleum Æthereum* vel *Essentiale*, licet oleum sit, ab unguinoso tamen non parum discrepat. Binis præcipue constare videtur partibus, spiritu nimirum Rectore Boerhaaviano & resinosa basi, acido & aqua junctis.

I. Odorata sunt & sapida.

OBS. 1. Odor eorum semper, & sapor plerumque a spiritu rectore, tenuissimo & volatili illo fluido pendet.

OBS. 2. Sapor nonnullorum igneus, aliorum subdulcis, omnium vero aromaticus.

II. Volatilia sunt.

OBS. 1. Basis eorum resinosa mediocrem sine jactura fert calorem; spiritus vero rector sub minimo etiam calore avolat; est enim maxime volatilis, & vinculis ægre includitur; quod exhalatio testatur odora. Nihilo tamen minus inter diversarum plantarum olea essentialia observari videtur varius volatilitatis gradus, vel potius unius plantæ spiritus rector fixior videtur, quam alius. An vero hoc potius derivari debet a majore quantitate relativa hujus spiritus, vel arctiore cum basi nexu, difficile est dictu; interea in variis vegetabilibus, ejus difficilius observatur jactura, dum aliæ plantæ citissime omnem perdunt odorem.

OBS. 2. In genere observandum est, quod quo succosiores sint plantæ odoræ, eo plus amittant virium sub exsiccatione, decoctione &c. cui rei id procul dubio causæ est, quod major quantitas aquæ sub evaporatione majorem secum auferat spiritus rectoris copiam. Forte etiam fermentatio quædam succi, quæ sub exsiccatione plantarum quoque minus succulentarum impediri vix potest, multum confert. Vires saltem mutat, novam dum inter principia effectiva efficit compositionem.

OBS. 3. Levia plerumque licet sint olea ætherea, cum vini spiritu tamen haud facile transcendunt; immo ipsissimus spiritus rector quandoque quoad partem

tem manet in residuo, post evocatum vini spiritum*. Hinc *Extracta spirituosa* caute parata, a plantis aromaticis, plus minus odoris specifici retinent, *aquosa* fere nihil.

OBS. 4. Si minimum, quo evocari potest *Aqua abstracta*, ignis gradum adhibeamus, aquam odoram non lactescentem, nec olei vestigia exhibentem accipimus; majorem vero, qui resinosam simul basin elevare potest, si adhibeamus, *Oleum æthereum* ipsum transcendit.

III. Spiritu vini, non aqua solvuntur.

OBS. 1. Spiritus rector facile aquam subit, basis resinosa non ita. Quo laxior itaque horum principiorum in planta nexus, eo major spiritus rectoris copia ab aqua recipitur, licet ipsum oleum non solvatur.

OBS. 2. Sunt plantæ egregie odoræ, quæ nihil omnino olei ætherei largiuntur, vel saltem vix observatu dignam quantitatem. Hæ tamen & *Spiritum* & *Aquam* abstractione odoram linquunt, quum spiritus rector utrique huic menstruo obediat.

IV. Cum alcalino sale saponem imperfectum constituunt.

OBS. 1. Quo propius ad resinosam accedit naturam oleum æthereum, eo facilior est unio ejus cum alcali.

V. In frigore fluida manent.

OBS. 1. Hinc excipiuntur nonnulla e seminibus umbellatarum elicita; sed congelatio eorum pendet ex immixto oleo unguinoso.

OBS. 2. Alia, de quibus postea dicendum, *sebaceæ* sunt consistentiæ.

VI. Ætate crassescunt, colorem, & odorem mutant.

OBS. 1. Hæ mutationes ex binis pendent momentis, avolatione nempe spiritus rectoris, & evolutione acidi, hincque turbata mixtione.

OBS. 2. Color oleorum essentialium a materia colorante, resinosa provenit, quem sæpe tamen mutat calor destillatorius.

VII. Resinas genuinas solidas æque ac liquidas solvunt, adstipulante calore, & sæpius singulari manipulatione.

VIII. Admota flamma ardent.

Multiplices & longas Retzii animadversiones potius adnotare, quam negligere visum est; consulendum enim primario est illis, qui profundioribus doctrinis delectantur.

### OLEUM VEGETABILE EMPYREUMATICUM.

Ab oleo empyreumatico animali parum discrepat, præter quod de odore aliquid, & sapore matricis suæ retineat, atque *salem* volatilem acidum contineat.

*Oleum Empyreumaticum* naturalis non est plantarum pars constituens, sed ortum trahit vel ex oleo unctuoso, vel resina majori vi ignis expositis; ad producta itaque pertinet. Inter se multum variant secundum materiam, e qua elicita fuerunt. Cum his autem certo modo comparari possunt olea multum rancida. *Retz. phar.* §. 14.

Substantiæ oleosæ empyreumaticæ irritabilitati oppositæ, & vitæ destructrices, e medicina penitus ablegandæ.

OLEUM FOSSILE.

Synonyma.

| | |
|---|---|
| *Petroleum.* | *Oleum petræ.* |
| *Naptha.* | *Pissasphaltum.* |
| *Asphaltus.* | *Petroleum.* |
| *Oleum terræ.* | *Oleum minerale.* |
| *Bitumen.* | |

Productio nativa est.

*Propietates chemicæ.*

1. In spiritibus vinosis indissolubile.
2. Cum oleis essentialibus uniri potest.
3. Quam maxime inflammabile.
4. Saporis odorisque haud ingrati, pungentis.

Nullam corpori humano peculiarem utilitatem afferunt olea fossilia, immo potius damnosa sunt.

Bitumina *Berg. Scia.* 86. Huc referimus omnia fossilia phlogisto extra modum consuetum turgida, unde etiam fere omnia, uti decet, tractata, flammam gignere possunt. Genera heic obvia sunt admodum pauca, & adcurate loquendo vix nisi unicum. Sed quum phlogiston sit adeo subtile, ut solum nostros effugiat sensus, simpliciora ejusdem connubia, forte tanquam genera considerare licebit, quod cum metallis universali consensu diu receptum fuit. §. 132.

Petroleum. Phlogiston in nexu oleoso etiam inter fossilia occurrit, sed e regno vegetabili illud haud pauci derivant. *Berg. l. c.* §. 137.

## SULPHUR.

Est vel nativum, vel factitium,

ex

*Acido vitriolico, & phlogisto.*

Hoc nomen generatim tribui potest cuivis acido per phlogiston in formam solidam coagulato. Si omnia metalla acido quodam radicali constant, phlogisti ope satiato, uti vero est simillimum, & de Arsenico extra dubitationis aleam positum, eadem heic locum naturalem invenient. Donec autem hæc thesis pluribus fuerit stabilita experimentis, illa tantum connubia sub hoc titulo enumero, quæ metallica carent indole. *Berg. sciagr.* §. 133.

Phlogiston *acido vitriolico* satiatum.

Sulphur vulgare. *Cronst. miner.* §. 151.

*Proprietates chemicæ.*

1. Nec aqua, spiritu vini, nec acido quocumque solubile.
2. Oleis tam expressis, quam stillatitiis, ac Petroleo solvitur:
3. Cum alkalinis fixis unitur; hinc *Hepar sulphuris*.
4. Igne liquescit.
5. Metallicorum corporum fusionem promovet.
6. Alkalinis volatilibus dissolubile.

Pro-

*Proprietates Medicæ.*

1. Usus internus *florum sulphuris* in morbis pectoris commendatissimus. Sed acidum vitriolicum purum vires possidet antisepticas & antiphlogisticas; principio vero inflammabili saturatum siccum calorem, lympham acerrimam, molestissimas impetigines generat.

2. Aeris sulphurei inspiratio suffocationem, si affatim suscipitur, difficilem respirationem, virium prostrationem & atrophiam generat, si lente intrat.

3. Hinc aer regionum vulcanicarum, ubi sulphuris magna copia reperitur pulmonicis adeo noxius. Desinant igitur Neapolitani Medici aerem Puteolanum Phthisicis commendare.

4. Unguento sulphuris scabiei eradicativa curatio absolvitur. Scabies vero cum interno sulphuris usu curari nequit.

5. *A sulphure infringitur vis Mercurialium, a Camphora vis Cantharidum.* Wall. Diss. 16. §. 4.

Hæc substantia quamvis per se medicamentosa, attamen nonnullorum summæ efficaciæ medicamentorum activitatem imminuit. Mercurium namque reddit inactivum, & reguli antimonii virulentiam omnino fere extinguit. Hinc si præparata antimonialia & mercurialia vehementius operantur, sulphure illorum activitas infringitur. Immo ipsius Arsenici corrosiva virulentia sulphure, fere innocua redditur; adeoque si sulphur parvam Arsenici proportionem continet, fortasse nullam inde veneratam qualitatem mutuatur. *Pharm. Angl.*

6. Aquæ Acidulæ quæ Hepate simul sulphuris abundant, odore nauseoso, at qualitate tonica & diaphoretica gaudent, uti *Sulphurea Lucullana &c.*

7. Sulphur est optimum laxativum, & remedium magni usus in hæmorroidibus. *Cull. mat. med.* 2. 520.

# A L C O H O L.

Synonyma.

*Spiritus ardens. Spiritus vini.*

Est fermentationis corporum vegetabilium productio.

*Principia.*

Oleum essentiale, acidum vegetabile, & aqua.

*Proprietates chemicæ.*

1. Liquor est pellucidus & volatilis.
2. Aqua facillime commiscetur.
3. Saporis odorisque ardentis, pungentis.
4. Igne admoto, protinus accenditur.
5. Resinas, balsama, & olea distillata ex toto dissolvit; saccharum difficilius; ceram imperfecte.
6. Acidis per distillationem conjunctum, dat *Spiritum dulcem*, *Æther*.
7. Cum alkali volatili caustico, *spiritum volatilem* officinarum.
8. Fluida animalia, quæ coagulabilia sunt, coagulat.
9. Fermentationem prohibet.
10. Specificæ gravitatis fere minimæ.

*Proprietates Medicæ.*

1. Spiritus vini rectificatus vulgo inter roborantia, resolventia & penetrantia collocatur, ob actionem apparenter adstringentem, ob penetrabilitatem & calefaciendi falsam activitatem. At multa damna a substantia phlogistica, quæ fluida fere omnia coagulat, & solida dura ac impervia reddit expectanda sunt.

2. Nervorum œconomiam perturbat, paralysim & apoplexiam affert; stupiditatem inducit; peripneumoniam & hydrothoracem gignit.

4. Tincturæ medicamentosæ ex plantis resinosis, mediante spiritu vini parantur, & hac ratione remedia non pauca præsertim purgantia tuto propinantur. Sed si vis non a simplici pendet resina, medicamenti actio imperfecta erit.

5. Externe in hæmorrhagiis usurpatur atque coagulando humores, ac destruendo fibrarum irritabilitatem operatur.

## Æ T H E R.

Est productio artificialis, per distillationem spiritus vini rectificatissimi, cum acido Vitriolico, Nitroso, Muriatico, vel Vegetabili concentrato.

*Proprietates chemicæ.*

1. Odoris fragrantissimi.
2. Fluidorum omnium maxime levis, volatilis, inflammabilis, subtilis.
3. Nec aqua, spiritu vini, nec liquoribus acidis, vel alkalinis conjungitur.

*Proprietates Medicæ.*

1. Inter præcipua antispasmodica & sedativa recensetur; nullam tamen utilitatem in morbis convulsivis attulisse, numerosæ observationes testantur.

2. Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni in curatione febrium intermittentium summam efficaciam laudavit *D. Debois in Comm. Acad. Medic. Paris.* pro anno 1776. p. 286.

Ejusdem remedii inutilitatem expertus est *Cl. Home* in suis observationibus Clinicis.

3. In compositione ætheris, acidi vis a spiritu vini penitus mutatur, hinc inter remedia obsoleta locum meretur.

# METALLICA.

## ARGENTUM VIVUM.

### Synonyma.

*Mercurius. Hydrargyrum.*

### *Proprietates chemicæ.*

1. Post aurum ponderosissimum.
2. In igne volatile.
3. Metalla & semimetalla plurima, caloris, vel triturationis ope solvit.
4. Maxime divisibile est.
5. Balsamis, sulphure, vel corporibus unctuosis per trituram uniri potest.
6. Leni igne per menses continuato calcinatur; unde *Mercurius calcinatus*, vel *præcipitatus per se*.
7. Agitatione diuturna in pulverem mutatur.
8. In acidis mineralibus solubile.

Gravitate specifica gaudet 14, 110, metallis fragilibus irrito adnumeratum; nam frigore 380 graduum rigescit & in hoc statu malleo obedit, fere uti plumbum. Quum autem tanta caloris privatio in nostro globo rarissime, nisi per artem sit obvia, cur fere semper liquidum, vel potius fusum maneat, mirari desinamus. Acidum nitri facillime solvit; vitriolicum ebullitione est juvandum, & muriaticum omnino nihil valet, nisi antea in centenario phlogisti quantitas, 74 circiter æquivalens, auferatur. Respectu autem attractionis, qua hæc portio retinetur, hydrargyrum quarto loco est collocandum, hoc est ignobilibus validius, nobilibus autem debilius.

Hydrargyrum *nativum*.
*Cronsted min.* §. 217.

Num

Num revera omni careat inquinamento metallico, mihi nondum experiri licuit. *Bergm. scia.* §. 172. 173.

*Proprietates Medicæ.*

Naturam mercurii & præparationum mercurialium veram activitatem, oportet ut Medici recte intelligant.

1. Specificum medicamentum præbet in lue venerea recentissima & confirmata; dum omnia adauctæ tenacitatis in lympha adsunt signa.

2. Periculosissimum contra est mercurium propinare dum lymphæ tenacitas in corruptionem transit, & scorbutum venereum gignit.

3. In phthisi pulmonali, etsi morbus a lue celtica oriatur, a mercurialibus omnino abstinendum.

4. In magnis ac diuturnis organorum abdominalium obstructionibus, uti in Hepatis & Lienis duritie utillimum est unguentum mercurii regionibus affectis confricare. Orientales in Hepatitide, acuto nempe morbo, hoc præsidio utuntur.

5. Externus mercurii usus, cæteris paribus, usui interno, semper anteferendus; hinc frictiones semper, reliquæ præparationes, rarissime adminiftrandæ sunt, præsertim in Lue Venerea; nam hic morbus lymphæ œconomiam perturbat, & in glandulis conglobatis sedem habet. Hinc ubi mercurius cuti applicatur, a lymphaticis absorbetur & recta lympham ipsam glandulasque lymphaticas ingreditur; atque ad partes internas & organa, quæ omni labe venerea carent omni fere activitate spoliatus pervenit. Contrarium accidit ab usu interno; ventriculus enim qui sanus est & intestina perfecte constituta primariam noxiamque mercurii actionem persentiunt; glandulæ vero lymphaticæ, quæ venenum venereum retinent, inertissima substantia, nempe mercurio penitus effæto saturantur.

6. Mercurialia salina omnium præstantissima & tutissima sunt, quia majorem cum veneno venereo affinitatem habent; ideo unguentum antivenereum ex sublimato corrosivo compositum, reliquis præparatio-

tionibus anteferri debet; nam salivationem avertit & tantum per urinæ vias operatur.

7. Solutio mercurii in saliva, non est inventum D. Plenk. Pott. Diss. Vol. 1. p. 103., ubi ait. *Paulo antea loquuti sumus de methodo qua Helswing aurum dissolvere solebat ope triturationis cum saliva; scimus etiam quod Dippelius mercurium mutabat in substantiam diaphoreticam fixam ope triturationis cum saliva; trituratio hæc renovabatur pro necessitate.* Pott. l. c.

8. Salivatio inter noxios mercurii effectus recensenda, nam palliativam semper curationem gignit, atque non veneni venerei, sed naturalium præsertim humorum damnosam evacuationem affert.

9. Cum opio conjungitur pro efficaciori & certa luis celticæ curatione; immo multi opio tamquam specifico per se, in memorato morbo utuntur. Hoc vero ex parte verum est. *Mercurius calcinatus per se, cum parva opii quantitate trituratus componit pilulam efficacissimam, quæ convenit cum stomacho & intestinis. A longo jam tempore mercurius, cum opio miscetur, pro curatione morbi venerei, immo nonnulli opio simul & mercurio curationem tribuunt. Opium vero caute adhibere oportet, non enim in omnibus temperamentis proficuum est, immo nonnunquam debilitatem & spasmos inducit.* Hunt. morb. ven. p. 372.

10. Mercurii usum internum utillimum in Trismo expertus est D. Home *in experimentis clinicis.*

11. Mercurius aliquando sudorem, sæpius, uti dictum est, salivationem promovet; secunda hæc evacuatio cohibenda aut avertenda, vel ob sensibilem quam affert molestiam, vel quia mercurium prompte extra corpus educit, adeoque medicamenti efficaciam imminuit. In hoc casu cortex Peruvianus, non sine magna utilitate administratur. *Hunt. morb. ven.* 385.

De

*De mercurii actione in corpore humano*. Ex Hunt, *morb. ven.*

Triplici fortasse ratione mercurius operatur in Lue Venerea. 1. Chemice copulari cum veneno venereo, hujus decompositionem gignere, atque hac ratione qualitates irritantes ejusdem veneni debellare potest. 2. Morbi causam mediante præcipua aliqua evacuatione extra corpus eliminare potest. 3. Novi generis irritationem, venereæ irritationi oppositam in corporis Œconomia excitare potest, atque hac ratione causam morbificam evertere. Ut vero modus actionis intelligatur, non pauca sunt hoc in loco adnotanda. Et primo mercurius in humoribus corporis perfecte dissolvitur. Ut vero hujus doctrinæ veritas confirmaretur, quæ sequuntur experimenta in memetipso instituenda curavi. Parvam mercurii currentis quantitatem supra linguam, usque ad solutionis terminum, nempe usque ad saporis perceptionem detinui. Postea eadem ratione mercurio calcinato usus sum, atque supra linguam detinui usque quo saporem animadverti, qui priori simillimus erat. Observavi tamen hanc calcem facilius dissolvi, quam mercurium crudum. Eadem ratione expertus sum *Calomelanum* & *Sublimatum corrosivum*, prævia solutione in aqua, & eundem semper saporem animadverti; paulo citius vero quam mercurii crudi saporem persenseram, calcis & calomelani saporem obtinui. *Ex sublimato corrosivo* saporem primo mixtum, sed post acidi solutionem, sensationem reliquis perfecte analogam habui; omnes itaque modo memoratæ præparationes similem in ore saporem excitabant. Adnotatis experimentis evincitur, quod singulæ mercurii præparationes saliva solutæ erant & unicam præparationis, sive solutionis speciem constituebant. Ut detegerem num mercurius intra corpus susceptus, similem in lingua saporem gigneret, femora mea unguento mercuriali confricavi, usque quo os afficiebatur, & tunc saporem mercurii perfecte animadverti, quantum memi-

mini, sapori præcedentium experimentorum, simillimum.

Certo temporis spatio elapso, usque ad perfectam oris sanationem, & integram saporis mercurialis dissipationem, pilulas *Calomelani* ingurgitavi usque ad ejusdem saporis perceptionem. Assumsi deinde *mercurium calcinatum*, & *sublimatum corrosivum* semper cum eodem successu; mercurius enim varia sub forma adhibitus analogum saporem conſtanter præbuit. Allata modo experimenta oſtendere videntur, quod mercurius dum evacuationem per os gignit, certe hac via extra corpus fertur, atque inde pro certo concludi poteſt, quod si dum in corpore reperitur alias evacuationes gignit, nempe diarrhæam, sudorem vel copiosissimum urinæ fluxum, hujusmodi evacutionibus tanquam totidem fonticulis natura utitur. His etiam positis experimentis parum interesse videtur, hac vel illa mercurii præparatione utamur, pro evacuatione morbi venerei, dummodo mercurius facile in humoribus noſtris solvatur. Hinc præparationes, quæ facilius solvuntur, reliquis anteferendæ.

Hæc sunt in universum doctrinæ ab Huntero propositæ. Nos qui sublimatum corrosivum externe adhibitum reliquis antecellere mercurialibus non dubitamus, peculiaribus argumentis propriam praxim in opere de lue venerea illustrare & confirmare conati sumus.

PLUM-

# PLUMBUM.

## Saturnus.

### *Proprietates chemicæ.*

1. Calcinatione majus acquirit pondus.
2. Stanni calcinationem promovet.
3. In cineres citius redigitur adhibito sale communi.
4. Modico in calore fusile eſt.
5. In acido nitroso aquæ æquali portione diluto, prompte solubile; in aliis acidis difficilius.
6. Per acida omnia in cerussam corroditur.
7. Poſt aurum & argentum ponderosissimum.
8. Poſt calcinationem in oleis solvitur.

Gravitas specifica 13, 352, maxima ignobilium. Acidum nitri optime solvit, muriaticum difficilius, & ægerrime vitriolicum, quum vitriolum ortum aquam respuat, ideoque metallum solvendum incruſtet. Debilissima vegetabilium acida etiam suscipiunt, in primis calcinatum, dulcem adquirentia saporem. Phlogiston in centenaria removendum ut solutio locum habeat, qua copiam per 43 indicari poteſt, quæ minor eſt quam in ullo alio metallo. Hinc intelligitur cur calx plumbi parcissimo inflammabili reduci queat. Ratione virtutis illud retinentis, locum decimum occupat. Calore 313 funditur.

Plumbum nativum num reperiatur adhuc dubitant plerique Mineralogi. *Bergm. Sciagr.* §. 179.

*Proprietates Medicæ.*

1. Plumbum cum calcibus suis non adhuc solutis, nullam insignem habet medicamentosam qualitatem. Calces vero plumbi in oleis solutæ, si externe applicantur, antiphlogisticam & exsiccantem activitatem habere creduntur. Cum acidis vegetabilibus combinatæ hanc vim insigniter nanciscuntur; & si interne assumuntur vim ſtipticam vehementem & periculosam acquirunt. *Pharm. Angl.*

2. Colica saturnina, oleo Ricini eradicative curanda, quæ cum artuum præsertim inferiorum paralysi conjungitur, ab usu interno Plumbi ortum ducit.

3. Remedia saturnina, quæ refrigerantia sunt & anti-inflammatoria activitate pollent, siderando & deſtruendo partium irritabilitatem operantur, & ideo frigus inducunt. Hac proprietate gaudent calces omnes metallicæ cum acidis combinatæ.

4. Ipsa etiam celebratissima aqua vegetabilis mineralis D. Goulard valde exsiccans & certa cicatrisandi qualitate prædita, in ulceribus valde expansis suspecta eſt.

5. Saccharum saturni in gonorrhæa adeo laudatum, uti & in ophthalmia etiam pertinaci, si interne assumitur, dolores intestinales acutissimos gignit, & tabem inducit.

Hoc tantum observare debeo, quod D. Akin videtur exiſtimare, nempe salinas plumbi præparationes, quæ externe applicantur, nunquam adeo abundanter a corpore suscipi, ut tantopere generalem habitum afficere possint, quantum vulgo operatur, si per os suscipitur, vel ubi vapores plumbi applicantur. Verum D. Percival protulit observationem, quæ suadere nobis videtur sententiam D. Akin falso fundamento inniti; & admodum probabile videtur, quod etsi plumbum integræ superficiei applicatum, nunquam tanta copia corpori communicari possit, ut universæ animali œconomiæ damna afferat; attamen dum ulcera-

tæ superficiei applicatur, quæ promiscuam sustinere absorptionem poteſt, tanta copia absorberi poterit, ut generalis corporis perturbatio oriatur. *Cull. mat. med.*

6. Extractum saturni quamvis proprietatem coagulandi succos animales possideat, num hoc præsidium præservare hominem possit a contagio venereo, nequit determinari; nam poterit quidem coagulare venenum venereum, & tamen activitatem suam intactam servare. *Hunt. morb. ven.* 404.

## CUPRUM.

### Venus.

*Proprietates chemicæ.*

1. In omnibus fere menſtruis solubile.
2. Igne fortiori candescens fluit.
3. Poſt aurum & argentum ductilissimum.
4. Corporibus metallicis omnibus uniri poteſt.

Gravitas specifica 8, 876. Acidum nitri egregie solvit, muriaticum tarde & vitriolicum intensa ebullitione eſt juvandum, antequam phlogiſton impediens tolli queat, cujus quantitas per 312 in centenario, more in præcedentibus consueto, exprimitur. Debilissima vegetabilium acida illud etiam adgrediuntur, præsertim calcinatum, nec non alkalia, in primis volatile. Respectu vis, inflammabile retinentis, cupro octavus competit locus. Calore æquali 788 grad. liquescit. *Bergm. l.* 2. §. 188.

Cuprum *nativum*. Cronſt. miner. §. 193.

### *Proprietates medicæ.*

1. Cuprum semper suspectum eſt, nam interne assumtum ſtomachum afficit, doloresque acutissimos generat.

2. Vitriolum veneris commendatur in Phthisi pulmonali, quia vomitum inducit & pulmones repurgat. Activitas vero semper incerta eſt, sæpe noxia.

3. Præparatio illa quæ appellatur Ens *veneris* vires possidet Martiales, uti infra patebit.

4. Excharotica ex cupro parata, & tincturæ cupri a Boerhaavio commendatissimæ e noſtra praxi prorsus exularunt.

## S T A N N U M.

### *Propietates chemicæ.*

1. Igne facillime funditur.
2. In acido nitroso promte solubile.
2. In acido vitriolico difficulter.
4. Per acidum vegetabile corroditur.
5. Inter metalla specificæ gravitatis minimæ.
6. Poſt plumbum mollissimum.
7. Aliis metallis commixtum, illorum ductilitatem deſtruit.

Gravitatis specificæ 7, 264. Acidum salis, nec non vitrioli, aqua regia, & acetum solvunt, si rite adhibentur, sed nitrosum, præsertim forte, adeo vehementer adgreditur, ut brevi in calcem insolubilem corrodatur metallum. Quantitas phlogiſti necessario auferenda, ut solutio fieri possit, per 114 designatur, & tanta vi retinetur, ut ſtanno nonus competat locus. Excepto hydrargyro facillime fluit, non nisi gradum + 213 requirens. *Bergm. Scia.* §. 267.

### *Proprietates medicæ.*

1. Inter medicamenta uterina & pulmonalia olim collocabatur. In ſtomachi debilitate etiam hoc tempore apud nos adhibetur calx ſtanni & antimonii, nomine *Antihectici Poterii*.

2. Vires habet anthelminticas pulvis ſtanni, qui tamen abundanter propinari debet. Activitas pendet ab Arsenico, quod semper ſtanno admixtum reperitur. *Phar. Angl.*

## F E R R U M.

### *Mars.*

### *Proprietates chemicæ.*

1. Magnete attrahitur.
2. Minime inter metalla malleabile.
3. Maxime elaſticum.
4. Igne intensissimo funditur.
5. Aeri humido expositum corroditur.
6. In acidis omnibus atque alkalinis solubile eſt.
7. Poſt ſtannum levissimum.

Gravitas specifica 7, 800. Omnia acida hoc metallum facile suscipiunt, vitriolicum autem dilutum sit oportet, alias sine ebullitione, ad siccum fere continuata, nihil efficitur. Phlogiſton in centenario ferri ductilis removendum, secundum experimenta hactenus inſtituta, per 342 designari poteſt, & adeo debili vi retinetur, ut hoc metallum cum paucis aliis undecimum seu ultimum tenet locum. Fusioni intensus caloris gradus eſt necessarius, nempe 4 872, si juſta eſt huc usque usitata comparatio Thermometri Mercurialis cum metallico MORTIMERI, gradibus 4 566 ignitum rubet. *Bergm. Scia.* §. 197.

*Pro-*

*Proprietates medicæ.*

1. Inter roborantia, adſtringentia, sed ſimul aperientia recenſetur ferrum cum variis præparationibus ſuis. Majori tamen ſemper cum utilitate uſurpantur martialia in acido vegetabili ſoluta. Hoc enim in ſtatu terra metallica phlogiſto magna ex parte ſpoliata, tenaciſſimam lympham, craſſosque humores diſſoluit; circulationis momentum omnesque ſecretiones adauget, ac prompte obſtructiones tollit.

2. Ferrum acido aereo ſolutum, quia valde diviſum & attenuatum, magnam habet efficaciam. Hinc ſalutares admodum ſunt aquæ acidulæ martiales in menſium defectu, ſtomachi debilitate & ſimilibus.

3. A Ferro abſtinendum in frigida anni tempeſtate, tunc enim ſolida corporis nimis rigida; vitioſam ſoliditatem a ferro accipiunt; & vasa minora impervia ſunt. Vere igitur & fortasse magis autumnali tempore martialia adhibenda ſunt, quia tunc magni motus a natura pro animalis Œconomiæ beneficio excitantur. Corpora ſiquidem pervia & fluida redduntur.

4. De Magnetis efficacia inſigni in dentium dolore *Vid. Memor. Ac. Medic. Paris. An.* 1776. *p.* 281. ubi reperitur obſervatio D. Thouvenet.

5. Satis obvium eſt exhibere metallum genuinum, limatum, in pulverem ſubtilem redactum, cum optimo effectu, tanquam remedium. Hoc vero nullo modo haberi debet pro exceptione regulæ generalis; certi enim ſumus in ſtomacho humano conſtanter reperiri certam quantitatem acidi, a quo ferrum diſſolvitur. Atque hoc probatur, quia nunquam novimus ferrum exhibitum fuiſſe in metallico vel levioris corroſionis ſtatu, quin fæces nigras reddiderit; quod juxta noſtram ſententiam, præviam ſolutionem ferri in acidis ſupponit. *Cull. mat. med.* 2. 21.

6. Quemadmodum Tincturæ ferri, partem metallicam deponunt forma ſedimenti; ad hanc præcaven-

 dam

dam mutationem D. Black tincturam ferri existimavit parandam esse e squamis ferri, nempe parte metalli phlogisto destituta, quæ ob hanc rationem arctius cum acido conjungitur. *Cull. l. c.*

## Z I N C U M.

### *Proprietates chemicæ.*

1. In acidis omnibus solubile.
2. Igne in flores sublimatur.

Gravitas specifica 6, 862. Omnia acida solvunt facile, & cum effervescentia, quod huic metallo principium inflammabile laxissime inhærens innuit, uti etiam supra dudum notatum est (§. 219.). Ejus autem e centenario removenda quantitas per 182 designatur. Calore 4 371 graduum liquescit, &, hoc paullum aucto, inflammatur metallum, flores spargens altos. *Bergm. Scia.* §. 232.

Zincum *calciforme*, phlogisto simpliciter spoliatum D. Bergman l. c. *est Lapis calaminaris.*

Pro-

## *Proprietates Medicæ.*

1. Flores Zinci a grano uno usque ad quadraginta exhibui bis quotidie. Mea quidem experimenta hujus medicamenti satis utiles vires antiepilepticas, minus vero antihyſtericas declarant. Quamvis doses largiores videantur, innoxiæ tamen fuerunt. In genere nauseam inducit, raro alvum solvit, sæpe sudorem gignit, aliquando etiam nullum sensibilem effectum oſtendit. *Home cl.* 208.

2. *Cl. Cullen in mat. med.* 2, 30. Florum Zinci inutilitatem, pro curatione epilepsiæ primo exponit. pag. 29. dein addit: In remotis provinciis, ubi flores Zinci obtineri non poterant, sæpe vitriolum album adhibui, ac in nonnullis casibus eodem cum effectu ac flores Zinci. Ab hoc argumento discedere nequeo illa animadversione poſthabita, nempe ab experimentis D. Hellot manifeſtum esse Zincum ad certam quantitatem intra corpus susceptum vehementissimi veneni vires exercere; practicisque considerandum relinquo, quanta cum prudentia incedendum in diuturno usu medico Zinci.

Nos nulla adhuc cum floribus Zinci experimenta in epilepsia & convulsionibus hyſtericis inſtituimus.

## ANTIMONIUM.

### *Stibium.*

### *Proprietates chemicæ.*

1. In aqua regia solubile eſt.
2. In acidis aliis difficulter & imperfecte.
3. Igne sublimatur in flores.
4. Sulphure conjunctum, vel cum nitro ex parte calcinatum, activitatem suam virulentam magnopere deponit.
5. Calcinatione fortiori, phlogiſto in integrum spoliatum, in calcem mutatur inertem, ponderis incrementum acquirentem.

Gravitas specifica 6, 860. Aqua regia egregie solvit, acidum vitriolicum ebullitionem requirit, muriaticum & acetum parum vel nihil valent, nisi præcedat idonea calcinatio; nitrosum autem ita corrodit, ut dein solutionem respuat. Phlogiſti saturantis copia, quæ e centenario solvendi auferri debet, per 122. indicatur, & respectu pertinaciæ, quo retinetur, Antimonio sextus competit locus. Gradibus caloris + 432 funditur. *Berg. Scia.* §. 237.

*Proprietates Medicæ.*

1. Quæ de Antimonio crudo præparato, nempe in pulverem tenuissimum redacto prædicantur in morbis cutaneis, in ipsa scabie, morbo venereo, & viscerum abdominalium obstructionibus, fere semper in praxi falsa reperiuntur. Immo sæpe post longum pulveris Antimonii usum internum, molestissimis ulceribus integra corporis superficies obducitur.

2. Tartari stibiati, sive tartari emetici vires, vomitoriæ, catharticæ & diaphoreticæ prorsus singulares. Nec ullum ab hac præparatione damnum oritur, si doses parvæ repetito fluidisque tepidiusculis conjunctæ propinantur.

3. Calces Antimonii uti Antimonium diaphoreticum lotum, Stibium fixum, Cerussa antimonii &c., inter perfectas inertissimas calces ab omnibus fere practicis collocantur; quia Antimonium in deflagratione cum nitro omnes partes regulinas, quibus tantummodo remedii activitas inhaeret, integre amittit. Nos vero in numerosa praxi calces memoratas valde proficuas deprehendimus in morbis lentis, lymphaticis, & mere phlogisticis. Activitas certe pendet ab affinitate quam calces Antimonii dephlogisticatæ exercent, cum causis morbosis, quæ a tenaci phlogistico humore oriuntur.

4. Ob eandem rationem calces Antimonii in lue venerea utilimæ sunt; lympha enim in morbo venereo tenacissimo viscidoque phlogisto abundat.

5. Emeticorum Antimonialium actio vehementior, jusculis pinguibus, ipsoque oleo compescitur.

6. Stibii diaphoretici & Cerussæ Martialis administratio, copiosam sæpe affert salivationem: hæc vero nunquam in ore, vel faucibus ulcera gignit. Quomodo a calce metallica, non mercuriali memoratus oritur effectus? Calces omnes metallicæ cum substantia salina conjunctæ salivationem afferre possunt. Fortasse facilius hoc accidit ubi copulantur cum alkali; uti evenire so-

solet cum saliva ; tunc enim ſtimulum in ore & salivationem gignunt. Ubi calces metallicæ cum residuo acidi mineralis conjunctæ reperiuntur, tunc non solum salivationem excitant, sed etiam corrosivæ redduntur, uti e. gr. accidit cum mercurio præcipitato rubro aliisque. Cl. Hunterus quum mercurium præcipitatum rubrum ulceribus applicaret, salivationem oriri vidit. Igitur activitas salivationem gignendi nullo modo ad mercurium exclusive pertinet. Salivatio contra nascitur, quia mediante subſtantia salina calces in salem metallicum mutantur.

6. Antimonialia, cæteris paribus, reliquis mineralibus remediis anteferenda sunt, si adeſt indicatio, quia facile succis animalibus miscentur & per totum corpus feruntur. Hinc in medicamentorum universalium Classe collocanda.

Reliqua ad usum antimonii pertinentia suo loco illuſtranda sunt.

# T E R R E A.

## TERRÆ ABSORBENTES.

Synonyma.

*Terræ alkalinæ.*

*Terræ calcareæ.*

---

*Proprietates chemicæ.*

1. Cum acidis effervescunt, solvuntur, atque aciditatem eorundem deſtruunt.
2. Igne in calcem abeunt, exceptis cancrorum oculis, & cornu cervi calcinato.

*Proprietates medicæ.*

1. Terræ omnes absorbentes alkalinæ simpliciter usurpatæ laudantur in morbis ſtomachi, ab acido præternaturali ventriculi ortis. Tunc ab acido morboso cum terra alkalina copulato, salis neutri leniter cathartici species componitur. Verum absorbentes terræ, uti magnesia, raro optatum effectum gignunt, & potius noxiæ sunt. Hujusmodi terræ tempore effervescentiæ cum acido aliquo ingurgitatæ, in calculorum comminutione laudantur. Fruſtra tamen remedium a nobis adhibitum fuit. De calcis, & præsertim de aquæ calcis usu, infra disserendum.

TER-

## TERRÆ ARGILLACEÆ.

### *Proprietates chemicæ.*

1. Nec cum acidis effervescunt; nec in menstruis quibuscumque solubiles.

Simplices terræ argillaceæ nullum in medicina usum habent.

## AQUA COMMUNIS.

### *Proprietates chemicæ.*

1. Sales, gummi, mucilagines, gelatinas dissolvit.
2. Spiritibus vinosis miscibilis.
3. Oleis essentialibus per distillationem uniri potest.
4. Cum acido aereo insignem habet affinitatem.

### *Proprietates Medicæ.*

1. Inter alimenta primum, dein inter medicamenta principem tenet locum aqua purissima, quantum fieri potest alienis substantiis libera, quod rarum.
2. Aquæ potabiles salutares; œconomiæ animalis, nempe circulationis, motus muscularis & secretionum fundamentum constituunt.
3. Aquæ argillaceæ stomachum relaxant, coloris defædationem, ventris intumescentiam & febres intermittentes gignunt.
4. Copiosius ingurgitata aqua substantias salinas attenuat, perspirationem adauget, congestiones organicas avertit.

5. Bal-

5. Balnea diversa ratione temperata aquam penitus immutatam corpori committunt, inflammationem avertunt, & damnosum sæpe calorem imminuunt. Frigidissima balnea universo corpori insignem firmitatem procurant.

6. Aquæ gelidæ potus assiduus & copiosus, in nostra praxi primarium componit curationis fundamentum; atque sagaciores medici, hoc tantum præsidio, atque unico hoc alimento in acutissimis morbis utuntur.

# PRÆPARATIONES

## SIMPLICIORES TERREORUM

### *Aliorumque, quæ aqua non dissolvuntur corporum præparatio.*

Ab elementari Chemia Pharmaceutica, quæ singularum substantiarum medicinalium attributa persequitur proprietatesque ostendit, transeundum modo ad præparationum pharmaceuticarum descriptionem; variæque indicandæ sunt methodi in compositione medicamentorum magis usitatæ magisque proficuæ. In hac vero operis parte non parum a generali medicorum consuetudine recedendum erit. Inutilia enim sanæque rationi opposita ableganda; ejusdem naturæ remedia sæpius multiplicata ad unicam præparationem redigenda. Syrupis, emplastris, pulveribus absorbentibus, salibus neutris proprii arctioresque limites assignandi sunt; medicina enim non empiricorum, sed incomparabilis & divina Philosophorum scientia, ab erroribus præjudicatisque opinionibus liberanda est.

Præparatio a Medicis dicitur essentialiter substantiæ alicujus siccæ, duræ, lapideæ vel terreæ, vel rursum substantiæ crassæ prævia exsiccatione in pulverem tenuissimum & impalpabilem reductio, sive comminutio.

PRIMUM pulverentur hæc corpora in mortario, deinde lævigentur in pulverem subtilissimum super marmore expolito, & duro cum paullula aqua, & postea exsiccentur super lapidem cretaceum, denique in loco tepido seponantur, vel saltem probe sicco per aliquot dies.

*Comminutio est simplex reductio corporum solidorum & cohærentium, in parvas particulas, sive pulve-*

*verem. Diversa ratione, nempe juxta diversam subjecti texturam, comminutio absolvitur.*

*Corpora sicca friabilia, vel illa quæ facile rumpuntur, nec multum dura sunt, & horum mixturæ cum humidioribus aliis, facile in mortario* pulverisantur. *Dum agitur de levissimis, resinis & radicibus tenacioris consistentiæ in nonnullis casibus oportet mortarium antea cum pauco oleo dulci inungere; vel paucæ olei guttæ, pro re nata, adiici possunt; hoc prohibet in primo casu subtilissimi pulveris dissipationem & in altero adhæsionem substantiarum superficiei ipsius pistilli. Camphora admodum commode in pulverem redigitur si confricatur mortarium cum spiritu vini rectificato, vel vino.*

*Substantiæ duræ nonnullae, uti ligna, cortices aurantiorum & limonum, magis convenienter radula conteruntur; atque mollia oleosa corpora traiiciuntur per craticulam. Duriorum mineralium comminutio, uti lapidis calaminaris, crystallorum, facillima redditur* Extinctione; *nempe ipsismet candefactis, ac dein in aqua extinctis; hac operatione per paucas vices repetita, multi durissimi lapides* pulverisabiles *redduntur. Hac tamen methodo minime tractari debent lapides alcalescentes vel calcarei, nam loco pulveris insipidi acerrima gignitur calx viva.*

*Metalla nonnulla, uti stannum, quamvis in statu naturali valde cohærentia, dum calefaciuntur insigniter fragilia redduntur, adeo ut diligenti agitatione in parvas particulas dividi possint. Hinc orta methodus officinalis* pulverisandi *stannum, ope fusionis primo, atque statim ac in naturalem soliditatis statum denuo transire incipit, celerrima agitatione in pyxide lignea. Comminutio metallorum, quæ hac ratione perficitur a metallurgis appellatur* GRANULATIO.

*Simili principio nonnulli sales, uti nitrum, magna copia in pulverem redigi possunt; dissolvuntur in aqua fervida, & collocata solutione super ignem moderatum, sal tempore exsiccationis constanter*

*ter agitatur, ne particulæ ope fluidi sejunctæ, in massas majores simul coalescant.*

*Pulveres ad maximum subtilitatis gradum perducuntur mediante* TRITURATIONE, *nempe triturando per longum tempus in mortario. Qui vel in aqua indissolubiles sunt pulveres, vel mixtione cum hoc fluido pervertuntur, cum aqua humectantur & pultaceam consistentiam acquirunt.* LÆVIGANTUR, *vel conteruntur supra marmoream vel ferream satis politam superficiem; vel si magna quantitas uno tempore parari debet mulino huic operationi addicto.*

*Comminutio, quamvis sit omnium simplicissima operatio pharmaceutica, in multis tamen casibus, admodum considerabiles habet effectus. Purgantia resinosa, ubi subtiliter triturantur, facilius dissolvuntur in fluidis animalibus, hinc magis cathartica evadunt, & minus irritantia, quam si crassiora sunt. Antimonium crudum, quod, ubi in pulverem mediocriter subtilem redigitur, parvi momenti vires medicinales ostendit, si lævigatur usque ad magnum subtilitatis gradum, summam alterandi efficaciam in multis chronicis morbis acquirit.*

*Mediante comminutione corpora ponderosissima levissimis fluidis innatantia reddi possunt* (1). *Per lon-*

---

(1) *Nonnulli hunc effectum tribuunt imminutioni gravitatis specificæ corporis; atque eodem tempore existimant peculiares facultates nonnullorum medicamentorum, præsertim mercurii, magna ex parte repetendas esse ab illorum gravitate. Si hujusmodi hypotheses veræ essent, sequeretur quod præparationes mercuriales, ob tenuissimam comminutionem, servata proportione propriam efficaciam amittere deberent; atque ita profecto de mercurio dulci arbitratum est. Experientia tamen ostendit, hoc a veritate prorsus alienum esse, nam comminutio non modo imminuit, sed contra efficaciam potius adauget. Ubi in magnum subtilitatis gradum redigitur, prompte corpus ingreditur, &*

*longum vel breve tempus, juxta majorem aut minorem tenuitatis gradum. Hinc optimam habemus regulam qua distinguitur tenuitas nonnullorum pulverum, & methodum separandi partes subtiliores a crassioribus, quæ dignoscitur nomine* ELUTRIATIONIS *nempe ablutionis*. Dispens. Angl. pag. 54.

Juxta regulas modo propositas in pulverem redigenda sunt

Ærugo,
Antimonium,
Chelarum cancrorum apices,
Corallium,
Creta,
Lapis Bezoar, qui inter lævigandum spiritu vinoso humectetur.
Lapis Calaminaris ab iis, qui Orichalcum conficiunt, calcinatus,
Lapis hæmatites.
Margaritæ,
Oculi dicti cancrorum,
Ostreorum testæ, (a sordibus prius purgatæ),
Ovorum testæ, membrana adhærente prius coquendo separata,
Succinum,
Tutia.

In Antimonio, lapide calaminari, & tutia cura singularis adhiberi debet, quo in pulverem quam maxime subtilem redigantur.

Lapis Bezoar, Lapis hæmatites, margaritæ & oculi cancrorum inertissimæ sunt substantiæ & prorsus ejiciendæ.



---

*& operatur ratione suæ quantitatis, modo uti medicamentum alterans, modo uti sialagogum; in crassiori contra forma stomachum & intestina irritare solet, atque per intestina excurrit, neque sanguinem ingreditur.*

## AXUNGIÆ PORCINÆ,

### *Sevique Ovilli curatio.*

In frustula concisa leni igne liquentur aqua adjecta; deinde colando, a membranis separentur.

Axungia nunquam per se medicamentosa curari, nempe ab omnibus liberari debet impuritatibus, quia admodum necessaria est in compositione multorum unguentorum, præsertim mercurialium. Verum qualitates axungiæ majoris momenti pendent a dulci vel rancida ejus conditione; uti enim bene curata & dulcis axungia optimum & innocuum suppeditat vehiculum mercurio, ita si rancida est acri suarum particularum activitate cutim stimulat, & fortasse remedii naturam mutat. Linimentum sulphuris, adversus scabiem, si cum axungia rancida paratur morbum cutaneum magnopere adauget.

## AXUNGIÆ VIPERINÆ

### Curatio.

ADIPEM ab intestinis separatum, lento igne liqua; deinde per linteum tenue exprimendo cola.

Adipis viperini usus externus præsertim in ophthalmia magnopere commendatur. Ideo axungia viperina basin collyrii de Tutia constituit. Sed hujusmodi adeps servari nequit absque rancescentiæ periculo, hinc semper vim habet suspectam. Idem dicendum de adipe humano, ursino, vulpino & similibus empiricorum remediis.

### MELLIS DESPUMATIO.

MEL balneo liquescat, & spuma emergens auferatur.

Purissimum & valde pellucidum in despumatione mel evadit; verum non parum suæ qualitatis una cum odore amittit.

### SCILLÆ COCTIO.

SCILLAM, cortice exteriori detracto, parteque duriori, cui radiculæ adhærent, abjecta, farina tritici subactam involve, & in clibano coque, donec farina probe siccata sit, & scilla undique fiat tenera.

Scilla officinalis in nostris oritur locis maritimis. Radix sæpe alba, rarius rubra, rotunda, lamellata, nauseosa, amara, & acerrima; si diutius manibus confricatur exulcerationem gignit. Interne assumpta stimulat magnopere, tenaces succos attenuat; sæpe dum recens est, vel abundanter ingurgitatur vomitum affert: urinas vero semper copiosissimas educit. Scillæ coctio qualitatem mutat quoad gradum activitatis; nam vires insigniter stimulantes a tenui acerrimo, alkalino succo pendent. Hæc substantia coctione dissipatur magna ex parte, minus vero exsiccatione.

Usus. Scilla est procul dubio utillimum remedium in chronicis præsertim pectoris morbis Catharro nempe suppurato, Asthmate, & Hydro-thorace. Hydropici multum scilla & scilliticis, nempe Syrupo, Oxymelle, & Aceto scillitico sublevantur; quia hoc remedio copiosissimæ urinæ obtinentur. Sed de præparatis hujus radicis suo loco dicendum fusius erit.

Statim ac scilla vomitum movet, hydropici curantur, juxta observationes Cl. Home, qui *in experimentis clinicis*, p. 358 sequentem formulam proponit.

℞. Pulveris scillæ exsiccatæ grana tria.
Salis nitri pulverati, &
Nucis moschatæ aña grana decem.
Syrupi quantum sufficit *m. f.*
Bolus.

Capiat mane & replicetur quotidie. Si hac dosi vomitus non excitatur, scillæ dosis gradatim augeri potest, utque ad grana sex, & ultra.

SCILLÆ EXSICCATIO.

SCILLAM ablato cortice, transversim in taleolas tenues seca, & lenissimo calore, exsicca.

OBS. Scilla recens linguæ fauciumque ariditatem, calorem & ruborem, nempe siccam inflammationem generat, quia principio inflammabili, particulis alkalinis tenuissimis in substantiam salinam attenuato scatet. Hæc substantia dum in plantis, uti in scilla, cicuta aliisque occurrit, semper suspecta est, & igne vel acidis emendari potest.

RHABARBARI, & NUCIS MOSCHATÆ TORREFACTIO.

TORREANTUR leni calore, donec reddantur facile friabiles.

OBS. Torrefactio semper haberi debet pro imperfecta decompositione; nam actione ignis volatile dissipatur, acre obtunditur, oleosum in empyreuma vertitur, acidum avolat; & stipticum tantummodo principium superest. Residuum igitur torrefactionis erit semper substantia plus vel minus adstringens, nempe magis vel minus noxia. Nam et i adstringentia aliquando utilia videntur, quia vel alvi fluxum, vel sanguinis sputum, & uteri hæmorrhagiam compescunt; activitatem tamen habent semper præcariam, quia immediata stiptici principii actione deficiente, statim majori vehementia morbus recrudescit.

Torrefactio, quæ hoc in loco describitur, aliquando adhiberi potest; sed contra exsiccatio, quæ dicitur ad nigredinem, inertissimum pulverem carboni simillimum præbet.

SPON-

## SPONGIÆ USTIO.

SPONGIAM ure in vase fictili clauso, donec nigrescat, & friabilis fiat; deinde mortario vitreo, vel marmoreo in pulverem redige.

Hoc remedium nunc primum in dispensatorio receptum, per longum jam tempus usurpari solebat; atque administrabatur adversus morbos scrophulosos, & cutaneas impuritates; ad dosim unius scrupuli; & ultra. Ejus facultates oriri videntur a sale volatili, prompte genito & cum spongiæ oleo combinato. Si spongia vehementiori igne distillatur, magnam præbet proportionem hujusce salis, propria forma. Sal in hac præparatione adeo evolutum est; ut si spongia usta teratur in mortario aheneo, metallum adeo corrodit; ut nauseosam & sæpe emeticam qualitatem contrahat.

Alkalino volatili principio spongiæ ustæ resolvens qualitas tribuenda est; quod etiam spongiam ad regnum animalem pertinere declarat. Rursum si scrophulæ non solum spongia sed solutione etiam salis ammoniaci nempe alkali volatili dissipantur, ab unico salino principio utriusque remedii activitas repetenda est.

## CORNU CERVI CALCINATIO.

CORNU cervi frusta urantur in furno figulorum; donec penitus albescant, deinde redigantur in pulverem eodem modo, quo cætera corpora terrea.

Terra tantum absorbens inertissima oritur a calcinatione cornu cervi; ideoque inter futilitates medicas collocanda est.

## PULPARUM EXTRACTIO.

FRUCTUS pulposi, si immaturi sint, vel maturi & sicci, coquantur paulula aqua, ut mollescant; deinde pulpam per cribrum setaceum exprime, postea in vase fictili coque lento igne, crebro agitans, ne aduratur, donec debitam spissitudinem habeat.

Item Cassiæ fistularis pulpa ex siliqua contusa excoquenda est, dein aquam evaporando, ad idoneam spissitudinem reducenda. Fructuum maturorum, & recentium pulpæ per cribrum exprimantur, nulla coctione præmissa.

OBS. Pulpæ Cassiæ, Tamarindorum &c. melius extrahuntur juxta occasionem, nam si servantur per longum tempus post extractionem acescentiam contrahunt, præsertim æstivo tempore in hac nostra calida regione.

In hodierna praxi raro medici memoratis pulpis utuntur.

## STYRACIS COLATIO.

STYRACEM Calamiten coque in aqua, donec mollescat; deinde prelo exprimatur inter laminas ferreas tepefactas, & styrax purificatus ab aqua separetur.

*Styrax calamita* ita dicitur, quia calamis includebatur pro exportatione. Substantia hæc resinosa, insigniter odorata diversas intrat Pharmaceuticas compositiones; nullam tamen habet valde proficuam aut specificam qualitatem. Distinguitur a Styrace communi ob majorem puritatem ac pelluciditatem. *Styrax* denique *liquida* diversi generis resina est, quæ in praxi nunquam adhibetur.

## OPIUM COLATUM

vel

## EXTRACTUM THEBAICUM.

℞. OPII in frustula concisi libram unam; dissolve in pulpam in aquæ bullientis Mens. Libræ unius; caute vitans empyreuma; & dum adhuc calet, forti expressione per pannum linteum, fæces separentur; denique balneo, vel alio leni calore, opium colatum, ad pristinam spissitudinem reducatur.

OPIUM paulula aqua ita emollitum, per colum transit integrum; solis fæcibus relictis; sin autem multa aqua dissolvatur; pars resinosa, a gummosa separabitur.

OBS. Ob hanc rationem melius semper erit 1. extractum Thebaicum loco Opii non defæcati adhibere, & 2. extractum potius forma solida quam nimis fluida, nempe in copioso vehiculo aquoso propinare. Separatio partis resinosæ, a gummosa prohibetur & opii activitas, quæ in ventriculo præsertim exercetur major promptiorque semper erit.

EODEM modo purificantur reliquæ gummi, Ammoniacum, Asafœtida, Galbanum & alia. Sed major aquæ copia sine damno adhiberi potest. Si resinosa pars subsidat, eximatur, & circa finem inspissationis denuo adiiciatur, ut cum reliquis gummi partibus in unam massam coeat.

GUMMI quodvis facile liquescens, quale est Galbanum, etiam purificari potest immittendo in vesicam bubulam, tenendoque in aqua bulliente, donec adeo molle fiat, ut per pannum cannabinum, a sordibus prelo exprimatur.

## MILLEPEDARUM PRÆPARATIO.

MILLEPEDÆ panno cannabino rariori inclusæ suspendantur in vase clauso, super spiritum vinosum calefactum, ut a vapore necatæ friabiles reddantur.

USUS. Insecto huic merito facultas aperiens, & non parum diuretica tribuitur, nam alkalino animali tenuissimo abundat. Propinatur hydropicis & nephriticis a scrupulo ad drachmam. Melius semper erit adhibere pulverem potius recenter paratum, quam infusum ex vino, nam substantiæ alkalinæ volatiles si diutius servantur, vel vino acidisque tractantur, proprias vires magna ex parte amittunt.

# CONSERVÆ

FOLIORUM Cochleariæ hortensis,
Lujulæ,
Menthæ vulgaris,
Rutæ;
SUMMITATUM Absinthii maritimi,
FLORUM Malvæ,
Rorismarini
Rosarum rubrarum immaturarum,
FLAVEDINIS Corticum Aurantiorum Hispalensium.

FOLIA ex pediculis, floresque ex calycibus decerpe, flavedinem Corticum Aurantiorum radula abrade; tum singula pistillo ligneo contunde in mortario marmoreo, primum per se, deinde cum sacchari purissimi triplo pondere, donec optime misceantur.

OBS. Conservæ raro usurpantur, quia succi plantarum saccharo conditi & saccharino glutine involuti nullam activitatem habent. Excipiendæ tantum sunt conservæ amaræ nempe conserva absinthii, & rosarum; prior vires possidet stomachicas, altera ob activitatem adstringendi, in uterino sanguinis fluxu commendatissima est, præsertim si cum acido nitroso copulatur. Conserva Rosarum rubrarum vitriolata si expetitur, extempore præparetur, addendo singulis conservæ unciis spiritus vitrioli acidi guttas decem.

## CONSERVA FRUCTUS CYNOSBATI.

℞. Pulpæ fructus Cynosbati maturi libram unam. Sacchari purissimi uncias viginti: MISCEANTUR, ut fiat conserva. Fructus Rosæ Cynosbati nomen habent, & pulpa replentur subadstringenti, acidiuscula. Ideo conserva Cynosbati merito collocatur inter roborantia & antiseptica.

## CONSERVA PRUNORUM SYLVESTRIUM.

PRUNA in aquam immissa, super ignem impone, ut mollescant, cautione adhibita ne rumpantur; dein exemptis ex aquâ prunis, pulpam exprime, & triplo pondere sacchari purissimi misce.

USUS. Præparatio hæc eſt leniſsimum adſtringens remedium si propinatur ad drachmas duas vel tres. Vis adſtringens variat juxta fructuum maturitatem, & juxta tempus a quo conserva parata fuit. *Pharm. Angl.*

OBS. Conservæ florum Boraginis, Malvæ, Pœoniæ, Persicorum, Violarum &c. quæ a Neapolitanis Medicis usurpantur sunt omnino fruſtraneæ præparationes.

# CONDITA.

## RADIX ERYNGII CONDITA.

RADICES coque, donec cortex facile auferri possit; tum eo ablato, per medium scindantur radices, & medulla exempta, ter quaterve aqua frigida abluantur: deinde in singulas radicum libras, accipe sacchari purissimi libras duas; quod aqua liquatum igni impone, & cum primum bullire incipit, injice radices, & coque donec tenerescant.

EODEM modo condiuntur *Angelicæ* caules, *Limonum* cortices, *Angelicæ* & *Helenii* sive *Enulæ Campanæ* radices.

OBS. Condita potius inter palati & gulæ oblectamenta, quam inter medicinalia præsidia sunt collocanda. Hæc tamen in loco recenseri debebant quia cujuscumque generis cibaria a Medico dignosci debent. Martis sive ferri saccharati compositio in variis reperitur Pharmacopœis, nullam vero præsefert peculiarem utilitatem.

## CORTEX AURANTIORUM CONDITUS.

CORTICES Aurantiorum Hispalensium recentes, in aqua sæpius mutata macera, ut amaritudinem dimittant; tum coque cum saccharo purissimo aqua liquato, donec teneri & pellucidi fiant.

EODEM modo condiuntur limonum cortices.

# S U C C I.

## SUCCI SCORBUTICI.

℞. Succi Cochleariæ hortensis M.
libras duas,
Becabungæ,
Nasturtii aquatici, singulorum M.
libram unam
Aurantiorum Hispalensium M.
uncias viginti.

MISCE, & postquam fæces subsederint, effunde & cola.

USUS. Plantis Nasturcinis, Cochleariæ, Nasturtio aquatico, Becabungæ, sive Veronicæ aquaticæ vires antiscorbuticæ insignes tribuuntur, quod quidem opponi videtur qualitatibus horum vegetabilium, quæ ácri potius alkalino quam ácido antiseptico succo scatent. Excipiendi tantum sunt cortices aurantiorum, qui oleo essentiali aromatico & tonico abundant. Cochlearia apud nos propinatur tanquam specificum remedium in Rachitide; nunquam tamen ægroti voti compotes fiunt. Denique descriptos modo succos scorbuticis præstat potius recenter expressos propinare.

## ROB BACCARUM SAMBUCI.

SUCCUS baccarum Sambuci defæcatus, leni igne inspissetur: vel

℞. Succi e baccis Sambuci maturis expressi uncias 48.

Sacchari albi uncias sex. Moderato igne & perpetuo sub motu, ad justam coque consistentiam mellitam vel paulo crassiorem: cavendo empyreuma.

VIS. eximie diaphoretica, hæmocathartica, antifebrilis. Cæterum cum *Ebulo* convenit. *Reuss.*

USUS tam celebris remedii hujus domestici ad suppressam transpirationem sine insigni sanguinis motu in febribus, hydrope, rheumatismo. *Reuss. dispen.*

OBS. Sambuci vires diaphoreticæ & antispasmodicæ pendent a qualitate narcotica, quæ detegitur foliorum odore viroso, florum fragrantia inebrianti & fructuum gustu nauseoso. Hujusmodi qualitates eminent in Ebulo, sive sambuco aquatico, cui noxia activitas merito a Botanicis assignatur. Infusum calidum florum sambuci utillimum semper in morbis rheumaticis deprehendi.

## E L A T E R I U M.

CUCUMERES agrestes maturos scinde, & succum levissime expressum trajice per setaceum tenuissimum in vas vitreatum; deinde per aliquot horas depone, donec crassiorem partem deposuerit. Pars tenuior supernatans effundatur vasis inclinatione, & quod reliquum erit, filtrando separetur. Crassiorem vero partem, quæ restat, panno linteo coopertam soli, vel alio leni calori expone, donec exaruerit.

USUS. Succus elaterii sive Cucumeris asinini drastice alvum purgat, nec raro convulsiones inducit. Fructus recens naribus admotus soporem affert, & frequenter nasalem hæmorrhagiam gignit. Tribus vel quatuor granis succi inspissati purgantur leucophlegmatici, semper tamen cum magno periculo.

# EXTRACTA, & RESINÆ.

## EXTRACTA.

RADICUM Enulæ Campanæ,
Gentianæ,
Hellebori nigri;
FOLIORUM Rutæ,
Sabinæ.

IN aqua coque, exprimendo cola & sepone, ut fæces subsidant; deinde in pilularem crassitudinem, nempe consiſtentiam decoque, circa finem caute evitato empyreumate.

EXTRACTA vero raro vel nunquam plantæ a qua extrahuntur veram qualitatem offerunt; immo fere semper similem naturam inter se possidere videntur. Empyreuma difficulter deeſt, particulæ tenues, volatiles, odoratæ dissipantur; elementa resinosa calore acria fiunt & ſtimulantia; alkalescentia in nonnullis valde crescit; saccharum si superabundat ignis actione in crassam melleam subſtantiam vertitur, uti observatur in extracto Glycyrrhizæ.

Extracta amara Absinthii, Gentianæ qualitatem simpliciter amaram possident & indiscriminatim usurpari possunt. Extracta quæ dulcia, glutinosa, & saponacea exiſtimantur uti extractum Graminis officinalis, Taraxaci &c. inertissimæ sunt, & nullo modo medicamentosæ subſtantiæ.

EX-

### EXTRACTUM GLYCYRRHIZÆ.

GLYCYRRHIZAM recentem in aqua leviter coque; aquam exprimendo cola, & poſtquam fæces subsederint, decoque, donec digitis non cohærescat, circa finem caute evitato empyreumate.

USUS. Magnopere commendatur in morbis pectoris, quia expectorationem faciliorem reddit, juxta vulgarem sententiam. Sed admodum dulcis subſtantia copiosius ingurgitata incertam pulmonibus utilitatem, certissimum contra damnum ſtomacho affert.

### EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI

Molle & durum.

℞. Corticis Peruviani in pulverem redacti P. libram unam,

Aquæ M. libras decem vel duodecim.

COQUE per unam, aut alteram horam, & liquorem effunde, qui tunc ruber erit & pellucebit; cum friget vero flavescet, & turbidus fiet; eadem aquæ mensura iterum affusa, denuo coque, ut prius, coctionem repetens, donec liquor frigefactus maneat limpidus: deinde liquores hi omnes mixti & colati ad juxtam crassitudinem, super ignem lenissimum vaporent, caute evitato empyreumate.

HOC extractum sub duplici forma præparandum eſt; molliori ad pilulas formandas apta, & duriori quo in pulverem teri possit.

EXTRACTUM PERUVIANI CORTICIS

*gummosum*, sive *siccum*. Methodo
*Garayana*.
vulgo SAL CHINÆCHINÆ *essentiale* dictum.

℞. Corticis Peruviani optime triti unc. quatuor, adfundantur Aqu. Fontan. ferventis mensuræ quatuor.

Concutiatur vas sæpius de die. Infusum coletur per chartam bibulam, horis 28 sic finitis & evaporetur igne moderato ad uncias 12 usque, quod post refrigerationem iterum filtretur. Colatum infundatur nunc patinis vitreatis bene amplis, fornaci imponendis, ut exhalet ad pulveris siccitatem, qui sub forma squamularum nitentium tandem apparet. Pulvis hic bene siccatus cultroque abrasus conservandus est in vitro optime clauso, ne aeris contactu humiditatem attrahat.

Idem est istud remedium, quod *Comes Gallus* de la *Garaye* dictus, *Sal essentiale Corticis* nuncupat, ejusque vires laudibus efferre justo majoribus, nec non magis laboriosam id conficiendi methodum, quam necessum est, in peculiari libro de hac re publicato, tradidit Ph. Brunonensis. *Reuss*. Dispens. universale.

QUÆ in petitorio Neapolitano adnotatur præparatio, Salis essentialis chinachinæ nomine, ita se habet:

℞. Chinachinæ contusæ libras duas; infundæ in aquæ pluviatilis libris sexdecim per horas triginta, quarum primis ac postremis, viminum manipulo infusionem fortiter agita; dein cola & per chartam emporeticam bis filtra. Tinctura filtrata, vitreatis patinis immissa, solis radiis exponitur, ac omni exhalata humiditate, sal in lucidas squamulas concretum, fundo adhærens cultro eradatur; atque in phiala hermetice clausa asservetur.

Eximias hujus salis virtutes nemo ignorat, ideo supervacaneum esse illas describere, putamus. *Petit. Neap. p.* 40.

VIRES. Diligenter adnotandæ erant peculiaritates, quæ in præparatione extracti sicci corticis Peru-

viani occurrunt; nam Neapolitani medici, qui raro naturam praparationum ad examen revocare & hac ratione penitus dignoscere consueverunt, ac nunquam fere rectam observationum æstimationem instituunt, miras profecto facultates imaginario sali corticis peruviani tribuunt. Primo loco prorsus erronea est doctrina, qua contenditur drachmam unam extracti vim unciis duabus C. peruviani æqualem possidere. Hoc tamen supponit essentiam corticis peruviani oriri a crassis resinosis substantiis, ignis etiam actione magna ex parte decompositis. Contra in corpore humano nutriendo, præservandoque alimentis tenuibus, fluidisque medicamentis inhærendum: experientia dein ostendit morbos febriles rarissime cortice peruviano debellari. Magis vero hoc accidit si cortici huic febrifugo particulæ volatiles penetrantes, & quæ primam stomachi actionem effugiunt, ac facillime a tenuissimis lymphaticis absorbentur, ignis actione adimuntur. Resina vero, quæ fortasse non parvam pro actione corticis symbolam confert, in acrem, urentem, empyreumaticam substantiam transit. Ab hac procul dubio mutatione pendet sicca illa inflammatio partium internarum, quæ sequitur copiosam extracti & salis corticis peruviani exhibitionem. Quid plura! Si vires plantarum in ægritudinum curatione tentandæ sunt, plantæ vel plantarum partes integræ nullaque præparatione decompositæ adhiberi debent: ac si unquam naturalis constitutio mutanda, decoctio tantum commendari debet; nam mediante frigida, fervidaque aqua, pro re nata volatiles, odoratæ, penetrantesque, & ideo magis medicamentosæ particulæ obtinentur. Sed de his fusius alio in loco.

## EXTRACTUM CHAMÆMELI.

℞. Florum chamæmeli quantumvis. Infunde in aqua fontis ad supereminentiam quatuor digitorum, per noctem loco calido, mane ad medietatis consumptionem bulliat. Quod remanet per prelum exprime, ac expressum evaporare sine ad extracti consistentiam

in fine addendo parum spiritus vini defæcati, conservationis causa.

*Easdem chamæmeli habet vires minori dose sumptum.*

*Datur à scrupulo ad duos, & ultra*. Petit. Neap. 22.

Hoffmannus chamæmeli flores, efficacissimum ac simul tutum remedium adversus febres intermittentes, esse existimavit. Ideo & ipse remedium administravi, atque juxta methodum Hoffmanni, post varias doses tempore intermissionis propinatas a semidrachma, ad drachmam unam, intermittentes febres curavi. Observavi tamen, hujusmodi flores peculiari illo distingui incommodo, quod scilicet si uberius propinantur, promte per alvum evacuantur, & ita paroxysmi febrilis renovationem prohibere nequeunt. Et sane nunquam hujusmodi flores adhibere potui absque opiatis vel adstringentibus.

Hæc florum chamæmeli activitas alvum laxandi illos sæpe utillimos reddit in colica spasmodica & flatulenta: atque huic principio innixus proficuos esse deprehendi in dysenteria, & potius noxios in diarrhæa. *Cull. mat. med.* 2. 79.

OBS. Formulam extracti chamæmeli apposui quia in nostra praxi existimatur hoc remedio vehementissimas febres penitus fugari, sæpissimeque loco C. Peruviani adhibetur. Nullam vero possidet peculiarem facultatem, atque inter inertissimas præparationes debet collocari. Attamen non solum extracto, sed etiam sale chamæmeli essentiali dicto nostrates medici utuntur. Sal vero essentiale chamæmeli eadem ratione paratur ac sal chinachinæ essentiale; ac proinde æque frustraneam habet qualitatem.

MULTA etiam reperiuntur extracta vel amara, tonica & aperientia a vetustioribus, vel Tetra, stupefacientia & venenata a recentioribus laudatissima.

## EXTRACTUM ABSINTHII SIMPLEX.

℞. Herbæ, sive foliorum Absinthii uncias duodecim, coque cum aquæ communis unciis 72. vel sal-

saltem unciis 48. per horæ unius spatium; sacculo tum linteo immittantur, & prelo succus exprimatur, affuso parum aquæ frigidæ; nec ab hoc succo exprimendo prius abstineatur, usque dum latex expressus nullum amplius habeat colorem & saporem. Per nyctemeron stent omnia expressa & mixta ad spissum a claro separandum, et tunc filtrandum per manicam Hippocratis, ut liquor clarus & pellucidus evadat. Leniori tum igne liquor evaporetur, & si jam consistentiam syrupi acquisiverit, ignis tum gradus minuatur, ad lenissimum, ne liquor empyreuma acquirat.

Ad mellis spissioris consistentiam succus inspissetur, continuo motu cum spatula lignea.

VIS stomachica, tonica, acidum in primis viis involvens, stimulans anthelmintica, resolvens, humores incidens glutinosos, languidos fibrarum motus excitans.

USUS. In debilitate ventriculi, primarum viarum, in statu cachectico, hydropico, verminoso, obstructionibus viscerum, in malo hypochondriaco; in defectu bilis; in copia muci primarum viarum, a drachma dimidia ad unam in aqua chamomillæ.

DOSIS a granis decem ad viginti, vel in forma pilulari, vel cum liquore quodam, e. g. Tartari solubilis, Terræ foliatæ Tartari, vel aqua quadam destillata solutum. Extractum absinthii nervis inimicum existimatur. Lac puerperarum instar fellis amarum reddit & infantibus noxium, juxta Borrichii & Linnæi observationem.

PROBE simul notandum est, quod e vegetabilibus, e non gummosis tantum, sed & resinosis simul constantibus partibus, uti *Absinthium*, *Centaurium minus*, *Carduus Benedictus*, extracta longe nobiliora obtineantur, si aquæ in qua macerantur, portio quædam spiritus vini e. g. Libris singulis, sive unciis 12, unciæ 2 addantur. Menstruum istud aquoso-spirituosum ad paranda extracta gummoso-resinosa præstat vino, cujus residuum post evaporationem extractum herbæ desideratum constituit. *Reuss. Disp.* 241. *& seq.*

OBS. Extractum absinthii & omnia extracta amara, qua merito inter tonica recensentur, nunquam obstructis, uti Hepaticis, Lienosis, mulieribus defectu menstrui sanguinis affectis sunt propinanda, nam tonica irritando tantum & calefaciendo amissum robur partibus conciliant. Sed partium obstructarum stimulus causæ morbosæ dissipationem omnino prohibet; hinc obstructa corpora diluentibus & laxantibus primum tractanda, dein tonicis & roborantibus firmanda.

Extracta amara plantarum genuinis qualitatibus imbuta, nullam fere ab activitate ignis decompositionem patiuntur, quia sapor amarus non a volatilibus elementis, sed a substantia satis crassa minimeque evaporabili ortum ducit.

## EXTRACTUM ALOES AQUOSUM,

### vel gummosum;

### sive aloe depurata.

℞. Aloes socotorinæ quantum libet, digeritur cum aquæ fontanæ frigidæ duodecuplo, in vase vitreo per aliquot dies, ad resinosam partium cum fæcibus subsidentiam, quo tum clarum a spisso separatur per decantationem & colationem, lentoque igne ad extracti consistentiam evaporatur.

VIS alvum laxans hujus partis gummosæ, in minori vero dosi, & tam subito tamen efficiens, quam sola aloe socotorina, minime tam noxiis partibus resinosis liberata, hæmorrhoidalium motuum sæpius causa, qui frequentiorem aloeticorum usum sequuntur.

USUS in alvi obstructionibus pertinacibus. Resinosa pars in vulneribus proficua, & in spiritu vini soluta exhibet præclarum unguentum digestivum, etiamsi pars resinosa aloes tormina, tenesmum, hæmorrhoides producit; gummosa vero in paucissimis granis alvum laxat, & eo melius cum aliis remediis laxan-

laxantibus, vel pilulis variis purgantibus optime miscetur.

DOSIS Grana 3 — 8 sufficiunt ad alvum ſtimulandam, ad laxandam vero grana 15 — 30. *Reuss.*

### EXTRACTUM CENTAURII MINORIS

Aquosum.

Herba cum summitatibus Centaurii minoris, uti extractum absinthii præparantur.

VIS resolvens, leniter simul roborans, diaphoretica.

USUS. Biliosos humores educit, in debilitate ventriculi, viscerum obſtructionibus, febribus intermittentibus, arthritide. *Reuss. Dis.* 253.

### EXTRACTUM GENTIANÆ RUBRÆ

Aquosum.

*Rec.* Radic. Gentian. rubr. quant. plac. concisæ & contusæ,

Aquæ Fontanæ quadruplum affunde, decoque ad medias, & expressum valide cola. Decoctum illico tum vaporet, in vasculis aquæ ferventis vapore calefactis, ad mellis spissitudinem.

VIS roborans, ſtomachica, antifebrilis, antiverminosa, antiseptica. Amarum & calidum valde remedium.

USUS in intumescentia, cachexia, chlorosi, ictero, hydrope, arthritide, in vitiis ventriculi a debilitate, & acido prædominante ortis.

DOSIS a Gran. 15. ad scrupul. dimid. vel Drachmam dimidiam.

OBS. Extractum Gentianæ si ante prandium propinatur minus ſtimulat, calorem generat moderatum,

 & ro-

& roborando digestionem adjuvat. Utillime cum limatura ferri, vel dulcedine martis conjungitur in cachexia, mensium defectu & debilitate. Gentianæ vires febrifugæ a nonnullis scriptoribus corticis Peruviani facultatibus æquales esse existimantur; in multis tamen casibus solam Gentianam frustra adhibuimus: verum cum galla vel Tormentilla anetica dosi conjuncta, & ad sufficientem quantitatem propinata, nunquam suo effectu caruit, in omnibus hujusce regionis intermittentibus, in quibus administravimus. *Cull. mat. med.* 2. 72.

### EXTRACTUM QUASSIÆ AQUOSUM.

Componitur uti omnia extracta aquosa.

VIS tonica, roborans, & anthelmintica, quia amara.

USUS ad ventriculi vitia quam maxime emendanda; bilis inertiam corrigendam, pituitam incidendam, obstructiones reserandas, fibras roborandas, urinæ excretionem promovendam, & vermes expellendos.

Datur hinc in dyspepsia, anorexia, diarrhœis variis, lienteria, cachexia, ictero, hydrope, in leucophlegmaticis affectibus. Confert quoque plethoricis non tam insignem excitando calorem extractum hoc. Multi sunt qui ligno Quassiæ specificam vim emmenagogam tribuunt, atque decocto vel extracto utuntur in defectu menstruationis.

DOSIS a Granis 15 ad 30. in pilularum vel elixirii forma.

### EXTRACTUM RHEI,

sive *Rhabarbari compositum*.

E Radice separatim cum spiritu vini paratur, uti *Extractum Absinthii*.

VIS laxans alvum; corrigens bilem vitiosam, aperiens, roborans; diuretica in alvi fluxibus.

USU

usus in obstructione alvina; pro basi pilularum, ubi aloetica locum non inveniunt: est lenius quam pulvis Rhabarbari simplex. In Ictero, viscerum abdominalium obstructionibus.

Dosis a granis 20 ad 30.

Vis ejus vero est lente & tarde efficiens; hinc non tam valde efficax, quam pulvis Rhabarbari simplex.

Dosis in substantia drachma est, sed vis ejus purgans multum augetur guttula olei Cinnamomi addita; quod etiam ne tormina oriantur, prohibet. *Linn. am. ac. v. 9. p. 264.*

OBS. Rhabarbari pulvere nihil utilius in imbecillitate digestionis, dum tenacissimus intestinalis mucus abundat, & ob eandem causam urinæ secretio retardatur. In hoc casu semidrachma repetito usurpanda.

## EXTRACTUM MYRRHÆ AQUOSUM,

### sive Gummosum.

℞. Myrrhæ electæ rubræ in pulv. redactæ uncias sex. Solve in aquæ fontanæ unciis 48.

Solvatur per moderatam quatuor ad quinque dierum digestionem, & repetitum vasculi motum. Myrrhæ tum supernatans aqua, partibus gummosis sat impraegnata decantetur, rursusque tepefacta per filtrum coletur, & ad extracti inspissetur consistentiam.

VIS eximie balsamica, antiseptica, roborans, resolvens, putredini & cariei resistens. Extractum hoc resinoso-gummosum nobile est balsamicum, uterinum pectorale, vulnerarium, antiverminosum.

USUS . . . Ad morbos pituitosos uteri, ad sanguinis profluvia pellenda, ad menses, & lochia pellenda, qua emmenagogum, si tenacitas humorum simul adest, & lentor ad discutiendum mucum ventri-

triculi & pituitam eumque roborandum; ad obstructiones viscerum in hæmorrhoidariis, & hypochondriacis reserandas.

DOSI. a Granis 15 ad 20. vel in pilulis, vel extr. hujus Drachma 1. cum unc. dimid. Sacchari ad 4 vel 6 doses.

OBS. 3) In statu phthisico, usus Myrrhæ vel plane eliminandus est, vel limitandus saltem *Reuss. Dispens.*

A multis contra Myrrha habetur pro medicamento specifico in Phthisi pulmonali. Utilitatem hujus pharmaci incipiente morbo insignem sæpe observavimus; at in confirmato, uti reliqua praesidia incassum adhibentur, ita Myrrha noxia evadit, quia vehementiorem circulationem, siccumque calorem gignit. Observationes circa usum Myrrhæ in febribus intermittentibus, a recentissimis practicis & præsertim a Gulielmo Norford, Anglo renovatæ, hoc in loco minime sunt negligendæ.

℞. Gummi Myrrhæ in pulverem quam maxime subtilem redactæ drachmas duas, pro una dosi, quæ ex haustulo vini albi hora ante paroxysmum sumenda est. Hora una ante singulos paroxysmos repetatur idem. Porro,

℞. Pulveris corticis Peruviani optimi drachmam unam
Salis Ammoniaci crudi grana quinque

Misce & f. pulv. pro dosi; quæ omni trihorio febre absente sumenda est, ex cyatho vini & aquæ.

In intermittentium etiam diuturnarum curatione, sequenti electuario utitur Norford.

℞. Myrrhæ subtilissime pulveratæ unciam dimidiam
Pulveris corticis Peruviani unciam unam
Salis martis &
Salis Absinthii ana drachmam unam
Syrupi e corticibus aurantiorum q. s.

ut fiat electuarium; de quo æger capiat ad magnitudinem nucis Moschatæ, ter vel quater spatio horarum 24, & superbibat haustulum infusi corticis Peruvia-

viani, parati ex vini rubri & aquæ partibus æqualibus. Mixtum agitetur tempore usus. Myrrham sæpe in intermittentibus diuturnis cum vino & absque cortice Peruviano, felicissimo cum successu adhibuimus. Dosis pulveris erit semper a semidrachma ad drachmam unam quotidie.

## EXTRACTUM,

### sive succus inspissatus Cicutæ, sive Conii.

E recens presso & colato Herbæ Cicutæ vel *Conii maculati* succo præparatur, uti reliqua extracta.

Vis resolvens eximia.

Usus in cancrosis & malis glandulosis; ad obstructa reseranda; indurationes firmissimas & scirrhos solvendos, & quæ non resolvit ad benignam redigenda suppurationem, cancromammarum vel aliarum partium limites ponendos, ejusque acre emendandum, fœtorem dispellendum, & ichorem in bonum pus vertendum, vel cancrum vere quoque sanandum.

Hæc & alia multa a Cicutæ fautoribus, & præsertim Storckio prædicantur. At universalis medicorum experientia, quæ contrarium testatur, observationesque magni momenti, quibus non inefficacia modo in cancro, scirrho, obstructionibus & ulceribus evincitur, sed cicutæ effectus valde noxii indicantur, rei veritatem aperte ostendere videntur.

*Piderit* potius credit, quoniam omnino acrem, extractum Cicutae naturam habet, nec ubivis motus illi febriles, quos excitat, salutares evadunt, sequi videtur, ut in ipso e. g. carcinomate aperto vincendo, omnino sit rejiciendum, eo magis, quoniam nullæ veræ observationes persuadent in vero cancro aperto auxilium tantum attulisse. *Reuss.*

Dosis. Extractum hoc optime propinatur addito pulvere Cicutæ, in pilularum formam mutatum, a granis 2., bis in die, post octiduum ter de die, ad drachmam 1, 2, & sex usque, per diem consuman-

mantur. Bibitur tum, sumto medicamento, quavis vice vasculum infusi Theæ, vel simile. Quidam jam utiliter combinarunt extractum hoc Cicutæ cum extracto Aconiti, vel mercurialibus, vel ipso quoque cortice peruviano; vel extractum aqua stillatitia dilutum forma mixturæ propinari potest.

In ulcere cancroso efficax exhibet medicamentum extractum hoc aqua calcis dilutum, juxta Plenckii observationem. E seminibus Cicutæ vix dum maturis extractum paratur juxta Pharm. Edinburgensem. *Reuss.*

Planta fœtidissima, quæ vere phlogisticas exhalationes emittit, omniumque humorum corruptionem perficere conatur, nequit in sordidis ulceribus & in cancri immani corruptela utiliter administrari. In obstructionibus viscerum abdominalium, præsertim in hepatis duritie, in mensium defectu, aliisque morbis in quibus pro remedio specifico habetur, nunquam proficuam deprehendimus Cicutam. Sæpe etiam si dosis ad drachmam quotidie propinatur periculosus alvi fluxus, frequenter oritur. In visus debilitate ab humorum spissitudine orta, juvat aliquando grana decem vel duodecim extracti Cicutæ quotidie exhibere.

Damna ab extracto Cicutæ ad drachmas decem quotidie propinato in bubonibus venereis scirrhosis leguntur apud Joannem Hunterum in tractatu de Lue Venerea. Uncia enim una singulis diebus per longum tempus propinata, mentis perturbationem, cæcitatem, aphoniam, mantibulæ inferioris amissionem, momentaneam artuum paralysim, & una vel altera vice sensuum abolitionem attulit. Idem æger denuo Cicutam ad dosim drachmarum decem adhibuit; magnæ perturbationes sequutæ sunt, anxietates, casus e loco in quo sedebat cum sensuum obliteratione; convulsionibus inde supervenientibus obiit spatio duarum horarum. *Hunt. morb. ven. p.* 300.

Conium igitur maculatum, Cicutæ aquaticæ sisimillimam actionem exercet. De medico usu extra-

cti

cti Cicutæ fusius disputavimus, multi enim inter practicos sunt, qui falsa permoti auctoritate, damnosa sæpe substantia, tanquam utillimo pharmaco in diversis morbis utuntur.

Exstracta Aconiti Napelli, Belladonnæ, Arnicæ, Hyoscyami nigri, Hellebori nigri & similia, quæ a suspectis plantis parantur nunquam adhibenda, siquidem vel vehementer purgantia, vel stupefacientia & phlogistica sunt. Morbi vero qui memoratis extractis tractantur facilius communibus remediis curantur.

## EXTRACTUM JALAPÆ.

### Gummi-Resinosum.

℞. Pulveris radicis Jalapæ q. placet; affunde *Spiritus vini* rectificati ad quatuor digitorum supereminentiam. Digestionis ope, leni calore extrahe Tincturam in vase vitreo, probe clauso. Tincturam effunde, residuæ Jalapæ affunde aquæ fontanæ quantum sufficit, coque per horam & exprime. Colatura in balneo mariæ, ad mellis consistentiam evaporet, in fine addendo parum Tincturæ Jalapæ continuo sub motu, ut massa fiat uniformis sine grumis. Spiritus vini vero magna pars e Tinctura ante admixtionem avocetur.

VIS cum Resina Jalapæ conveniens.

USUS scopo, laxante; purgante, in obstructionibus alvi pertinacibus. Vix vero majori dosi dandum est.

DOSIS grana 6. ad 10. *Reuss. disp.*

## EXTRACTUM LIQUIRITIÆ sive GLYCYRRHIZÆ.

Gummosum Argentoratense, sive Gelatina Liquiritiæ, sive Saccharum Glycyrrhizatum Helvetorum, sive *Reglisse Royale*, sive Liquiritia lucida Danorum, siue Gluten pectorale, sive Pasta Liquiritiæ fusca, sive succus Liquiritiæ inspissatus.

℞. Ra-

℞. Radicis Liquiritiæ rasæ, & contusæ unc. 1.
Infundantur per 24. horas in
Aquæ calidæ unciis 120. In colatura devolvantur,
Gummi Arabici albissimi, electi unc. 60.
Sacchari albi unc. 40.

Dissoluta colentur, & brevi coctione in consistentiam gelatinæ reducantur; effundatur tunc liquor in exiguæ altitudinis modulos metallicos, pauco oleo amygdalarum illitos; lenique fornacis calore exsiccetur.

VIS demulcens, expectorans, sopiens.

USUS ad sistendam tussim ab irritatione ortam: ad pectoris affectus. *Reuss.*

DOSIS. Ejus frustuum, drachmam circiter æquans, ore liquatur.

OBS. In frigidioribus Europæ regionibus Medici plurimum extracto Glycyrrhizæ utuntur, nos qui plantam possidemus, raro ejus extractum commendare solemus. Activitatem suam demulcentem, & expectorantem a principio glutinoso, atque a substantia saccharina mutuatur. Tussim in principio morborum pectoris molestissimam imminuit, ideoque medicamenti pectoralis famam obtinuit.

## EXTRACTUM MARTIS POMATUM.

℞. Limatur. Martis puriss. sive Ferri purissimi unc. 6.
Superaffunde,
Succi pomorum acidorum recent. express. & depurat. unc. 24.

Stent in digestione, loco calido per plures dies in cacabo ferreo; coquantur tum sub perpetuo motu cum spatula, leni igne ad dimidiæ partis consumtionem, clarum a spisso colando separetur, & ad extracti consistentiam inspissatum reponatur.

VIS eximie tonica, aperiens, potenter obstructiones reserans.

usus in affectibus hypocondriaco-hystericis, verminosis; nulla præsente debilitate ventriculi; cujus sub usu motus frequens requiritur.

In chlorosi, in mensium suppressione, a debilitate fibrarum, & debili circulo humorum, specificum.

In variis affectibus abdominis, ventriculi fluoribus, ad debilitatas fibras roborandas, uti in febribus intermittentibus, inprimis quartanis, a cortice Peruviano non solum cedentibus, eximie hoc extractum confert.

In obstructionibus abdominis, quas sæpe præ aliis solvit remediis, rite aliis junctis remediis; confert hinc quoque in variis intumescentiis, cachexiæ speciebus, in statu hypocondriaco, ictero, rachitide: in infantum statu verminoso.

DOSIS a granis 8. ad 20. in forma pilulari, cum aliis.

OBS. In plethoricis summa cum cautela, prægressa simul venæ sectione adhibendum est.

Sæpius commode jungitur cortice peruviano, vel aliud aroma rite addi potest. In statu cachectico-pituitoso uteri, cum extracto Hellebori nigri confert eximie. Cæterum confert extractum hoc ad præparationem *Globulorum Martialium*, & *Tincturæ Martialis*.

Sub usu extracti martis abstinendum est ab alcalinis, & acidis fossilibus.

Nocet extractum martis phthisicis, biliosis, scirrho affectis, qui fibram habent rigidam *Reus. dispens.*

Integram hujusce præparationis martialis formulam, animadversionesque peculiares circa usum remedii diligenter apposuimus; potest enim revera magnam in diversis cachexiæ speciebus utilitatem afferre. Et quia cum syrupo martiali valde convenit, quoad præparationem, nil mirum si effectus quoque votis respondent.

EXTRA-

EXTRACTUM SATURNI, GOULARDI.

℞. Minii unc. 5.
Aceti unc. 90.

Coquantur sub perpetuo motu per horam in vase terreo: liquor ad mellis consistentiam redactus, decantatus asservetur.

VIS adstringens, discutiens.

USUS. Extractum hoc omnium egregiorum chirurgicorum remediorum, suis locis descriptorum, basin constituit. *Reuss.*

Parum differt hæc præparatio ab *Aceto Saturnino*, vel Lythargirii, cujus præparatio ita se habet:

℞. Cerussæ in laminis, vel lithargyrii, vel minii triti unc. 12.
Aceti vini destillati. Unc. 36.

Coque in vase figulino, vel vitreo angustioris colli, non cupreo, leni calore, intra horam unam, bacilio ligneo sæpius agitando, ad aceti perfectam saturationem: & donec chartæ Lacmus-tinctæ color cæruleus ab aceto non mutetur: sive ad dimidiæ partis consumtionem, quod per chartam filtrandum, & usui asservandum est. Si solutio hæc magis inspissatur ad extracti formam, & magis concentratur, Goulardo extractum Saturni vocatur. Si hujus extracti drachmæ 2. miscentur cum aquæ communis unciis 24. Auctori vocatur aqua saturnina, vel aqua-vegeto-mineralis.

USUS; refrigerans, forte repellens, anodyna, siccans, constringens, affluxum cohibens.

USUS externus ad ambusta, inflammationes partium, ulcera maligna epulosa, fungosa exsiccanda: affluxum prohibendum ad fistulas, glandulas induratas, ad coercendum scirrhum, in cancrum ne abeat, ad vas lymphaticum læsum. In cutis morbis a maculis & ulcusculis, linteamina infunduntur, & inflammatis apponuntur locis, sed caute adhibendum est. *Reuss.*

OBS.

OBS. Hujus medicamenti vires in genere ab irritabilitatis & vitalitatis destructione pendentes, semper suspectæ. Hoc verum est de omnibus calcibus metallicis cum aceto combinatis.

## EXTRACTUM LIGNI GUAJACI.

### Molle, & Durum.

℞. Ligni Guajaci rasi pond. libram unam.

COQUE quater vel sæpius, in aquæ congio uno, ad dimidium; liquores colati coquendo inspissentur; cum vero aqua fere tota exhalaverit, addendum est paululum spiritus vinosi rectificati; quo extractum in massam uniformem, & tenacem reducatur.

HOC etiam extractum sub simplici forma, molliori & duriori præparandum est.

VIS stimulans, aperiens, diuretica, diaphoretica, tonica.

USUS. Resina quæ in Guajaco abundat utillima est in morbis lentis, rheumatismo, doloribus venereis, lymphaticis congestionibus, humorumque tenacitate vitiosa. Hinc melius semper erit extractum Guajaci cum spiritu vini paratum usurpare; integre enim hac ratione pars resinosa dissolvitur.

## EXTRACTUM IALAPII.

RADICI Jalapii in pulverem redactæ affunde spiritum vinosum rectificatum, debitoque calore extrahatur tinctura; & residuum aliquoties in aqua coque; spiritum ex tinctura priori colata abstrahe, donec spissari incipiat: item aquas colatas coque ad similem crassitudinem; deinde extracta misce, & leni igne in pilularum spissitudinem redige.

VIS cathartica, laxativa.

USUS in alvi silentio ob bilis inertiam & debilitatam intestinorum actionem.

DOSIS a granis 6. ad 12.

Non adeo violenter alvum solvit, neque tormina inducit, quia particulæ resinosæ radicis, spiritu vini non solum dissolvuntur, sed etiam obtunduntur.

## EXTRACTUM CATHARTICUM.

℞. Aloes Socotorinæ unc. 1. & dimid.
Medullæ Colocyntidis drachmas 6.
Scammonii,
Seminum Cardamomi minoris decorticatorum, singulorum unc. dimidiam.
Spiritus vinosi tenuioris libram unam.

COLOCYNTHIDI minutim incisæ, seminibusque contusis, affuso spiritu vinoso, leni calore per quatriduum macera; tincturæ espressæ adde aloen & scammonium, separatim in pulverem redactum; his solutis spiritum abstrahe, & massam redige in pilularum crassitudinem.

DOSIS a granis 10. ad 15. in forma pilulari.

Quamvis semina Cardamomi insigniter aromatica drasticam activitatem Colocynthidis præsertim imminuere valeant, semper vero acriora cathartica vitanda sunt. Ideo præparationem hanc adnotavimus, quia commode a rusticis usurpari potest, dum mitiora tutioraque cathartica desunt. Melius vero semper erit simplicissimum Jalapii extractum administrare.

## EXTXACTUM GRAMINIS AQUOSUM,

### vel Liquidum.

℞. Radicis graminis vulgaris recent. succulent. quantum plac. excoquitur leniter decoctum per noctem, quieti reponitur, ut clarescat. Clarum filtratur, sine coctione evaporatur ad consistentiam syrupi.

VIS demulcens, discutiens, involvens, resolvens, abſtergens, hæmatocathartica.

USUS in variis morbis chronicis, ićtero rheumatismo, arthritide, in morbis cutaneis. Juxta Zimmermannum, in morbis pećtoris acrimoniam mitigat.

DOSIS quotidie unc. 5. ad 6. *Reuss.*

OBS. Noſtrates Medici extraćto graminis duro non molli utuntur in obſtrućtionibus, cachexia, ićtero, pilulasque componunt extraćto graminis, taraxaci, cum terra foliata tartari, sapone aliisque; hujusmodi pilulas deobſtruentes appellant. Ab extraćto tamen graminis subdulci, vel potius fatuo nil boni unquam vidi, aut expećtavi; præparationem tamen apposui, ne vulgatissimi remedii formula in opere pharmaceutico desideraretur.

NOTA.

SI extraćti conficiendi major sit copia, balnei calore commodissime spissatur.

OMNIA vero extraćta aquosa paululo spiritu vinoso irrorentur, ne sitim contrahant.

## OLEA per EXPRESSIONEM.

### OLEUM AMYGDALINUM.

AMYGDALÆ, vel dulces, vel amaræ, recentes in mortario lapideo terantur; deinde prelo, sed non calefaćto exprimatur oleum.

EODEM modo exprimendum eſt oleum ex seminibus lini, & sinapis.

OBS. Veteres sæpissime diversisque in casibus utebantur oleo amygdalino; nam dulcem, laxativam, & antispasmodicam aćtivitatem habere exiſtimabant. Multa tamen damna a subſtantia oleosa, quæ ranciditatem facile contrahit manantia, remedium obsoletum reddiderunt.

OLEUM RICINI, sive CASTOR-OIL. ANGLIS, sive oleum de Palma Christi.

Præparatur e seminibus Ricini, uti oleum amygdalarum.

VIS aperiens, ſtimulans, laxans, purgans in majori dosi.

USUS. In obſtructionibus alvi pertinacibus, nempe in diuturno alvi silentio, in colica saturnina, aſthmate ab exhalationibus saturninis; & aſthmate humorali ab alia etiam causa. In ictero, & hepatitide si repetito adhibetur ad unciam unam quotidie, aut alternis diebus, summam affert utilitatem. In acutis biliosis nil opportunius, quam in secundo septenario alvum oleo ricini subducere. Dolores colici, cujuscumque generis, magisque illi, qui cum nephritico affectu conjunguntur hoc præsidio feliciter curantur. Alvi silentium periculosum a tumore chronico uteri, aut ab ipsius uteri intumescentia poſt partum, eodem remedio vincitur. Pro evacuatione meconii in infantibus præſtat olei guttas octo, vel decem cum lacte propinare. Hac etiam ratione convulsiones infantiles avertuntur.

OBS. Valde falluntur, qui Ricinum vulgarem, qui *Ricinus communis* Linnæi, pro *Cataputia* assumunt. Quamvis enim Ricinus a nonnullis etiam Cataputiæ nomine designari soleat, tamen ab *Euphorbia cataputia* toto cælo differt.

OLEUM Sesami expressum nullas habet medicinales proprietates, sed utillimum eſt in civili œconomia.

# OLEA per DISTILLATIONEM.

## OLEA ESSENTIALIA.

EX RADICE Sassafras,
EX LIGNO Rhodio,
EX FOLIIS Absinthii,
Majoranæ,
Menthæ piperitidis,
vulgaris,
Origani,
Pulegii,
Rorismarini,
Rutæ,
Sabinæ;
EX FLORIBUS Chamæmeli,
Lavendulæ;
EX SEMINIBUS Anethi,
Anisi,
Carui,
Cymini;
EX BACCIS Juniperi;
EX AROMATIBUS,
Caryophyllis aromaticis,
Nuce moschata, & aliis.

HÆC olea eliciuntur diſtillatione ex alembico, cum vase frigidario, satis amplo. Ad præcavendum autem empyreuma, materiæ addenda eſt aqua, in qua etiam maceranda eſt ante diſtillationem. Oleum una cum aqua egreditur, & vel innatat, vel fundum petit, prout levius, vel ponderosius eſt.

### OLEUM SASSAFRAS LIGNI.

℞. Rasuræ ligni sassafras unc. 72.
Aquæ fontanæ unc. 422.
Salis culinaris unc. 12., macerentur per quatuor dies in loco calido, dein diſtillentur e vesica ad tertiam repleta, quo dein oleum transit, non natans, sed fundum petens.

VIS. Penetrans, actuosissima valde ſtimulans, diaphoretica.

USUS. In arthritide, podagra, rheumatismo, & venerea humorum tenacitate; externe ad cariem dentium, & cariem ossium.

DOSIS. Eſt a gutta 1. ad 8. vel 10.

OBS. In noſtra praxi oleis essentialibus, pungentibus, acribus, & aromaticis, raro, vel nunquam utimur. Nonnullarum vero formularum intelligentia valde necessaria eſt.

### OLEUM ABSINTHII DISTILLATUM.

Viride, essentiale.

℞. Summitat. Absinth. recent. parum, & modice siccatarum unc. 300. Incisæ, & conquassatæ macerentur per triduum in aquæ fontanæ unc. 900. additis.

Salis communis unc. 36. diſtillentur dein e vesica, ad tertiam partem repleta, aquæ innatans caute separetur, gradatim aucto igne, oleum viridis coloris, & amari saporis.

VIS. Tonica roborans, ſtomachica.

USUS. In languore poſt febres, concoctione depravata in affectibus verminosis, spasmis, variis evacuationibus præternaturalibus, torminibus, singultu &c. *Reuss.*

## OLEUM SABINÆ.

Præparatur ab herba Sabina, uti oleum absinthii diſtillatum.

VIS. Irritans, potenter sanguinis motum augens, & hinc emmenagoga, anthelmintica. *Emmenagoga! abortiva, anthelmintica, exhantematica, diuretica, depilans*. Linn. mat. med.

USUS. Interne ad menses promovendos in summe phlegmaticis, & pituitosis. In paralysi ad partes languidas fortiter excitandas.

Externe ad cariem ossium efficacissime operatur; ad ulcera putrida, ad vermes, & carnem luxuriantem absumendam, & ulcera manantia exsiccanda.

DOSIS. Sacchari unc. 1. Guttæ tantum 6. hujus olei tam valide ſtimulantis, pro 3. annorum infante, pro 6. dosibus præscribatur, vel in ovo ad mollitiem coɛto. *Reuss*.

OBS. Pulvis Sabinæ a scrup. 1. ad drachmam semis exhibitus eſt optimum remedium in defeɛtu mensium. *Home clin. exper. p. 385. & sequ.*

Emmenagoga proprie diɛta raro adhibenda; conveniunt enim tantummodo in adauɛta humorum tenacitate, & debilitate solidorum. Si sanguis menſtruus deficit ob morbum organicum graviorem, numquam simplicibus emmenagogis, sed remediis morbum primarium dissipantibus denuo evocatur.

## OLEUM CHAMÆMELI VULGARIS
## diſtillatum cæruleum.

Præparatur e floribus Chamæmeli recent. ut oleum Absinthii diſtillatum.

VIS emolliens, laxans, discutiens, carminativa, antispasmodica, anodyna.

USUS. Interne in affectibus spasmodicis, flatulentis: in inordinato hæmorrhoidum & menſtruorum fluxu, in cardialgia, colica flatulenta.

Externe aliis remixtum, scrobiculo cordis, & abdomini illitum; cum bombace inditum in aurium doloribus.

DOSIS. Interne guttatim, vel in vehiculo, vel cum saccharo.

Circa usum *Matricariæ Chamomillæ* hæc Linnæus scribit in *Mat. med. ad num.* 528.

USUS. Tertiana, cardialgia, colica, vomitus gravidarum, calculus, dysuria. Herba componuntur Balnea, Clyſteres, Cataplasmata, Pediluvia.

Decoctum, & pulverem florum Chamæmeli optimum remedium esse in dysenteria scripsit *Cl. Cullen. Mat. med.* 275.

Noſtra etiam experimenta, cum Cullenii observationibus conveniunt.

OBS. Vis sedativa, antispasmodica, & emolliens Chamæmeli non a glutinosis, & mollibus, sed ab oleosis, & phlogiſticis, nempe ſtupefactivis particulis pendet. Olea omnia essentialia, quæ ingratum saporem habent, & nauseosum emittunt odorem, sedativa sunt.

### OLEUM MENTHÆ PIPERITÆ.

Præparatur ab herba Menthæ piperitæ, uti oleum absinthii diſtillatum.

VIS olei hujus subflavi, valde diu urentis, cum frigido remittente sapore, & odore penetranti ſtomachica, carminativa antispasmodica.

USUS. Ad ſtomachum roborandum; ad spasmos leniendos, & singultum; ad vomitum ſiſtendum, flatus, diarrhæas, choleram, affectus spasmodico-flatulentos; ad dolorificum spasmodicum mensium fluxum imminuendum.

Reliqua olea ex nuce moschata, & caryophyllis aromaticis educta ob penetrantissimum, & urenti qualitate præditum aroma, valde noxia sunt, neque a rationali medico debent adminiſtrari. Qui oleo caryophyllorum aromaticorum utuntur in acutissimo dentium dolore non eradicativum præsidium, sed potius remedium ſtupefactiva, & cauſtica qualitate præditum commendant. Usurpari vero utiliter possunt inferius describenda; uti:

### OLEUM SOLANI E BACCIS.

℞. Baccarum Solani maturarum unc. 12.
Olei communis unc. 36.

Coque ad succi consumt. exprime, & usui serva.

VIS. Refrigerans, incrassans, somnum concilians.

USUS ad emplaſtrum anodynum.

OBS. Solani *nigri*, & magis etiam Solani *Sodomæi* vires antispasmodicæ, & diureticæ omnibus notissimæ sunt. Hinc baccarum succus emplaſtri forma locis dolentibus utiliter applicari poteſt.

## OLEUM & SAL SUCCINI.

℞. Succini in pulverem triti,
Arenæ puræ partes æquales.

COMMIXTA injiciantur retortæ vitreæ, ut dimidia impleatur. Adaptato excipulo amplo, distilla ex arena, igne gradatim aucto. Primo liquor aquosus cum paululo olei flavi, dein oleum flavum cum sale, tertio demum ignis gradu oleum subrubrum, & nigrum extillabit. Liquor ex excipulo effundatur, & oleum ab aqua separetur. Sal a retortæ collo, & excipuli lateribus collectus, inter plicas chartæ emporeticæ comprimatur, ut ab oleo adhærente liberetur; dein solutione in aqua calida, & crystallisatione fiat purus.

## OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

Fit quaternis, ex retorta qualibet vice mundissima, distillationibus, relicta toties in retorta olei parte circiter octava rejicienda.

VIS. Sal succini saporem habet penetrantem ex adstringenti acidum. Dissolvitur in aqua, facilius calida, & in spiritu vini rectificato. Acidam naturam habet; cum alkalinis enim effervescit, & diversa neutra gignit. Aperiens, diureticus, & ob aliquam olei quam continet proportionem anthystericus est. A Boerhaavio appellatur *diureticorum, & anthystericorum princeps*. Ob charitatem non adeo frequenter usurpatur, & fortasse veræ facultates generali existimationi haud respondent.

OLEUM rectificatum insignem odorem bituminosum, & pungentem atque acrem saporem habet. Ad dosim 10. aut 12. guttarum, calefacit, stimulat, & fluidorum secretiones promovet. Primario commendatur in morbis hystericis, & in defectu uterini sanguinis. Aliquando etiam usurpatur externe forma linimen-

nimenti; in artuum paralysi, & doloribus rheumaticis. *Pharm. Angl.*

OBS. Omnes subſtantiæ, quæ phlogiſto abundant, soporiferam activitatem negative exercent, quia virium vitalium robur imminuunt.

### OLEUM TEREBINTHINÆ.

TEREBINTHINA cum aqua diſtilletur ex vesica cuprea, ut olea vegetabilium essentialia.

POST diſtillationem remanet in vesica resina rubra.

HOC oleum sæpe, quamvis improprie, spiritus Terebinthinæ vocatur.

### OLEUM TEREBINTHINÆ ÆTHEREUM,

diſtillatum, sive *Spiritus Terebinthinæ*, vel Balsamum Terebinthinæ.

℞. Terebinthinæ Venetæ pelluc. unc. 24. Funde in aquæ fontanæ unc. 72. quæ dein leni igne a vesica ad tertiam repleta diſtillentur; poſt diſtillationem vero oleum, sive spiritus, ab aqua simul prolecta separantur.

Residuum in vesica a diſtillatione remanens, exhibet Terebinthinam coctam, quæ ulteriori coctione sine aqua inſtituta, in *Colophonium* reducitur.

OLEUM hoc prius ex aqua denuo diſtillatum dat oleum Terebinthinæ rectificatum.

VIS calida, ſtimulans diuretica, & diaphoretica. Ad guttas duas, vel tres propinatur; largiores doses corpus plurimum calefaciunt, capitis dolorem, seminis, & liquoris proſtatarum effusionem gignunt. Satis magnæ doses modo assumuntur, una cum melle vel alio opportuniori vehiculo, adversus dolorem ischiadicum, optimo cum successu. A nonnullis commendatur in fluxu gonorrhoico; in hoc tamen casu, multa affert damna, quia inflammat affectas partes,

&

& morbum graviorem reddit. Externe sæpe usurpatur adversus dolores rheumaticos, in frigidis doloribus, & pertinacibus hæmorrhagiis. *Pharm. Angl.*

Quemadmodum de oleo loquimur, non abs re erit essentialia quædam circa usum Terebinthinæ communis adnotare. Terebinthinæ itaque facultas ſtimulandi inteſtina peculiariter animadvertitur, ubi forma clyſteris adminiſtratur; tunc ad dosim semiunciæ, vel unius unciæ diligenter cum ovi vitello trituratur, adeo ut perfecte diffundi, ac suspendi possit in aqueo fluido; si hoc in ſtatu recto inteſtino committitur, observavi utillimum esse certumque laxativum, quo uti possumus in colico dolore, & aliis casibus pertinacis ſtipticitatis. *Cull. mat. med.* 2. 181.

Uti facile eſt intelligere quomodo idem remedium intra corpus assumptum perspirationis etiam opera per pulmones transit; hoc aliquo modo declarat, facultates quæ tribuuntur subſtantiis terebinthinatis, quæ in nonnullis pectoris morbis inter remedia balsamica collocantur.

Hoc tamen in loco animadvertendum, quod etiam ab errore, juxta meam sententiam, circa usum terebinthinæ in vulneribus, & ulceribus, magisque procul dubio ob falsam analogiam; ejus usus aptari solet internis ulceribus cujuscumque speciei. Attamen omnibus perspectum eſt, remedia terebinthinata, non solum inutilia, verum etiam passim valde noxia, in hujusmodi casibus esse. Hoc primum observavit Boerhaavius, & poſtea nulla ejus mentione facta, idem inculcatum eſt a Fothergillio. Poſt omnia argumentum quo uti possumus eſt illud certe, quod scilicet tantum abeſt ut ulcera interna, ſtimulo inflammatorio indigeant, quo balsama sæpe utilia sunt in externis ulceribus, ut quin potius ob ſtatum vehementioris inflammationis spontanea curatio nequeat evenire. *Cull. mat. med.* 2. 181. 182.

OLEUM

## OLEUM COPAIVÆ

### Compositum.

℞. Balsami Copaivæ P. libras duas.
Gummi Guajaci P. uncias quatuor.

DISTILLATIONE ex retorta eliciatur M. libram unam.

VIS efficacissima hujus mixtura non diſtillatæ in morbis rheumaticis. *Pharm. Angl.*

Reliquas oleorum species, vel minus usitatas, vel omnino fruſtraneas libenter prætermittimus.

# SALES, & SALINA.

## NITRUM PURIFICATUM.

NITRUM in aqua coquatur, liquor per chartam coletur, donec post idoneam exhalationem, exponetur in loco frigido, ut nitrum in crystallos concrescat.

EODEM modo purificatur sal ammoniacus.

NITRUM commune passim continet insignem proportionem salis marini, qui in hoc processu separatur, nam sal marinus solutus remanet postquam major pars nitri jam crystallisata est. Crystalla, quæ post primam evaporationem emergunt majora sunt, regularia & pura: verum cum liquoris residuum ulterius evaporatur, atque hæc operatio reiteratur, secunda ac tertia vice, crystalla tamen evadunt parva, imperfecta, & cum parvis cubicis moleculis salis marini mixta.

VIS. Refrigerans, diuretica anti-inflammatoria, ac proinde antifebrilis; siquidem præternaturalem calorem coercet, & secretiones adauget. Præcipua actio pendet a peculiari acido, cujus vires in nitro purificato ad certam dosim propinato debiliores sunt.

USUS. In nimia sanguinis tenacitate, & morbis præsertim inflammatoriis, in quibus juvat absorbendo præternaturalem calorem. Semper vero in morbis febrilibus caute adhiberi debet. Nunquam vero administrare oportet nitrum in morbis mere phlogisticis, in quibus reliquiæ caloris ab acido nitroso absumuntur. Si potionibus calidis admiscetur sudorem gignit, hinc utillimum in erysipelate; contra si cum frigida aqua conjungitur copiosissimas urinas excitabit. In faucium inflammatione gargarismata ex nitro semper irritantia sunt.

ALU-

## ALUMEN USTUM.

ALUMEN in vase fictili, vel ferreo calcinetur, quamdiu effervescit ac tumet.

OBS. Tempore effervescentiæ, ac intumescentiæ alumen aquam crystallisationis amittit, atque magnam acrimoniam nanciscitur; ac proinde sæpe usurpatur in curatione ulcerum, ad laxas fungosasque carnes coercendas cohibendasque. Ulcera tamen hac ratione curata locum affectum durissimum reddunt.

## VITRIOLUM CALCINATUM.

VITRIOLUM viride in vase fictili, igne aperto calcinetur, donec probe exsiccatum fuerit, deinde fracto vase eximatur, & servetur ad usum in vase bene clauso. Vitriolum optime calcinatur, si in fundo & ad vasis latera rubescat. Hoc vero in statu appellatur *Colchotar vitrioli*, sive vitriolum martis ad rubedinem calcinatum.

VIS. Colchotar vitrioli externe adstringit, & exsiccat.

USUS. Ad emplastra, vel unguenta roborantia: cum myrrha in aqua calcis, & vino coctum exhibet aquam vulnerariam pro pauperibus.

OBS. Est terra quoque metallica rubra, post distillationem acidi vitriolici superstes. *Reuss. dispens.*

VITRIOLUM calcinatum præcipuum usum habet in distillatione spiritus vitrioli, si enim non calcinatum distillatur, in vase distillatorio funditur, in massam concrescit, & vix ullam spiritus vitrioli quantitatem præbet; quod autem obtinetur debilissimum est.

## SAL ABSINTHII.

ABSINTHII cremati cinis in olla ferrea, vel quovis vase commodo, igne supposito, per horas aliquot bene incandescat; move subinde, ut omne oleum exuratur, tum in aqua coquatur, & aqua per chartam colata evaporetur, ut sal siccus remaneat, qui reponatur in vase optime clauso.

EODEM modo paratur sal alkalinus fixus ex aliis vegetabilibus, unde hic sal, educi poteſt.

VIS digeſtiva acidum infringens; humores crassos resolvens; attenuans, incidens, diuretica, laxans; in subtilissima vasa lymphæ penetrans.

USUS ad aperiendas obſtructiones; purgantibus pro ſtimulo; ad vomitus cum succo limonum, in colica calculoso-biliosa, ad febres intermittentes *Boerh.* a drachma I & ultra, in copiosa aqua diluta; ad obſtructiones pertinaces scrophulosas. *Reuss.*

OBS. Caveant Pharmacopæi, cineres, vel sal ipsum cum sulphure, pro more, calcinare, vel acidum quoddam addere, ut sal in cryſtallos evaporando concrescat. Hoc modo non *Sal alkalinus*, incineratione herbarum obtinetur, sed neutrum *Tartaro vitriolato* simile. *Reuss.* Hæc animadversio Pharmacopæis & Medicis Neapolitanis, qui nunquam genuino sale absinthii utuntur, valde necessaria eſt. Seqnens enim formula pro præparatione salis absinthii extat in *Petitorio Neapolitano* pag. 38.

## SAL FIXUM ABSINTHII.

℞. Absinthii exsiccati cum radicibus qu. l. Reducatur in cinerem, qui igne reverberatorio calcinetur, & ut commodius fiat, aliqua portio sulphuris crudi addatur; dein aqua fontis calida soluta, liquor filtratus, & ad cuticulam lento igne evaporatus, reponatur, ut in cryſtallos concrescat: quo facto repetitis evaporationibus, & cryſtallisationibus, sal totum ex reliquo lixivio eliciatur.

UT igitur genuinæ vires salis absinthii obtineantur perfectæ præparationi inhærendum, atque simplicissimo alkalino sale utendum non solum in ſtomachi debilitate, ac vomitu morboso; neque vires, quæ dicuntur incisivæ tantopere laudandæ. Ob indolem simpliciter alkalinam, non ob peculiarem aliquam activitatem, cum succo limonum, vel alio acido copulatum in scorbuto specificam vim exercet, si tempore effervescentiæ propinatur. Dosis eſt a granis decem sed viginti, mane & vespere.

Ejusdem mixturæ usus summopere a recentioribus laudatur in nephritide; immo sunt qui de lithontriptica ejus activitate gloriantur.

## SAL TARTARI.

TARTARUM cujuscunque speciei, vel charta emporetica madida involutum, vel vase idoneo inclusum, igni committatur, ut oleum omne exuratur; deinde coquendo in aqua sal elicitur.

Edinburgenses sequenti præparatione utuntur.

℞. Tartari quantum velis.

CHARTÆ bibulæ madefactæ involutum, vel in crucibulo positum, leni igne circumdetur, donec in carbonem comburatur; qui dein contritus in crucibulo aperto calcinetur, igne mediocri sine fusione, usque dum albus, vel saltem cinereus sit. Tum in aqua calida

lida solutus, per linteum coletur liquor, & in vase ferreo mundo exhalet, sub finem assidue agitatus cochleari ferreo, ne materia fundo vasis adhærescat. Sal albissimus restabit, qui paulo diutius super ignem relinquendus, donec vasis fundus fere rubescat.

Postremo refrigeratus in vitris bene obturatis reponatur. *Pharm. Edinb. pag.* 116.

VIS abstergens, stimulans, incidens, alterans resolvens, diuretica.

USUS. Internus in obstructionibus, cardialgia, humorum tenacitate; acidorum mineralium vim corrosivam corrigit.

DOSIS unius drachmæ per intervalla cum syrupo aliquo, commendatur.

Plura a Scriptoribus adnotantur circa insignes salis Tartari vires medicamentosas: at præparatio superius descripta exhibet substantiam salinam causticam œconomiæ animali valde inimicam. Hinc si largiores doses propinantur hydropicis, cachecticis aliisque, lethales sequuntur effectus. Acidum primarum viarum frequentissime cum acri alkalino confunditur, sensatio enim ab utraque ægritudine excitata eadem fere est. Cæterum si symptomata veneni acidi cujusdam mineralis adsunt, hæc æque, sed tuto compesci possunt, alkalinis mitissimis, cum quibus acida mineralia maximam habent affinitatem.

Præstat igitur hoc remedio in universum abstinere.

## LIXIVIUM TARTARI.

Liquamen salis tartari, sive oleum tartari per deliquium, vel sal lixivius purificatus.

TARTARUM ad albedinem calcinatum, reponatur in loco humido, ut liquescat. Juxta *Pharm. Edinburgensem* sal lixivius sequenti ratione paratur:

SAL lixivius, iste qui Anglice *Pearl-ashes* vocatur, in crucibulo indutus, rubescat ab igne, ut sordes oleosæ, si quæ adsint, urantur, dein contritum, cum pari aquæ pondere, agitando bene permisce. Lixivium

vium quiescat, donec fæces subsederint; dein defæcatum effunde, & coque in vase ferreo mundissimo ad siccitatem, sub finem assidue agitans, ne vasi adhæreat.

SIGNUM autem legitimi beneque purificati salis hujus est, si siccissimus, cum pari aquæ pondere contritus, penitus solvatur in liquorem, coloris odorisque expertem.

VIS diuretica, resolvens, deobstruens, suspecta.

DOSIS. Guttæ aliquot multa aqua dilutæ per intervalla propinantur.

Externe magis scopo cosmetico (cutis maculas tollit): ad chemica præparata: ad menstrua: ad crustas tineosas, & furfures capitis.

## TARTARUM SOLUBILE.

℞. Salis cujusvis alkalini fixi P. libram unam.

SALI in aqua bullienti soluto tartari crystallos gradatim injice, quamdiu effervescentiam excitant; quæ fere cessat, antequam triplum salis alkalini pondus sit injectum: deinde liquorem per chartam cola, & post idoneam separationem sepone, ut crystalli formentur, vel aquam penitus excoque, ut massa salina relinquatur.

USUS. Dosis unius scrupuli, vel drachmæ dimidiæ, aut integræ drachmæ moderatam aperiendi, & refrigerandi qualitatem habet. Duæ, vel tres drachmæ, passim alvum solvunt; uncia vero satis violenter purgat. *Malvinus* scribit quod sali cathartico Glauberi simillimus sit, quoad catharticam facultatem. Utiliter adjicitur purgantibus resinosis, quia illorum operationem promovet, atque eodem tempore qualitatem excitandi tenesmum corrigit. Nunquam vero copulari debet cum acidis, quia ab omnibus acidis decomponitur; absorbent enim sal alkalinum, & tunc tartarum præcipitatur.

## LIXIVIUM SAPONARIUM.

℞. Cinerum Russicorum.
Calcis vivæ pondera æqualia.

CALCI & cineribus aquam instilla, donec calx extincta sit: tum aqua largius effusa, bene peragita, ut cinerum salsedo liquescat; deinde quiescere permitte, & liquorem si opus sit, per chartam colatum, in aliud vas transfunde. Hujus liquoris mensura libralis cautissime examinata, uncias sedecim pendere oportet. Si ponderosius sit, quot drachmis hoc pondus excedat, totidem P. sesquiunciæ aquæ in singulas mensuras librales addendæ sunt: sin vero fit lævior, liquor decoquendus est, donec totidem sesquiunciæ sint consumptæ; vel calci cineribusque recentibus denuo affundendus.

USUS. Lixivium saponarium per se nunquam usurpatur, at multarum præparationum basin constituit; uti inferius patebit.

## SAPO AMYGDALINUS.

℞. Olei amygdalini recens expressi quantum libuerit.
Lixivii saponarii jam dicti triplicem mensuram.

DIGERANTUR simul tanto calore, quo parum aut vix ebulliant, & intra paucas horas coibunt; deinde liquor aliquantulum coctus pellucidior, & mucilaginosus fiet, qui gelatinæ instar frigefactus concrescat; tum salem marinum injice dum liquor ebulliens non amplius fit mucilaginosus, & coctio continuetur, donec, guttis liquoris in tegulam demissis, aquam a sapone coagulato, prompte secedere compertum sit; postea remove ignem, & sapo gradatim supernatabit, qui antequam frigescat, auferri, & in formam ligneam, cui pannus sit pro fundo immitti debet:

bet: tandem exemtus reponatur, ut justam crassitiem acquirat.

EODEM modo ex oleo olivarum sapo confici potest; purissimum autem oleum adhibendum est, ut sapo tum palato, tum ventriculo, quam minime ingratus sit.

QUEMADMODUM saponis usus in praxi frequentissimus est, & tantum superficialia quædam circa activitatem hujus substantiæ in variis morbis, apud Scriptores reperiantur, præcipua circa saponis naturam, & qualitates adjiciam. Et primo adnotatione digna sunt, quæ in *Pharm. Anglica* reperiuntur, sequenti ratione conscripta: Sapo durus purior est sola saponis species, quæ pro usu interno inservire potest. Cum oleosis, vel resinosis substantiis trituratus, illas in aqua solubiles reddit, ac proinde utillimus evadit in compositione pilularum resinosarum, quia illarum in stomacho dissolutionem atque miscelam cum succis animalibus promovet. Sapo oleosos ac viscidos humores dissolvit, viscerum obstructiones tollit, atque canales omnes glutinositate obturatos reserare valet. Habetur etiam pro efficacissimo menstruo calculi humani, præsertim si in aqua calcis dissolvitur. Sed experimenta numerosissima postremam hanc saponis facultatem incertam reddiderunt. Utillime etiam sapo durus combinatur cum opio, cujus solutionem in stomacho faciliorem reddit. Vide compositionem *pilularum saponacearum*. Sapo amygdalinus, quoad qualitatem minime differt a saponibus duris. Activitas saponum magnopere variat, secundum tempus præparationis, & secundum methodum, qua servata fuerunt. Sapo recens quamvis bonam consistentiam apparenter habeat, tamen post perfectam exsiccationem, quartam fere ponderis sui partem amittit; quod vero amittit nihil aliud est nisi aqua; quod quidem peculiariter animadvertendum in administratione hujus remedii.

SAPO decomponitur (vel sal alkali, & oleum, quo componitur, separantur a se invicem) ab acidis omnibus, & ideo cum aqua, quæ acidum liberum con-

 tinet,

tinet, minime spumosus evadit. In aqua pura solutus efficit lacteum liquorem, cui si guttatim adjicitur oleum vitrioli, coaguli speciem efformat: si acidi additio augetur liquor limpidus redditur, oleum saponis ad superficiem elevatur, ejus vero alkali cum acido combinatur, & in fundo efformat salinas concretiones. Oleum diligenter collectum, majorem habet puritatem, quam cum primum pro compositione saponis adhibitum fuit; & uti olea essentialia vegetabilium, dissolvitur in spiritu vini: fortasse aliqua inde utilitas obtineri poterit, liberum enim esse videtur a crassioribus particulis, purissimum est, atque oleorum essentialium pungenti qualitate caret.

AB experimentis modo adnotatis deducitur, nullam acidi speciem una cum sapone usurpari debere; nam acida omnia salem alkalinum saponis ab oleo absorbere valent. Sales neutri memoratum effectum non habent, ipsorum enim acidum alkali omnino satiatum est; verumtamen sales, qui componuntur ab acido, & terrea vel metallica substantia, uti sal catharticus, vitriolum &c. saponem æque decomponunt ac acida pura: acida enim deserunt terram, aut metallum ut copulentur cum alkali, cui sunt approximata.

SAPO etsi parce, dissolvitur tamen in spiritu vini puro: observandum vero circa hanc solutionem, quod si exponatur ad gradum caloris, in quo aquæ congelatio incipit, congelatur in massam solidam pellucidam.

FACILITAS decompositionis saponis ope acidorum saponem aptissimum reddit ad judicandum num aquæ parvam continent acidi liberi quantitatem. *Pharm. Anglica*.

ALKALI quod adhibetur in compositione saponis, liquidum est, ideoque certam aquæ quantitatem continet; sapo recenter paratus omnem hanc retinet aquam, hæc vero nimia est; hinc integra remanere nequit; ideoque insensibili evaporatione separatur; atque ob hanc rationem sapo aeri exponi debet statim ac e modulis educitur. Verumtamen superest in sapo-

sapone aqua ipsi essentialis, atque hæc est causa coloris albicantis, nam moleculis olei intermixta existit, uti aqua quæ emulsionibus colorem album conciliat, quia particulas olei a se invicem separat. *Beaume Pharm.* pag. 418.

## SAPO PURIFICATUS.

℞. Saponis sicci, duri Hispanici, vel cujuscumque saponis oleosi in frustula dissecti libram unam; immitte in vas terreum, & affunde spirit. vini rectific. M. lib. 16. Dein balneo vaporis ebulliat spiritus vini, usque ad saponis solutionem, quæ cito eveniet. Vas bene clausum servetur in loco calido, usque quo liquor perfecte limpidus fiat; & si materiæ oleosæ aliquid innatabit diligenter auferendum. Postea limpidus liquor a fæcibus decantetur, & distilletur residuum spiritus vini calore balnei vaporis. Quod remanet aeri sicco exponatur per paucos dies, & obtinebitur massa alba, opaca, & quodammodo friabilis.

SAPO ita purificatus nullum fere odorem habet, atque si ad examen revocatur, nullum acrimoniæ gradum possidet, verum omnino mitis ac mollis est, ideoque Medicis usibus aptissimus. *Pharm. Angl.*

## SAPO STARKEY,

### sive Philosophicus, vel Tartareus.

℞. Salis Tartari calcinati, & adhuc calentis unc. 5.

Olei Terebinthinæ unc. 3.

Conterantur illico, diu & fortiter in mortario calefacto, donec massa saponacea sit formata.

VIS eximie resolvens, discutiens.

USUS ad resolvendos tumores cysticos, & articulares. *Reuss.*

NOTISSIMAM saponis philosophici compositionem apposuimus, ut nihil desideraretur; verum varia experimenta inutilitatem hujus remedii ostenderunt; hinc formula in Londinensibus, & Edinburgensibus Pharmacopœis recenter editis non amplius extat.

SAPONES inter præsidia aperientia, diuretica, & deobstruentia locum habent, & revera, urinam augere solent, ac sæpe activitate manifesta donantur. Nam in decompositione saponis, quæ in ventriculo absolvitur, alkalinæ particulæ admodum attenuatæ, ac nimis acri qualitate spoliatæ corpori communicantur; atque hac ratione non multum a stimulanti alkalinorum qualitate pertimescendum erit. Differt contra quoad activitatem, atque principium actionis sapo acidus, a sapone alkalino. Acidi enim saponis attenuans, & diuretica indoles pendet omnino ab acido cujus valde stimulans citissimaque operatio olei glutinositate imminuitur.

DOSIS saponis duri est a granis decem usque ad drachmam semis. Præstat vero saponem potius forma fluida, quam solida propinare.

Quemadmodum de saponibus sermo est, non abs re erit, reliquas præparationes saponaceas hoc in loco adnotare.

## LOTIO SAPONACEA.

℞. Aquæ rosarum damascen. unc. 12.
Olei olivarum unc. 4.
Lixivii tartari M. unc. sem.

Lixivium tartari, & oleum triturentur simul usque ad perfectam mixtionem, dein gradatim add. aqua rosarum.

USUS detergendi externe in sordidis ulceribus.

## BALSAMUM ANODYNUM.

℞. Opii Thebaici unciam unam,
Saponis albi Hispani uncias quinque,
Camphoræ uncias duas,
Olei ſtillatitii rorismarini semunciam,
Spiritus vinosi rectificati libras duas.

DIGERE opium, & saponem in spiritu per triduum; dein liquori colato, adjice camphoram, & oleum, diligenter agitans.

VIS anodyna.

USUS. Externe ad dolores leniendos partium solidarum externarum.

Interne in colica nervosa, ictero, in arthritide & rheumatismo a guttis 20. ad 50., eo utuntur Angli.

Granum unum opii ineſt guttis 90.

## LINIMENTUM SAPONACEUM,

sive saponis, vel Tinctura balsamica externa, vel Balsamum saponaceum Edinburgense.

OMISSO solum opio, fit cæterum iisdem, & eodem modo, quo *Balsamum anodynum*.

VIS discutiens, resolvens.

USUS in tumoribus glandularum, in chronico rheumatismo, si articulorum immobilitas adeſt.

Linimenti saponis vires, pro variis rerum circumſtantiis spiritu salis ammoniaci, vel spiritu Terebinthinæ eximie exaltantur. *Reuss.*

## SMEGMA LENTILII.

℞. Cinerum absinthii, Juniperi, & agrimoniæ ana libr. unam.
Cum aqu. font. q. s. fiat lixivium, in cujus lib. duas
Coque Radic. Rub. tinct.
Filicum, & Bardanæ ána unc. duas.
Flor. Marrub. alb. manip. duos.
Colat. add. Sevi bovil. q. s. ad sapon. consist.
Croc. orient. drach. duas.

VIS resolvens, aperiens uti reliqua saponacea.

FORMULAM usitatissimam in praxi Neapolitana, ideo apposui, ut ab inepta admodum, ac potius damnosa præparatione sagaciores Medici abstinerent. Hoc certe remedio impune carere possumus dum heroica saponacea præsto sunt.

## SAPO ACIDUS.

℞. Olei olivarum purissimi lib. unam, teratur in mortario vitreo cum semilibra acidi vitriolici concentrati, & dephlogisticati. Acidum vero per intervalla, & gradatim affundatur; nec nova affundatur quantitas, nisi post liquoris refrigerationem. Hoc tempore pistillo vitreo mixtura æquabiliter agitetur, quo unicam efformare possit substantiam. Tunc liquor in vas magis apertum detineatur, ut aeris, & frigoris actione, acidi superflui separatio facilior evadat. Acidum vero filtrando separetur. Residuum denuo misceatur, & agitetur donec in massam albicantem, & consistentem transeat.

HÆC præparatio simplicissima, quæ adnotatur in Opusculis Scientificis Vol. 12. pag. 354. reliquis anteferenda. Integra vero hujus remedii historia legi potest in Dictionario Chemico, & apud alios Scriptores.

VIS diuretica, resolvens, attenuans præstantissima.

USUS

usus. In anasarca, cachexia; præsertim si stagnantes humores ad corruptionem vergunt. Propriæ & quidem numerosæ observationes nobis ostenderunt vim diureticam insignem saponis acidi in asciticis, & leucophlegmaticis.

dosis non solum a granis octo ad 40., sed a semidrachma ad drachmas duas. Si epicratice usurpatur, ejus operatio æquabilior redditur.

## CAUSTICUM COMMUNE

### fortius.

lixivium saponarium supra dictum coque ad partem quartam; dein calcem vivam, quæ in pulverem trita, cribrata, & vase vitreo, subere obturato asservata fuerit ad plures menses, huic lixivio dum adhuc ebullit, insperge, donec omnem liquorem absorpserit, ut fiat pasta, quæ vase optime clauso servari debet.

## CAUSTICUM COMMUNE

### mitius.

℞. Saponis mollis,
Calcis vivæ recentis pondera æqualia.

usus tempore probe misceantur; est enim extemporanea præparatio.

substantiæ alkalinæ deacetatæ qualitatem causticam nanciscuntur, atque in modo adnotatis formulis calx viva lixivio alkalino adjungitur, ut lixivium perfecte causticam activitatem acquirat.

etsi aliquando causticis externe applicatis flaccidæ ac luxuriantes vulnerum, atque ulcerum carnes coercentur, tamen causticorum vires, semper suspectæ sunt, quia insignem in animali œconomia perturbationem inducunt. Medici, atque Chirurgi Nea-

poli-

politani, qui pessimo sano consilio non solum bubonum venereorum curationem caustico tumoribus imposito moliuntur, verum etiam nullo existente tumore in regione inguinum, applicato hisce in sedibus caustico morbi venerei prophylaxin instituunt, insanabili tetano occasionem suppeditant. Hoc in casu apud nos frequentissimo principium inflammabile salinam pungentissimam qualitatem assumit, ac proinde essentialem nervosum morbum gignit. Observationes practicæ satis numerosæ ad hanc doctrinam pertinentes extant in Tractatu nostro peculiari *de Lue venerea*.

### ACETUM DISTILLATUM,

vel

### SPIRITUS ACETI.

ACETUM distilletur leni calore, quamdiu guttæ cadunt ab empyreumate puræ.

SI aliqua pars spiritus primum producti abjiciatur, spiritus asservatus fortior erit.

### ACETUM DISTILLATUM.

Pharm. Edinb.

IN vasis vitreis, leni igne distilletur aceti congius unus. Libræ duæ primum prodeuntes, utpote nimis aquosæ rejiciendæ sunt; quæ sequuntur libræ quatuor erunt acetum distillatum. Reliquum fundit acidum fortius, sed igne nimis exustum, & ad alios usus seponendum.

VIS antiputrida, antiseptica, venenorum antidotum, refrigerans, bilis, & humorum æstuantium expansionem orgasticam refrenans, sitim sedans, resolvens, diaphoretica. *Reuss.*

QUE-

QUEMADMODUM reliqua acida copioso aqueo vehiculo conjuncta utiliora sunt, ita & acetum, & præsertim distillatum. Acetum enim præternaturalem absorbendo calorem febris inflammatoriæ impetum moderatur, & evoluto phlogisto saturatur. Dilutissimo aceto sitis sedatur, & bilis siccus calor decrescit. Contra vero aceti distillati, concentrati, atque etiam simplicis usus uberior, & assiduus pessima substantiarum phlogisticantium damna affert. Acetum in hoc casu stimulando, atque exsiccando fluidorum tenacitatem, solidorum rigiditatem, pinguedinis destructionem, & lymphaticorum absorbentium obturationem gignit. Vomitum quoque insanabilem post profusam aceti administrationem observavimus. De generalibus aceti qualitatibus vide, quæ dicta sunt in pag. 57.

VARIÆ etiam aceti præparationes hoc in loco adjiciendæ sunt.

## ACETUM BELLADONNÆ.

℞. Radic. *Belladonnæ* recent. in taleolas sectæ, & nonnihil siccatæ unc. 1., & dimidiam,
Aceti vini concentrati uncias 12.

Macerentur per 14. dies, in lagena vitrea, sæpius concutiendo, dein coletur cum leni expressione acetum, cui addatur *spiritus vini tenuioris* unc. 1.

Post aliquot dierum moram acetum clarum decantetur, & asservetur usui.

VIS antiseptica, discutiens, sopiens.

USUS in rabie canina. *Reuss.*

OBS. Omnes qui de *Atropa Belladonna* scripserunt, hujus plantæ *solanaceæ* vires venenatas narcoticas scilicet, phantasticas, paralyticas, anodynas, antispasmodicas, repellentes, adnotarunt. Hujusmodi qualitates a vitioso principio phlogistico vitalitati opposito pendent; & sane *Cl. Goeckel*, apud *Bergium in Mat. Med. observationes de vi deleteria harum baccarum*, nempe Belladonnæ, *confirmavit, unde patet, illas necare vomitu atroci, cum convulsionibus*

*juncto*

*juncto* . . . *Acetum ut antidotum extollit* C. C. Sicelius. *Bergius* l. c. Belladonna igitur, quæ activitatem deleteriam, & siderantem *Cicutæ* analogam possidet, aceto macerata insignem virositatem amittit, & sedativam tantummodo vim retinet.

### ACETUM BEZOARDICUM,

sive Pestilentiale.

℞. Rad. Angelic.
Valerian.
Herb. Menthæ.
Flor. Chamæm. vulg.
Bacc. Juniper.
Lauri ana unc. dim.
Croc. Orient.
Camphoræ ana drach. 1.
Aceti vini unc. 72.
Digere, cola.

VIS alexipharmaca, antipestilentialis.

USUS in peste, in febribus nervosis a maligno contagio, tam externe, quam interne: drachma una pro dosi in die aliquoties.

In morbis chronicis cum debilitate insigni, & inclinatione ad syncopen, cum sale alkalino saturatum, ad drachmam dimidiam confert. *Reuss.*

OBS. Acetum simplex fortasse semper majorem vim antisepticam, & contagiosis effluviis oppositam habet; nam vapores acidi valde attenuati cum exhalationibus phlogisticis statim intimeque conjunguntur. Saluberrimo hoc effectu privatur acetum statim, ac cum substantiis aromaticis, valde stimulantibus conjungitur.

ACETUM ANTISEPTICUM,

sive Cardiacum, vulgo *de' quattro Ladri*.

℞. Herbæ Absinthii vulgaris uncias 3.
Salviæ,
Menthæ crispæ,
Rutæ, ana unc. 1. & dimid.
Florum Lavendulæ siccatorum unc. 2.
Spicar. Allii.
Radic. Calami aromatici, Cinnamomi, Caryophyllorum, Nucis moschatæ ana drac. 2.
Aceti fortis unc. 128.

Incisa, & probe mixta macerentur in cucurbita vitrea, clausa per 6-12 dies, colentur cum expressione, & filtratis, addatur Camphoræ, spiritu vini forti, solutæ unc. dimidia.

In vitro bene obturato servandum eſt hoc acetum.

VIS antiseptica, cardiaca, excitans.

USUS in debilitate, languore, putrido ſtatu corporis humani. In peſte, si præservative partes corporis aeri expositæ eo lavantur, ejus suffitu veſtes imbuuntur, & conclavia, & interne simul cochleatim adhibetur. *Reuss*.

ACETUM ARMORACIÆ.

℞. Radic. Armoraciæ recent. unc. 1.
Aceti vini unc. 12.

Mixta macerantur sub terra per 14. dies.

VIS cosmetica, discutiens.

USUS ad lentigines faciei, omni vespere, si facies eo lavetur. *Reuss*.

POSSET interne etiam usurpari in hydrope, & scorbuto; & siquidem aceto vis ſtimulans cochleariæ Armoraciæ magnopere infringitur.

Syrupus Armoraciæ, sive Raphani Ruſticani multum laudatur in raucedine. Vide quæ de Syrupis inferius dicenda sunt.

Acetum Aromaticum, sive *Prophylacticum* magnam cum *aceto antiseptico* analogiam habet.

## ACETUM CAMPHORATUM.

℞: Camphoræ drach. 1.
Teratur in mortario vitreo accurate cum
Spiritus vini guttis 20. diu tritis: addantur tum
Sacchari albi puri unc. 2.
Aceti vini concentr. unc. 10.

In vase vitreo bene clauso, probe asrervantur.

VIS refrigerans, antiphlogiſtica.

USUS in febribus acutis, malignis, putridis exanthematicis, qua antiphlogiſticum eximium remedium, ad unciam semis omni trihorio sumtum. *Reuss.*

Externe antisepticum, ad gangrænam, & emphysemata putrida. *Plenk.*

## ACETUM COLCHICI.

℞. Radicis Colchici recent. succulent. autumno collectæ, & in tenues taleolas dissectæ unciam 1., vel 2.
Aceti vini communis boni unc. 12.

Macerentur leni calore in lagena vitrea per 14. dies, sæpius liquorem agitando, & levi expressione dein colatur, servatur usui ad oxymel colchicum.

VIS diuretica, pellens.

USUS in hydrope, ascite, œdemate pedum, & hydro-

hydrothorace; commode cum aquis diureticis, & syrupo mixtum. In periculosa diarrhæa confert additum Laudanum liquidum Sydenhami. Cæterum ad oxymellis Colchici præparationem confert.

Acetum hoc plerumque acre, cum aquis diureticis miscetur, & idoneo syrupo edulcoratur, & ad minorem ac majorem dosin optime propinatur a drachma 1., ad unciam 1., & ultra. Vulgo præscribitur oxymel Colchicum a drachma, ad unciam 1. perbelle mixtum aqua quadam destillata aromatica. In diarrhæa ab eo metuenda, addatur commode, & secure laudandum liquidum, vel aliud opiatum. *Reuss.*

OBS. In nostra praxi nulla cum utilitate acetum vel oxymel *Colchici autumnalis* adhibuimus, semperque inter diuretica heroica Scillæ radix primarium locum merito occupabit.

## ACETUM PROPHYLACTICUM.

℞. Rad. Angelicæ,
Petasitidis ana uncias 3.
Corticum Citri uncias 4.
Myrrhæ optimæ drachmas sex.
Herbæ scordii recent.
Rutæ ana unciam sem.
Aceti vini libras 7.

Stent in digestione, ad aceti saturationem, filtretur cum expressione, & dein addatur Camphoræ uncia mucilagine gummi arabici soluta.

VIS excitans, exhilarans, confortans alexipharmaca, putredini resistens.

USUS. Lypothymicos, & halitibus carbonum expositos excitat.

Vapor hujus aceti peculiari machina intestino recto adplicatus, in affectibus syncopticis vires cito refocillat, & in febribus putridis malignis eximie conducit, & cœlo nebuloso, ad præcavendum virus epidemiæ febrium malignarum, mane cochl. 1. 2.

For-

Fortasse aromata, quæ junctis viribus in hac compositione operantur utillima sunt; revera tamen simplici aceto similes tribuendæ sunt vires.

### ACETUM ROSACEUM.

### vel Rosatum, vel Rosarum.

℞. Flor. rosar. rubrar. siccatar. unc. 2.
Aceti vini concentrati unc. 12.

In vase vitreo bene obturato, per tres hebdomadas exponantur calori solis, vel digestionis igni; colatum servetur probe.

vis excitans, exhilarans, confortans, reficiens.

usus odoramentis, epithematibus; ad gargarismata; fomenta repellentia.

### ACETUM VINI CONCENTRATUM,

### sive simplex.

℞. Aceti vini fragrant. q. l. in vase ligneo, vel doliolo immissum, glacietur, intensioris nempe hyemis frigori ad tertiæ partis congelationem exponatur, perfracta glacie acetum limpidissimum, fragrans effusum servetur.

vis antiseptica, confortans, excitans, leniter irritans, temperans, adstringens, antiphlogistica, diaphoretica.

usus. Interne in putridis inflammatoriis affectibus, febribus malignis lypothymia, syncope. In gangræna inflammatoria, in carbunculo, in erysipelate bilioso, putrido, uncia 1. cum aqua omni bi - vel trihorio, confert eximie. *Reuss.*

Vapores aceti, & aquæ calidæ in peripneumonia, & angina conferunt ad sputa promovenda: ad fomentationes, & gangrænam, & sphacelum: carboni-

bonibus inspersum in mania, aerem noxium corrigendum in nosocomiis, vel hypocaustis ægrotorum.

### ACETUM VINI RADICALE.

℞. Aceti vini concentrati libr. dimid.
Salis sodæ depurati qu. suff. ad perfectam saturationem aceti.

Liquor filtratus ad siccitatem evaporandus.

Sal hic medius retortæ tantæ capacitatis, ut ad medietatem sic impleatur, injiciatur, & sub continuo motu minuatim instillentur;

Olei vitrioli unc. 9.

Retortæ balneo arenæ impositæ, adaptetur vas recipiens magnum, clausis probe, vesicæ madefactæ ope, commissuris, distillatio leni continuetur igne, usque dum nebulæ in vase recipiente, & guttæ ad extremum retortæ collum cessent. In vase vitreo bene obturato servetur usui acetum hoc.

VIS multo fortior quam antecedentium, &

USUS in iisdem quoque morbis. *Reuss.*

### ACETUM SCILLITICUM.

℞. Scillarum siccatarum libram unam.
Aceti libras sex.

MACERA scillam in aceto leni calore; deinde exprime, & sepone, ut fæces subsidant; denique aceto defæcato, adde spiritus vinosi tenuioris duodecimam circiter partem, ut diutius a fæculentia conservetur.

VIS diuretica si a drachma 1 ad 2 propinatur; vomitum excitat si ad drachmas sex, vel unciam unam exhibetur.

USUS ad viscidum in stomacho, intestinis, pectore, viis urinariis incidendum, & educendum. In affectibus catarrhalibus suffocativis, a pituitæ stagnantis copia ortis, tussi difficili, asthmate humido, pi-

tuitoso, & spasmodico, in infarctu pectoris viscido expediendo; obstructione bronchiorum, mucum crassiorem resolvendum; & ad expectorationem promovendam. *Reuss.*i

Acetum ut omnia acria, quæ cum causticis affinitatem habent, acerrimum scillæ succum corrigit. Imminuitur hoc modo scillæ activitas, & sola tantum qualitas incisiva superest.

## SAL DIURETICUS,

sive Arcanum Tartari, Terra foliata Tartari, Oxytartarus, sive Alkali vegetabile acetatum, vel alkali Tartari aceto vini saturatum.

℞. Salis cujuscumque alkalini fixi lib. I.

COQUATUR lenissimo igne in aceti destillati quadruplo, vel quintuplo, fermentatione cessante, plus aceti destillati diversis vicibus adjiciatur, donec priore aceto fere evaporando absumpto, novum acetum additum nullam moveat fermentationem; quod fiet consumto aceti destillati, quasi pondere librarum viginti; postea lente exsiccetur. Relinquetur sal impurus, qui leni igne aliquantisper, sed non nimis diu, liquefiat, deinde aqua solvatur, & per chartam coletur. Si liquefactio rite peracta sit, liquor colatus limpidus erit, & aquei coloris, sin aliter, coloris fusci. Denique lenissimo igne vaporet hic liquor ex vase vitreo minime profundo, sale, dum crescit, subinde moto, ut citius ad siccitatem perducatur; qui vase optime clauso asservari debet, ne ex aere liquescat.

SALEM candidissimum esse oportet, totumque tum aqua, tum spiritu vinoso dissolvi, nullis fæcibus relictis. Si sal, etiamsi albus sit, in spiritu vinoso fæces aliquas deposuerit, eo spiritu solutus, per chartam colandus est, iterumque exsiccandus.

VIS blanda, saponacea, abstergens, diuretica; in minima dosi temperans, incidens resolvens; in majori dosi excretiones promovens, laxans.

USUS

usus in atrophia, & œdemate infantum, per diem drachma 1. In tussi ſtomachali pituitosa, spasmodica: in obſtructionibus viscerum abdominis, chronicis pertinacibus, nullam excitans diarrhæam, utiliter roborantibus combinatum remediis.

OBS. Solvitur penitus a spiritu vini, quo tincturam præbet eximiam spleneticam, nephriticam, & quintæ essentiæ vini nomen meretur, a guttis 40. ad 60. exhibendæ. *Reuss.*

SIMPLEX mixtura salis alkalini, & aceti, absque exsiccatione, fortasse non erit inferioris notæ remedium quam salis elaboratissima præparatio. Scio drachmas duas alkali aceto saturatas in hydrope duodecim evacuationes inteſtinales, & copiosam attulisse urinam, absque ulla moleſtia. *Pharm. Angl.*

## SPIRITUS VITRIOLI

### Tenuis, & fortis,

### atque

## COLCHOTAR.

VITRIOLUM calcinatum in vasis terreis, igne reverberii per triduum diſtilla. Liquore ſtillatitio retortæ vitreæ indito, & calore arenæ diſtillato, ascendet spiritus tenuis; & in retorta remanebit spiritus fortis, qui vulgo oleum vitrioli, quamvis improprie dicitur.

QUOD reſtat in vasis terreis poſt primam diſtillationem, colchotar vitrioli vocatur.

VITRIOLUM pro præparatione acidi calcinari debet usque quo colorem subluteum ad rubrum vergentem acquisiverit: si ad albedinem tantummodo calcinatur, uti vulgo proponitur, in vasis diſtillationis mutabitur in duram, & compactam massam, a qua nunquam debita acidi quantitas obtineri poteſt, quam-

 vis

vis ignis vehementissimus per longum tempus adhibeatur. Retorta incommodum satis instrumentum est pro hac distillatione.

SPIRITUS acidus, qui in prima distillatione elevatur, obscuri, vel nigricantis coloris videtur, atque considerabilem phlegmæ proportionem continet. In secunda distillatione primo elevatur pars phlegmatica, una cum tenuiori acido, atque nomine spiritus tenuis separatim servatur. Eodem tempore, qui remanet spiritus fortis, aut oleum, uti appellatur, nigrum colorem amittit, atque pelluciditatem acquirit; hoc vero indicat distillationem non esse ulterius protrahendam. *Pharm. Angl.*

SPIRITUS vitrioli tenuis juxta Pharmacopœjam Edinburgensem extempore paratur sequenti ratione:

### ACIDUM VITRIOLICUM TENUE,

vulgo

### SPIRITUS VITRIOLI TENUIS.

℞. Acidi vitriolici pondere partem unam,
Aquæ pondere partes septem. Misce.

OBS. Efficacia acidi vitriolici pro usu interno a tenuitate particularum suarum, debilique, sed durabili actione pendet. Nam quemadmodum sedes morborum vasa tenuissima occupat, medicamenta concentrata stimulantia, & fortiori acido composita absorberi non possunt. Hinc summa spiritus vitrioli attenuatio debilisque operatio acidum fere vaporosum, nempe subtilissimum, & valde penetrabilem reddit. Inde insignis facultas antiseptica, dum morbosa alkalescentia in acutis adest. Vide quæ de acido vitriolico dicta sunt *pag.* 54.

SPI-

## SPIRITUS NITRI

### Glauberi.

℞. Nitri P. libras tres,
Spiritus vitrioli fortis P. libram unam.

CAUTE & gradatim sub camino misceantur, postea fiat distillatio igne primum leni, deinde fortiori.

SPIRITUS rectificatur calore balnei arenæ, in cucurbita vitrea; phlegma elevatur, & spiritus remanet.

Acidum nitri vim habet vitriolico proximam, quo excepto omnia alia acida a basibus alkalinis, vel terreis expellit. Ab omnibus aliis acidis differt dephlagratione cum substantiis inflammabilibus. Si solutio cujuscumque inflammabilis substantiæ uti cornu cervi in hoc acido, evaporationi exponitur; statim ac ad siccitatem appropinquatur, vehemens detonatio sequitur. Princeps usus hujus acidi est pro menstruo nonnullorum mineralium, & pro basi peculiarium præparationum. Exhibetur simul tanquam diureticum, a guttis 10 ad 50 in convenienti vehiculo.

## ACIDUM NITROSUM TENUE.

℞. Acidi nitrosi,
Aquæ, pondera æqualia
MISCE, a vaporibus noxiis cavens.

Tutius propinari potest quam spiritus nitri Glauberi.

## SPIRITUS SALIS MARINI

### Glauberi.

℞. Salis marini,
Spiritus vitrioli fortis P. libras duas,
Aquæ M. libram unam.

SALI adde gradatim sub camino spiritum vitrioli, aqua prius mixtum; tum diſtillatio fiat primum leni igne, inde fortiori.

SPIRITUS salis marini inter omnia acida mineralia debilissimus, fortius vero quam acidum vegetabile quodcumque: pro diſtillatione majorem ignis vehementiam requirit, quam acidum nitrosum; verum aeris actione facilius dissipatur: Usurpatur essentialiter pro menſtruo, in aliis conficiendis præparationibus: aliquando vero proprie dilutus exhibetur a guttis decem usque ad 60 & 70 tanquam antiphlogiſticum, aperientem, & diureticum medicamentum. *Pharm. Lond.*

## AQUA FORTIS.

℞. Nitri,
Vitrioli viridis non calcinati, singulorum P. libras tres,
Vitrioli ejusdem calcinati P. sesquilibram.

PROBE misce, & igne fortissimo fiat diſtillatio, quamdiu vapor ruber exit.

VIS cauſtica corrodens. Hinc nunquam pro usu medico; a chirurgis aliquando adhibetur in ossium carie.

AQUA FORTIS COMPOSITA.

℞. Aquæ fortis P. uncias sedecim,
Salis marini P. drachmam unam.

DISTILLA ad siccitatem.

USUS. Pro menſtruo argenti vivi in præparatione mercurii corrosivi rubri, sive præcipitati rubri vulgo dicti; præcipitatum vero ab hoc composito liquore lucidam magis apparentiam nanciscitur, quam si paratur mediante acido nitroso tantum.

SAL VITRIOLI.

℞. Vitrioli albi P. libram unam
Spiritus vitrioli fortis P. unciam unam,
Aquæ quantum satis sit.

VITRIOLUM coquendo solve, per chartam cola, & poſt idoneam exhalationem, in loco frigido sepone, ut cryſtalli formentur.

TARTARUM VITRIOLATUM.

℞. Vitrioli viridis P. uncias octo.
Aquæ M. libras quatuor.

VITRIOLO in aqua bulliente soluto iniice salem tartari, vel alium alkalinum fixum, donec omnis effervescentia cesset; quod fere fit injecto salis pondere unciarum quatuor, vel aliquanto amplius: deinde per chartam cola, & poſt idoneam exhalationem sepone, ut cryſtalli formentur.

## SAL CATHARTICUS.

Glauberi.

RESIDUUM post distillationem spiritus salis marini Glauberi, solve aqua calida, per chartam cola, & salem in crystallos redige.

Componi potest ab acido vitriolico, & alkali fossili, vel magnesia alba; & tamen nulla interest inter utramque compositionem differentia. *Cull. Mat. Med.* 2. 514.

## SPIRITUS SALIS MARINI COAGULATUS,

sive

## SAL DIGESTIVUS SYLVII.

SPIRITUI salis marini Glauberi instilla lixivium salis cujusvis alkalini fixi, donec omnis effervescentia cesset: deinde mixtura vaporet ad siccitatem.

## SPIRITUS VITRIOLI

dulcis.

℞. Spiritus vitrioli fortis, olei dicti P. libram unam,
Spiritus vinosi rectificati M. libram unam.

CAUTE, & paulatim miscentur, lenissimoque igne distillentur, donec spuma nigra incipiat se attollere: tum statim omnia ab igne amoveantur, ne hæc spuma in recipiens transeat, omnemque laborem reddat irritum.

SPI-

## SPIRITUS NITRI
### dulcis.

℞. Spiritus vinosi rectificati M. libras duas,
Spiritus nitri Glauberi P. libram dimidiam.

MISCE infundendo nitri spiritum alteri, & distilla leni calore, quamdiu quod prodit fermentationem cum sale lixivioso non suscipiat.

## SPIRITUS SULPHURIS
### per Campanam.

INCENDATUR sulphur sub vase vitreo ad hunc usum accomodato, quod campana appellatur, & spiritus acidus destillet in vas vitreum subjectum.

OBS. Circa hanc præparationem vide quæ in Tractatu de acido vitriolico in genere dicta sunt.

## SPIRITUS, SAL, & OLEUM SUCCINI.

SUCCINUM distilletur igne arenæ gradatim aucto, ascendent spiritus, oleum, & sal oleo inquinatus.

OLEUM iterum per se distillando, dividetur in oleum tenuius, quod ascendet; & in partem crassiorem remanentem, balsamum succini dictum.

SAL coquendus est in spiritu proprio, vel in aqua, & seponendus ad crystallos formandas: ita ab oleo adhærente mundabitur. Et quo sæpius fit, eo purior erit.

## SPIRITUS, SAL, & OLEUM CORNU CERVI.

EX cornu cervini fragmentis fiat diſtillatio, igne gradatim ad summum fere aucto: ascendent spiritus, sal, & oleum.

SI oleo separato, spiritus, & sal simul mixti, iterum lenissimo calore diſtillentur, ambo puriores ascendent. Si hoc caute aliquoties repetatur, sal fiet candidissimus, & spiritus inſtar aquæ limpidus, gratique odoris.

SAL a spiritu separatus, & sublimatus primum ex æquali pondere cretæ purissimæ, deinde ex paululo spiritu vinoso rectificato, citius fit purus.

CORNU CERVI calcinatum plerumque conficitur urendo cornua poſt hanc diſtillationem relicta.

EODEM modo spiritus, sal & oleum extrahi possunt ex partibus quibusvis quorumcumque animalium.

OBS. Variis in locis subſtantiarum empyreumaticarum qualitates adnotavimus. Spiritus, & oleum cornu cervi temporariam, & brevi evanescentem actionem gignunt. Usurpantur in animi deliquiis, inunguntur partibus rheumatismo, frigidisque tumoribus affectis. Sale cornu cervi multum utuntur Angli in nervosis, vulgo dictis morbis, atque in febribus intermittentibus; exiſtimant enim hoc sale vitiosam sanguinis consiſtentiam emendari posse.

## SPIRITUS, SAL, & OLEUM FULIGINIS.

EX ligni fuligine diſtillatio fiat, ut ex cornu cervi: majore autem labore opus eſt, ut spiritus, & sal reddantur puri.

USUS. Spiritus, & sal fuliginis si perfecte puri sint, qualitatem subſtantiis animalibus similem habebunt, quamvis a multis anteferri reliquis soleant in affectibus nervosis, & præsertim in epilepsia. *Pharm. Anglica.*

PAS-

PASSIM a vulgaribus hominibus usurpatur pulvis fuliginis forma pillulari in curatione intermittentium diuturnarum. Dos. drachmæ dimidium quotidie.

### SAL VOLATILIS SALIS AMMONIACI.

℞. Cretæ purissimæ P. libras duas.
Salis Ammoniaci P. libram unam.

SUBLIMA ex retorta igne forti.

USUS: In animi deliquiis, virium debilitate, hysterismo, affectione hypocondriaca, utiliter naribus admovetur.

### SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

℞. Salis alicujus alkalini fixi P. sesquilibram,
Salis Ammoniaci P. libram unam,
Aquæ M. libras quatuor.

DISTILLATIONE eliciatur leni igne mensura sesquilibræ.

### SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS,

sive vinosus, sive spirituosus, sive alkali, ammoniacum volatile.

℞. Salis ammoniac. pulverisat. depurat. unc. 6. alkali liquor. sive salis Tartari, sive cinerum clavellatorum unc. 12. immissis cucurbitæ vitreæ affunde.
Spiritus vini fort. unc. 13. ad 24. In exiguo ignis gradu distillentur è retorta, juncturis probe clausis,
Spiritus volatilis prodibunt unc. 12.

VIS incidens, resolvens, discutiens, tonica, nervina, diuretica, diaphoretica.

USUS in partium solidarum, atonia, paralysi.

Interne qua valde forte, caute in copia humorum pituitosorum, & crassorum, ex. gr. in febribus intermittentibus, & chronicis morbis variis, uti in pectoris morbis cum vehiculo a guttis 15. ad 30. *Reuss.*

### SPIRITUS VOLATILIS

fœtidus.

℞. Salis cujusvis alkalini fixi P. sesquilibram,
Salis ammoniaci P. libram unam,
Asæ fœtidæ P. uncias quatuor,
Spiritus vinosi tenuioris M. libras sex.

DISTILLATIONE eliciatur leni calore mensura librarum quinque.

VIS anthysterica, præstans.

USUS. Spiritus vini substantiis fœtidis saturatus penetrantem actionem exercet; hinc ad guttas aliquot

quot repetito propinari potest in convulsionibus hystericis, in quibus aliquam semper utilitatem affert. Statim post distillationem spiritus volatilis pallidus est; temporis vero cursu colorem saturatiorem, sive obscuriorem acquirit.

SPIRITUS VOLATILIS

aromaticus.

℞. Essentiæ limonum,
Olei nucis moschatæ essentialis, singulorum P. drachmas duas,
Olei caryophyllorum aromaticorum essentialis, drachmam dimidiam,
Spiritus salis ammoniaci dulcis M. libras duas.

DISTILLA igne lenissimo.

OBS. Spirituosa omnia suspecta sunt, ob irritandi, & calefaciendi qualitatem; præsertim in morbis nervorum, aut inflammatoriis; eo magis quia vehemens irritatio semper atoniam gignit. In nimia tantum debilitate, & summo languore, utpote quæ instantaneum effectum afferunt, administranda sunt.

DOSIS est a guttis quinque ad 60.

RESI-

# RESINOSA
# &
# SULPHUREA.

## FLORES BENZOINI.

BENZOINUM in pulverem tritum, ollæ figulinæ in arena locatæ immittatur, & leni calore flores sublimentur in conum chartaceum ollæ adaptatum.

VEL Benzoinum retortæ immittatur, & leni igne flores in retortæ collum ascendent.

FLORES flavedine inquinati, terra cimolia alba mixti denuo sublimentur.

OBS. Flores Benzoini educuntur e resina arboris exoticæ, quæ a Linneo appellatur *Croton* Benzoe, a Cl. Jacquinio ad Terminaliam amandatur, minime itaque obtinetur a *Lauro* Benzoe.

USUS. Commendantur in morbis pectoris, tussi, catharro &c. rarius vero a recentioribus adhibentur. Intrant compositionem elixiris paregorici, & pectoralis, emplastri traumatici, trochischorum sulphuricis &c.

## FLORES SULPHURIS.

SUBLIMETUR sulphur ex vase idoneo, & flores qui concrescunt, reducantur in pulverem mola lignea, vel ligneo pistillo in mortario marmoreo.

## FLORES SULPHURIS

### loti.

FLORIBUS sulphuris affundatur aqua ad altitudinem quatuor digitorum super flores, & coquantur aliquamdiu; deinde hanc aquam effunde, & frigida affusa penitus ablue; denique flores siccentur ad usum.

OBS. Multa de sulphuris usu alio in loco dicta sunt; pauca hinc adjicienda supersunt in præsentia.

Sulphuris quoque usus eximius est in morbis metalli fodinarum, qui talia tractant metalla saturninis, mercurialibus, & arsenicalibus inquinata. Sicut sulphur mercurialibus junctum, sistendi, & prohibendi salivationem, quam hæc excitant, vim habet. *Reuss.*

## BALSAMUM SULPHURIS

### simplex.

FLORES sulphuris cum quadruplo olei olivarum pondere, coquantur in olla leviter tecta, donec coeant in Balsami crassitudinem.

EODEM modo cum Petroleo Barbadensi fit Balsamum sulphuris Barbadense.

BALSAMUM sulphuris Rulandi, sive Terebinthinatum differt a simplici additis olei Terebinthinæ unc. 4., ad Balsami sulphuris unc. 1. leni calore, in vitro clauso, ad balsami solutionem digestum, hinc conducit magis partibus ligamentosis, tendinosis; ulceribus sordidis, cacoethicis purgandis, suppurationem promovendo.

Balsamum sulphuris anisatum, suavior multo, præparatur, e Balsami sulphuris Rulandi part. 1. & olei distillati anisi partibus 5. leni calore digestis, ad *Pharm. Austriac.* ad quam ejus vis carminativa; resol-

resolvens, expectorans, & usus eximius in catarrhis & asthmate, colica nephritica, flatulentiis, morbis frigidis; ad ulcera purulenta pectoris.

DOSIS a guttis 3 ad 10 in vehiculo.

OBS. Digna sunt, quæ ex Spielmanno adnotavit *Reuss.* Consultius (ait) agunt prudentiores Medici, si a nauseosis his medicamentis, & acribus abstinent. Præcipue enim eorum vires ab oleo pendent, ad eorum præparationem adhibito. Quæ olea unguinosa receperunt, mitiora quidem sunt oleorum odoratorum ope paratis; sed ne hæc quidem acritudine carent; quippe oleum quodque, sub præparatione mitissimum, alias ubi incaluerit, evadet acre.

## SULPHUR PRÆCIPITATUM,

sive

## LAC SULPHURIS.

FLORES sulphuris dum triplo calcis vivæ pondere coquantur in aqua ad solutionem sulphuris, & liquor per chartam colatur; deinde spiritu vitrioli tenui addito præcipitabitur pulvis, qui sæpius affusa aqua lavandus est, donec omnino insipidus fiat.

OBS. Nullo modo lac sulphuris differt a floribus sulphuris, hinc præparatio prorsus inutilis.

## AQUA SULPHURATA.

℞. Aquæ M. libras duas,
Sulphuris P. libram dimidiam.

SULPHURIS portio aliqua in cochleari ferreo incensa suspendatur super aquam in vase clauso; & fumo residente, idem toties repetatur, donec totum sulphur sit consumptum.

VIS valde penetrans, ſtimulans.

USUS in paroxysmo aſthmatis convulsivi.

DOSIS unciæ dimidiæ ter in die in quocumque vehiculo.

# METALLICA.

## CHALYBIS RUBIGO

### præparata.

LIMATURA chalybis aeri exposita, humectetur sæpius aceto, donec in rubiginem convertatur; deinde tere in mortario, & affusa aqua, pulverem subtilissimum ablue; residuum vero, quod modico tritu in pulverem facile abluendum non redigitur, humectatum aeri diutius expone; & denuo in mortario tritum, ablue, ut prius. Pulvis ablutus siccandus est, & asservandus.

USUS. Limatura chalybis anteferri debet reliquis calcibus, vel crocis, igne vehementi paratis. Hoffmannus scribit, frequenter cum magno successu limaturam exhibuisse, in omnibus chloroseos casibus, cum vehementissimo capitis dolore, aliisque symptomatibus copulatis; atque addidisse, ait pimpinellam, radicem ari, salem tartari, cum paululo cinnamomi & sacchari.

DOSIS est a granis quatuor usque ad drachmam semis. Verum omnes hujus metalli præparationes utiliores sunt si parva dosi, sed repetito adhibentur. *Pharm. Angl.*

## CHALYBS cum SULPHURE praeparatus.

CHALYBS igne acerrimo excandefactus bacillo sulphuris moveatur, ut liquescat, & guttatim in aquam suppositam decidat: deinde separetur a sulphure simul in aquam defluente, & in pulverem subtilissimum redigatur.

## FLORES MARTIALES.

℞. Colchotaris vitrioli viridis loti, vel limaturæ ferri P. libram unam.
Salis Ammoniaci P. libras duas.

MIXTA sublimentur ex retorta, & quod in retortæ fundo remanet, cum floribus simul, terendo misce, iterumque sublima, ut flores colorem pulchre flavescentem acquirant.

RESIDUO tandem addere licet salis Ammoniaci P. libram dimidiam, & sublimationem denuo instituere idemque repetere, quamdiu flores bene colorati sunt.

VIS aperiens, & attenuans ob substantiam salinam ferro adnexam.

USUS. In affectione hysterica, & hypocondriaca, & in nimia solidorum debilitate.

DOSIS a granis tribus, ad decem.

## MARS SOLUBILIS,

seu

## CHALYBS TARTARISATUS.

℞. Limaturæ martis purissimæ,
Cryftallorum Tartari ana partes æquales.
Aqu. pluviat. q. s. ut formetur massa in balneo arenæ exsiccanda; quæ dein trita, madefacta, & aliquoties exsiccata, fatiscit tandem in pulverem impalpabilem.

VIS attenuans, resolvens; ob salinas particulas, quæ ferrum in humoribus noftris facile solubilem reddunt.

USUS. Non in cachexia tantum, & chlorosi, sed in œdemate, & Hydro-thoracis initio eft remedium præftantissimum.

DOSIS a granis quindecim, ad drachmam unam quotidie; forma potius fluida.

## LIXIVIUM MARTIS.

RESIDUUM poft florum martialium sublimationem loco humido seponatur, & liquor defluens servetur ad usum.

SOLUTIONI martis in spiritu salis omnino similis præparatio, quæ saporem habet subdulcem valde adftringentem, ideoque ad paucas guttas exhiberi poteft; appellatur quoque *oleum martis per deliquium*, *vel essentia martis*.

SAL

## SAL MARTIS.

℞. Spiritus vitrioli fortis, olei dicti, P. uncias octo.
Limaturæ ferri P. uncias quatuor,
Aquæ M. libras duas.

MISCE, & cessante ebullitione, ſtet mixtura aliquamdiu super arenam calidam; deinde liquorem effusum per chartam cola, & poſt idoneam exhalationem, sepone, ut cryſtalli formentur.

OBS. Raro paratur artificialiter, nam tanquam succedaneum adhibetur vitriolum viride commune purificatum mediante solutione in aqua, filtratione & cryſtallisatione. Differt tantum quia vitriolum commune proportionem majorem metalli continet respectu acidi. Si de Cupri præsentia in vitriolo dubitatur, additione ferri puri detegitur, & separatur hoc metallum; nam acidum relicto Cupro proportionalem ferri quantitatem dissolvit.

VIS resolvens, aperiens, roborans, anthelmintica.

USUS in obſtructionibus viscerum, cum humorum serosorum copia conjunctis; in atonia partium, ad reſtituendos sanguinis fluxus, a talibus ortos causis; ad expellendum etiam lumbricum latum &c.

DOSIS. Infantibus infra annum grani dimidia pars sufficit, 2 - vel 3 annorum gran. 2 - annorum 14 gran. 3 - ad 8, pro dosi. Adultis grana 20 a minori dosi incipiendo, ad majorem ascendendo.

Sollicite curandum eſt, ne limatura martis, aliis metallorum spiculis, Cupri, vel Aurichalci sit inquinata: vomitus enim & alia periculosa symptomata, facile poteſt excitare.

## SYRUPUS MARTIALIS.

℞. Limat. ferr. puriss. P. uncias sex.
Immit. in succ. limon. quantum satis, ut succus ad duorum digitorum altitudinem supra ferrum elevetur, & add.
Capillorum veneris, &
Scolopendrii ana pugillum unum.
Diger. omnia per dies quatuor sine calore, dein per linteum traiiciantur, & cum sacchari purissimi libra una edulcoretur Syrupus.

VIS valde aperiens.
USUS. In chlorosi utillima præparatio.
DOSIS. A semiuncia ad unciam unam, in libra una decocti graminis officinalis.

## CAUSTICUM LUNARE,

sive

## LAPIS INFERNALIS.

ARGENTUM purum duplo circiter pondere aquæ fortis, super arenam calidam solve, deinde calore leviter aucto, exsicca; postea in crucibulo liquefac, ut in formas idoneas effundatur, caute evitato nimio igne, ne materia ultra modum crassescat.

VIS caustica cauterii hujus potentialis, roborans, & exsiccans evadit si multa aqua solutus usurpatur.

USUS. Ad corrodendas carnes fungosas ulcerum, & ad verrucas extirpandas.

Solutio lapidis hujus drachm. dimid. in aquæ fontan. unc. 2. soluti, & dein aquæ fontan. unc. 8. diluti, validum roborans exhibet, in fistula lacrymali,

li, si per puncta lacrymalia iniiciatur: uti & in fistulis & ulceribus exsiccandis. *Reuss.*

### SACCHARUM SATURNI.

COQUE cerussam in aceto distillato, vase plumbeo, donec acetum satis dulcescat; deinde acetum per chartam cola, & post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli formentur.

OBS. Quæ circa naturam, & activitatem Sacchari Saturni adnotantur in *Pharm. Angl.* hoc in loco apponenda, Neapolitani enim Medici incaute admodum præparationibus plumbi interne utuntur.

Saccharum plumbi majorem quam reliqua hujus metalli præparata efficaciam habet. Nonnulli pauca ejus grana, interne exhibere audent, tanquam stipticum in hæmorragiis, sudoribus colliquativis, fluxu seminali, fluxu albo &c. effectu expectationi respondente. Fluxum enim potenter prohibet, verum eadem activitate, diversæ naturæ symptomata gignit, & sæpe magis periculosa, quam illa quæ dissipavit, nec raro etiam lethalia. Vehementes enim dolores intestinorum, vel totius corporis, & pertinaces alvi adstrictiones, sæpe immediate sequuntur, si uberiores fuerunt doses: crampi, tremores, ac debilitates nervorum, in genere, sæpe celerius, vel tardius superveniunt.

Boerhaavius existimat hanc præparationem malignam esse tantummodo si accidat, ut acidum suum intra corpus absorbeatur; etenim in hoc casu, ait, *denuo in cerussam, quæ vehementer venenata est, transit.* Juxta hanc doctrinam sequeretur, quod in hominibus, in quibus acidum abundat, saccharum Saturni innocentissimum experiretur. Res vero longe aliter se habet. Plumbum ejusque præparationes suam unice actionem in corpore humano exercent, dum cum acido combinantur: cerussa qualitates sacchari possidet, gradu tantum minori, atque ambo ab acido

sejunctæ parvum, vel nullum omnino effectum gignunt, *Pharm. Angl.*

VIS externe antiphlogistica, refrigerans, siccans, constringens, repellens, fortiter mundificans.

USUS ejus tam caute, uti aceti saturni; cæterum ad varia remedia ophtalmica venit; ad collyria adstringentia; in oculorum inflammationibus, tumoribus; in scirrho oculi, ne in cancrum abeat. *Reuss.*

In aquæ unc. 12. solv. scrup. 1.

### LAPIS MEDICAMENTOSUS.

℞. Aluminis,
Lithargyri,
Boli Armeniæ, aut Gallicæ, singulorum P. libram dimidiam,
Colchotaris vitrioli viridis P. uncias tres,
Aceti M. uncias quatuor.

MISCE, & exsicca, donec indurescat.

VIS exsiccans, mundificans, consolidans.

USUS externus ad ulcera, serpigines; injicitur etiam in gonorrhæa una cum mercurio dulci.

### STANNUM PULVERATUM.

STANNUM liquefactum in pyxidem effundatur ligneam intus cretatam, qua celeriter succussa, reducetur pars stanni in pulverem; reliquum iterum liquefactum, eodem modo tractetur, donec totum in pulverem sit redactum.

VIS anthelmintica.

USUS adversus vermes præsertim cucurbitinos, una cum catharticis alternatim propinatis. Vermium evacuatio procuratur; remedium vero minime tutum est, quia in stanno aliqua semper arsenici quantitas reperitur.

## ARGENTI VIVI

### purificatio.

DISTILLA e retorta; deinde sordes aqua salsa, vel aceto ablue.

OBS. Calor non debet augeri ultra gradum in quo mercurius elevatur, nam si ulterius augetur particulæ aliorum metallorum in massa argenti vivi præsentes simul elevantur, atque inde imperfecta redditur purificatio.

## ÆTHIOPS MINERALIS.

℞. Argenti vivi purificati,
Florum sulphuris illotorum, pondera æqualia.

TERANTUR simul in mortario vitreo, vel lapideo, donec unitas facta sit.

OBS. Si moderatus calor in præparatione adhibetur, mixtura magis erit perfecta, nec unquam dum Æthiops in pilulas, vel in electuarium redigitur, mercurius a sulphure secedit; contrarium vero accidit, dum remedium simplici trituratione paratur. Hinc si aliquando Æthiops mineralis salivationem affert, trituratione tantum paratum fuisse significat.

VIS quæ huic præparationi mercuriali tribuitur est anthelmintica, deobstruens, resolvens.

USUS vulgo adversus vermes intestinorum, & sæpe in phthisi pulmonali, imprudenter. Sed circa qualitates remedii adnotatione digna sunt, quæ in *Pharm. Angl.* leguntur.

Æthiops mineralis omnium mercurialium maxime inefficax præparatio, quamvis a nonnullis practicis audacter affirmentur stupendæ ejus qualitates, atque a multis medicamentum certæ efficaciæ esse existimetur. Quæ vero utilitas expectanda est a commu-

munibus dosibus octo, vel decem granorum, aut unius scrupuli, vel inde judicari potest, quod etiam ad dosim nonnullarum drachmarum per longum tempus, nullum gignere effectum consuevit. Sulphur insigniter imminuit vim omnium potentiorum mineralium, atque ejus actionem quoque inde imminutam esse videtur. Boerhaavius, qui utplurimum in laudandis medicamentis liberaliter se gerit, vehementi sermone Æthiopis mineralis usum improbatur sequentibus verbis: Vasa absorbentia lactea, & lymphatica subire nequit, sed recto cursu fertur per tubum intestinalem, ubi si fortunate operatur, fortasse vermes occidit. Qui alios expectant effectus, omnino decipiuntur, certe ipse nihil unquam observare potui. Ad uberiores doses imprudenter dari pueris, atque hominibus delicato corporis habitu præditis existimo; est enim extraneæ substantiæ massa, quæ a corpore subigi non potest, & magis pro suspecta habenda quo longius, & sine ulla actione retinetur. Salivationem non excitat, quia sanguinem non intrat. Quis enim dignoscere poterit effectus substantiæ, quæ adeo inactiva remanet per longum tempus. Neque majorem activitatem, quam ponderosam insipidam terram habere videtur. Hæc Boerhaavius.

OBS. Peculiariter in tradendis doctrinis Boerhaavianis immoratus sum, ut Medici Neapolitani crassioribus posthabitis erroribus, veritatis, & observationis viam alacriter ingrederentur.

CINNABARIS FACTITIA.

℞. Argenti vivi purificati P. uncias viginti-
quinque
Sulphuris P. uncias septem.

SULPHURI liquefacto argentum vivum immisce, & si mixtura flammam concipiat, extinguatur vas tangendo: deinde in pulverem redigatur materia, & fiat sublimatio.

VIS nervina, resolvens, capitalis, diaphoretica.

USUS in epilepsia, vertigine, apoplexia, convulsionibus, quamvis nullum gignere soleat effectum; nam sæpe evacuantur copiosæ cinnabaris quantitates penitus immutatæ. Si vero aliquando ab usu Cinnabaris salivatio oritur, hoc ostendit sulphuris, & mercurii proportionem irregularem esse. Cl. tamen Wallerius in suis dissertationibus usum Medicum Cinnabaris laudat; nostra experimenta ejus inefficaciam constanter ostenderunt. Suffumigia cinnaberina, quæ ab omnibus commendantur in ulceribus oris, faucium, & nasi utplurimum valde noxia sunt; mercurii enim vapores insigniter phlogisticati, tussim hecticam febrem, & tremores generales gignunt. Cinnabarina itaque, vel noxia, vel inutilia sunt.

## MERCURIUS CORROSIVUS

### sublimatus, vel albus.

℞. Argenti vivi purificati P. uncias quinquaginta,
Salis marini P. uncias triginta tres,
Nitri P. uncias viginti octo,
Vitrioli viridis calcinati P. uncias sexaginta sex.

ARGENTUM vivum in vase ligneo, vel lapideo uncia, aut amplius, mercurii sublimati corrosivi jam confecti misceatur, dum in grana minuta fractum sit; deinde cum nitro teratur, postea cum sale marino, donec argentum vivum omnino apparere desinet; tum addatur vitriolum calcinatum, quorum mixtura non nimis diu conterenda est, ne argentum vivum iterum confluat; denique sublimatio fiat in matraci vitreo, cui si placet, capitellum aptes, ut spiritus, qui parva quantitate prodit, servetur.

OBS. Quæ de sublimato dicenda erant reperiuntur in generali mercurialium historia.

## MERCURIUS DULCIS

### sublimatus.

℞. Mercurii corrosivi sublimati P. libram unam;
Argenti vivi purificati P. uncias novem.

MERCURIO sublimato trito adde argentum vivum in matracio vitreo, & digerantur leni arenæ calore, intro sæpe agitato donec coeant; deinde aucto calore fiat sublimatio: materia sublimata, abjecta parte superiori acri, & globulis argenti vivi, si qui forte appareant, in pulverem redigatur, iterumque sublimetur; quæ sublimatio sexies repetenda est.

USUS. Multa de mercurii dulcis eximia utilitate prædicantur, interne enim per longum tempus usurpatur in curatione eradicativa morbi venerei; in obstructionibus quoque, humorum spissitudine, & in vermibus intestinorum. In dolore ischiadico unius grani dosis quotidie usurpata per longum tempus, morbum sæpe solvit. Cum antimonialibus Plummerii pulverem alterantem constituit. Cum aqua plantaginis, & lapide medicamentoso copulatur pro injectione in gonorrhæa. Dosis est a granis duobus ad decem. Cæterum omnium mercurialium internorum damna affert, salivationem valde molestam facile gignit, & sæpenumero incommodum ventris fluxum sustinet.

MER-

## MERCURIUS CALCINATUS SIMPLEX,

### sive Mercurius præcipitatus per se.

ARGENTUM vivum purificatum ponatur super ignem arenæ per plures menses in vase vitreo, latum fundum parvumque foramen aeri patens habente, donec in pulverem rubrum calcinetur.

USUS. Hæc præparatio a nonnullis magnopere laudatur in morbis venereis, atque inter omnia mercurialia efficacissima, atque tutissima esse existimatur. Utiliter propinari potest una cum opiatis; pilula itaque quæ componatur a semigrano, usque ad duo grana hujus calcis, & quarta, vel dimidia grani opii, vel majori parte, adjunctis simul nonnullis aromaticis substantiis, adhiberi potest horis vespertinis. Hac ratione tractata quamvis efficaciter, attamen moderate operatur, uti alterans, & diaphoreticum præsidium. Si per se ad majores doses exhibetur, utpote ad grana quinque, cathartici, & emetici rudis vices gerit. *Pharm. Angl.*

OBS. Remedium raro adhibui in lue venerea, at cum felici semper successu. Tentari vero deberet in diuturnis doloribus rheumaticis, febribusque humoralibus lentis.

## MERCURIUS PRÆCIPITATUS albus.

℞. Salis Ammoniaci,
Mercurii corrosivi sublimati, pondera æqualia.

SOLVE simul in aqua, per chartam cola, & solutione salis alicujus alkalini fixi præcipita; pulverem præcipitatum ablue, ad perfectam dulcedinem.

VIS mitior quam mercurii præcipitati rubri calcinati: cæterum corrosiva in majori dosi, attamen antivenerea.

USUS non interne, quia irresolubile in humoribus corporis humani; qua emeticum forte; securiora enim ad internum usum extant remedia, mercurialia, sialagoga. *Reuss.*

Externe ad unguenta mercurialia, in morbis venereis imprimis ossium; in ulceribus, & bubonibus venereis mundificandis: in affectibus oculorum venereis, maculis, & varicibus corneæ; in emolliendis tumoribus induratis; in tinea & scabie, vel aliis fœdis cutis inquinamentis, in forma unguenti, sed caute. *Reuss.*

## MERCURIUS CORROSIVUS

ruber.

℞. Argenti vivi purificati,
Aquæ fortis compositæ, pondera æqualia.

MIXTA in vase lati fundi incalescant igne arenæ, donec exsiccata massa, rubicundum colorem acquisiverit.

VIS corrosiva, mundificans, exsiccans.

USUS tantum externus in curatione ulcerum, ad carnes fungosas erodendas. Interne nunquam usurpari debet.

## MERCURIUS CORALLINUS.

MERCURIO corrosivo rubro affunde triplum circiter pondus spiritus vinosi rectificati, & leni calore digere per duos, vel tres dies, vas sæpe succutiens; deinde spiritum accende, assidue pulverem agitans, donec spiritus totus deflagraverit.

OBS. Spiritu vini imminuitur immodica activitas metallorum, quæ cum acidis sunt combinata. Attamen hoc remedium etiam hac ratione concinnatum magnam retinet activitatem, & noxium esse solet; pauca enim grana cathartica, & emetica sunt & sæpenumero symptomata vehementissima excitant.

MER.

## MERCURIUS EMETICUS

flavus, sive Turpethum minerale.

ARGENTO vivo purificato affunde in vase vitreo duplum pondus spiritus vitrioli fortis; gradatim incalescat liquor & deinde ebulliat, donec in fundo remaneat massa alba, quæ forti igne penitus exsiccanda eſt. Hæc massa aqua calida affusa, ſtatim flavescet, & in pulverem fatiscet. Teratur diligenter cum hac aqua in mortario vitreo, & poſtquam pulvis subsederit, aquam effunde, & recenti aqua aliquoties affusa, abluatur ad perfectam dulcedinem.

VIS emetica, draſtica, alterans, diuretica.

USUS olim magis in gonorrhæa virulenta, in obſtructionibus glandularum a granis 2, 6, 8; ad hydrophobiam grana 6 - 8 quotidie qua specificum. *Reuss.*

## MERCURIUS ALCALISATUS,

sive Æthiops alcalinus.

℞. Argenti vivi drachmas tres,
Ocul. Cancr. p. drachmas quinque.

MISCE terantur simul in mortario vitreo usque ad perfectam globulorum mercurii evanescentiam.

OBS. Hæc præparatio, quæ in morbis venereis a Neapolitanis Medicis adhibetur, incertum semper effectum, & nunquam eradicativam curationem gignit. Salivatio valde incommoda hoc remedio excitatur, & morbi symptomata, quæ penitus dissipata videntur, denuo recrudescunt. Hinc exemplo Edinburgensium a noſtra quoque praxi ablegandus *Mercurius alcalisatus*. Idem dicendum de *Mercurio saccharato*.

## MERCURIUS GUMMOSUS PLENCK;

sive solutio Plenckiana.

℞. Mercurii rectificati, sive vivi depurati drachmam 1.
Pulveris Gummi Arabici drachmas tres. Terantur probe, donec omnes globuli mercuriales disparuerint, tunc addatur
Syrupi Diacodii, sive cichor. Rhabarbarati unciam dimidiam.

Misceantur, conterantur in mortario marmoreo, donec mercurius penitus in mucum abeat:

VIS antisiphylitica, solvens, sialagoga.

USUS. Interne morbos omnes cutaneos, ejus unc. 8. aqua dilutæ, & ad aliquot cochlearia interdum datæ felicissime fugarunt: uti externe ad lotiones adhibuit Plenck, ad phymosim, ophthalmiam, ozoenam, cum lacte coctus, forma fomenti, vel balnei; ad anginam veneream, & forma gargarismatis. In gonorrhæa, & fluore albo ad injectiones; in tetano, morsu canis rabidi, spina ventosa, &c. &c. *Reuss.*

OBS. Hæc & innumera alia, quæ de facultatibus mercurii gummosi prædicantur, rarissime practicis observationibus confirmantur; immo frequentissimæ salivationes, periculosæ diarrhææ, & febriculæ habituales, noxiam hujus præparationis efficaciam declarant. Meam vero sententiam vulgari Medicorum doctrinæ omnino oppositam esse non ignoro; ut vero tandem veritati auctoritas anteponatur sperandum?

MULTÆ adhuc supersunt præparationes mercuriales, quæ in libris describuntur; nos vero usitatas magis apposuimus, reliquis omnino posthabitis.

PRÆ-

# PRÆPARATIONES ANTIMONIALES.

## SULPHUR ANTIMONII

praecipitatum.

℞. Antimonii P. uncias sedecim,
Tartari P. libram unam,
Nitri P. libram dimidiam.

SEPARATIM in pulverem redacta, bene misceantur; sensim immittatur mixtura in crucibulum candens, & liquetur forti igne; deinde effundatur in conum fusorium, & pars metallica, *Antimonii Regulus* vulgo dicta, fundum petet, scoriis supernatantibus. Scorias in aqua solve, & liquorem per chartam cola; deinde salis marini spiritum instillando sulphur præcipita, & postea a salibus aqua ablue.

## SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

℞. Lixivii caustici libras quatuor,
Aquæ libras tres,
Antimonii in pulverem triti libras duas.

COQUE in olla ferrea, super ignem lentum, per horas tres, assidue agitans spathula ferrea, & addens aquam prout opus fuerit. Lixivium calidum coletur per linteum duplicem, & liquori adhuc calenti instilletur paulatim acidi nitrosi tenuis quantum satis sit ad deiiciendum sulphur, aqua calida diligenter abluendum.

## CROCUS ANTIMONII,

vulgo

## CROCUS METALLORUM.

℞. Antimonii,
Nitri, pondera æqualia.

SEPARATIM trita; & bene commixta, iniiciantur paulatim in crucibulum candens. Peracta deflagratione, materia metallica rubescens a crusta albicante separetur, & teratur in pulverem, qui sæpius abluatur aqua calida, donec insipida fit.

## CROCUS ANTIMONII

lotus.

CROCUM in pulverem subtilissimum redactum in aqua coque; qua abjecta denuo aqua calida, aliquoties ablue, donec omnino dulcescat.

## KERMES MINERALE,

vel

Sulphur Antimonii rubrum, sive pulvis Carthusianorum.

℞. Antimonii crudi grosse pulverisat. unc. 12.
Lixivii caustici unc. 36.

Per horam 1 ad 2, leni igne coctum liquorem fervidum, spathula continue motum, per chartam bibulam filtra, post refrigerium in quiete, pulvis subsidens, sua sponte ad fundum præcipitatur, insipidus plane, & inodorus, coloris rubicundi, qui affusa aqua communi, primum frigida, dein calida sæpius abluatur, donec insipidus fit.

HÆC præparatio multis in locis commendatissima annis modo elapsis, nomine *Kermes mineralis*, vel *pulveris Carthusianorum*, erat primitus præparatio Glauberiana, & per certum tempus inter magna secreta habita, tamen Galliæ Rex magno dato pretio remedium obtinuit a *D. de la Legerie*, & publico communicavit anno 1720. Quoad efficaciam non differt a sulphure antimonii supra descripto; nam omnes hujus naturæ præparationes propriam activitatem mutuantur a particulis Reguli antimonii, quæ a sale alkalino, ope sulphuris in aqua solubiles redduntur.

A multis tamen Medicis nulla præcipua vis huic remedio tribuitur, atque ab aliis contra inter efficacissima, & sæpe suspecta antimonialia collocatur; ac proinde, vel nunquam, vel ad dosin unius, vel dimidii grani usurpatur. At Kermes mineralis, uti reliqua ex hoc metallo præparata determinatam habet vim, remediique alternantis, & resolventis nomen meretur. Et sane in pulmonum colluvie sero-

 sa,

sa, in catharro suppurato, & in asthmate humido, extra paroxysmum cum magna utilitate exhibentur grana decem, duodecim, aut viginti Kermes mineralis. Facultas vero nullo modo mere pectoralis dicenda est, nam alterando, augendo circulationem, atque attenuando humores expectorationis incrementum operatur; ob hanc etiam rationem copiosum sæpe sudorem uberrimasque urinas educit. In morbis puerorum, in quibus pulmones glutinoso humore opprimuntur, nulla apparente expectoratione, pauca Kermes mineralis grana secundum ætatem distributa, & cum syrupo aliquo dulci mixta summum afferre levamen solent.

## VITRUM ANTIMONII.

ANTIMONIUM in pulverem arenæ similem contritum, insterne super vas fictile, non vitreatum, parum profundum, ignemque suppone levem, ut antimonium lente calefiat; pulverem interea assidue agitans, ne in grumos coeat. Vapores albi sulphur olentes ex eo orientur. Cum hi, eodem ignis gradu, apparere desinent, ignem auge aliquantum, ut iterum vapores exhalet; & sic perge donec pulvis igne tandem rubescens vapores exhalare desinat. Calx illa crucibulo indita liquescat igne violento donec vitri liquefacti speciem induat; dein effundatur super laminam, vel patinam æneam calefactam. Colorem ex luteo rufum, & pellucidum habebit.

VIS. Qualitatem possidet insigniter emeticam, neque usibus internis per se aptari potest. Verum aliis compositionibus, & præsertim præparationi Tartari emetici, & vini antimonialis essentialiter inseruit; cum cera etiam nonnullisque aliis substantiis combinatur, unde ejus activitas imminuitur.

### VITRUM ANTIMONII CERATUM.

℞. Ceræ flavæ drachmam unam,
Vitri Antimonii unciam unam.

CERÆ in vase ferreo liquefactæ injice vitrum in pulverem tritum. Calcina igne leni horam dimidiam, spathula assidue agitans; dein effunde in chartam materiam, quæ frigefacta teratur in pulverem.

USUS. Per longum tempus hæc præparatio inter præstantissima antidysenterica locum obtinuit, uti testantur varii casus in *Commentariis Societatis Edinburgensis* adnotati. Dosis est a granis duobus, vel tribus usque ad viginti, juxta robur, atque ætatem ægrotantium. Vomitum præsertim gignit. Verum dum de dysenteria agitur ad tutissimas, & æque utiles medicamentosas substantias, potius quam ad vitrum Antimonii confugiendum.

### VINUM ANTIMONIALE,

sive vinum Antimoniatum Huxhami, sive essentia Antimonii ejusdem, vel aqua Benedicta Rulandi.

℞. Croci metallorum unc. duas,
Vini optimi unc. sexaginta.

STENT per aliquot dies in digestione, tunc exacte filtretur mixtura, & usui conservetur.

VIS. Vinum antimoniale omnes metalli qualitates possidet, atque adeo quoad dosim tractari potest, ut omnes reliquarum præparationum antimonialium effectus obtineantur; cum hoc etiam emolumento, quod quemadmodum efficaciores antimonii particulæ perfecte jam solutæ, & animalibus fluidis miscibiles

factæ sunt, remedii operatio certa erit. Si a dosi decem, quinquaginta vel sexaginta guttarum exhibetur, alterando & sudorem promovendo operatur; majores doses diureticæ, & catharticæ evadunt; attamen tres, vel quatuor drachmæ vehementissimam vim emeticam exercent. Quemadmodum hoc præsertim scopo usurpatum fuit in mania, & apoplexia, ideo vini emetici nomen obtinuit.

VINUM antimoniatum Huxhami differt ab hac aqua Benedicta in eo tantum, ut loco Croci metallorum sumatur vitri antimonii pulverisati unc. 1. cum unc. 24. vini Hispanici, seu *Madera* digesta, per 12. dies, quo partes regulinæ æque solvantur. Liquor clarus bene filtrandus est. Qua magis efficax vitrum antimonii, hinc in dosi minori, sumendum est vinum Huxhami, qua æque potentissimum resolvens ad guttas 30 ad 80, sed nunquam qua emeticum, uti aqua benedicta Rulandi. *Seve* apud *Reuss.*

CALX ANTIMONII NITRATA.

℞. Antimonii ad vitrum conficiendum calcinati,
Nitri pondera æqualia.

COMMIXTA, & crucibulo indita, torreantur ita ut per horam rubeat materia; quæ demum e crucibulo exempta, conteratur, & aqua calida sæpius lavetur donec saporis expers sit.

OBS. Hæc præparatio eſt imitatio pulveris antifebrilis D. James, quæ eximias habet facultates in morbis febrilibus, præsertim rheumaticis, & biliosis. Propinari poteſt quocumque morbi tempore; in principio enim decem, aut duodecim granorum dosis omni sexhorio propinata utplurimum vomitum, & sudorem gignit, atque alvum solvit. In progressu vero acutorum sæpe symptomatum tantum vehementiam imminuit, absque ulla apparenti evacuatione, poſtea vero criticas omnis generis secretiones operatur. Activitas remedii suſtinetur diluentibus copiosius ingeſtis, & præsertim jusculis gallinaceis tenuissimis.

In morbis itaque febrilibus simplicibus, nempe ubi causa morbosa in humoribus reperitur, absque manifeſta organica congeſtione, utillimum eſt remedium. In principio, & progressu morbi, & in quacumque ætate tutissime adminiſtratur. Aliquando vomitum, sæpe alvi fluxum, copiosas urinas, & quod præcipuum eſt, sudorem gignit. Aer frigidus omnino vitandus, atque exceptis clyſteribus, dum pulvis operatur, a reliquis medicamentis abſtinendum. Innumeræ observationes practicæ remedii efficaciam profecto summam nobis oſtenderunt.

## EMETICUM MITE ANTIMONII.

℞. Antimonii partem unam,
Nitri partes duas.

TERANTUR simul, & dein per gradus candenti crucibulo injiciantur: materia post deflagrationem superstes, quæ alba est, post lotionem servetur usui.

QUANTITAS nitri adeo copiosa est, ut non solum sulphur antimonii, consumare valet, sed etiam magnam partem principii inflammabilis reguli ipsius. Boerhaavius a quo hæc præparatio desumpta est asserit adeo mitem esse, ut sæpe lævem nauseam, & moderatum vomitum, cum copiosa salivæ crassæque urinæ evacuatione afferre soleat. Effectus similes profecto sunt effectibus *Reguli Medicinalis*, & *Croci Medicinalis*.

OBS. Parva sane interest differentia inter emeticum mitius modo descriptum, & Pulverem antifebrilem celeberrimo pulveri D. James, uti existimatur, similem.

CAUSTICUM ANTIMONIALE,

vulgo

BUTYRUM ANTIMONII.

℞. Antimonii partem unam,
Mercurii sublimati corrosivi partes duas.

TERITO primum seorsim, dein accurate misce, vaporibus summa cura vitatis. Hac materia retorta vitrea, cujus collum breve latumque sit, ad dimidiam impleatur; tum adaptato excipulo, destilla ex arena, donec liquor spissus ascendens retortæ collo hæreat. Is carbone vivo caute admoto liquescat; dein iterum ex alia retorta destilletur, ut liquor pellucidus fiat.

Magna in præparatione diligentia opus est; nam vapores qui ab ipsa simplici sublimati corrosivi cum antimonio mixtione elevantur suffocantes, & lethales sunt, Boerhaavio teste.

Causticum, sive Butyrum, uti appellatur, antimonii est solutio partis metallicæ antimonii in spiritu salis marini sublimati corrosivi: sulphur enim antimonii, & mercurius sublimati simul in fundo retortæ remanent forma æthiopis.

MER-

MERCURIUS VITÆ,

sive

PULVIS ALGAROTTI.

℞. Butyri antimonii rectificati quantum libet. Huic aquæ fontanæ quantum sufficit instilla. Præcipitabitur pulvis albus, frequentibus aquæ calidæ affusionibus edulcorandus, & lento igne exsiccandus.

Hic pulvis nil prorsus mercurii continet, sed constat tantum parte regulina antimonii ab acido spiritu salis marini corrosa; atque hoc acidum adeo stricte cum metallo combinatur, ut nulla aquæ ablutione separari possit.

TARTARUS EMETICUS,

sive

Tartarus antimoniatus D. Bergmann.

℞. Cremoris Tartari in pulverem redacti uncias quinque,
Pulveris Algarotti aqua calida præcipitati, abluti, & exsiccati uncias duas.

cum aquæ unciis viginti ebulliant lento igne per horam dimidiam. Post operationem superest paululum pulveris mercurialis nigri. Tartarus omnino non debet saturari, quia in hoc casu pars solutionis facile vertitur in gelatinam, & sal jam efformatus ob longam

gam in aqua suspensionem, facilius decomponitur, quod quidem in praxi vitandum. Rursum, quemadmodum remedium minorem habet activitatem, dosis erit fortior, exactius librari, atque dividi poterit in multas doses absque ullo damno.

Post filtrationem solutio evaporabitur usque ad pelliculæ productionem in vase aperto (vasa metallica non sunt adhibenda) & detinebitur in calore digestionis, ut crystalli formentur, & insensibiliter præcipitentur; exsiccandi dein sunt, super chartam griseam, antea madefactam. Crystalla pellucida splendentiaque sunt, atque Tartari pondus æquantur. Crustæ salinæ puriores, quæ lateribus vasorum adhærent, semunciam fere constituunt; lavari aqua frigida debent, ac separatim asservari. *D. Bergm. Opusc. Diss. X. pag.* 384.

OBS. Pulvis Algarotti pro basi desumendus, quia æqualem semper phlogisti quantitatem continet, quod quidem essentiale est. Pulvis vero aquæ opera præcipitatus anteferri debet pulveri, qui ab alkali præcipitatur.

Qualitates Tartari Antimonialis sunt. Crystallis octaedris componitur, pyramide magis elongata, quam in alumine, si spontanea partium coalescentia non perturbatur. Crystalla hæc aqueum fere colorem habent, aliquando semipellucida sunt. Antimonium tertiam circiter ponderis partem constituit; neque efflorescunt, neque deliquescunt, verum progressu temporis alba, & opaca evadunt. Igne fusionis decrepitant, fumum antimoniale emittunt, & grana metallica relinquunt.

Hæc omnia ad optimi Tartari Antimoniati præparationem pertinentia, ab eruditissima celeberrimi Bergmann dissertatione mutuata adjicienda erant, ut præstantissimi præsidii compositio recte intelligeretur. Antequam vero ad vires, & usus Tartari emetici deveniamus, nonnulla circa communem ejusdem remedii præparandi methodum in medium afferenda sunt.

## TARTARUM EMETICUM

Pharm. Edinburgensis.

℞. Vitri Antimonii in pulverem tenuissimum triti uncias sex,
Cryſtallorum tartari tritarum uncias quatuor.

MISCE, & projice paulatim in aquæ super arenam in vase vitreo bullientis congium unum. Pergat bullire leniter horas sex, suppleta semper aqua vaporando absumpta; dein liquor refrigeratus coletur & vaporetur, ut cryſtallos præbeat.

FIT eodem modo Tartarum emeticum ex croco antimonii, modo hic sit rite paratus; quod quidem judicatur ex ejus in pulverem triti colore, qui luteus esse debet.

RELIQUÆ præparationes, quæ in libris pharmaceuticis leguntur omittendæ; omnes enim practici formula Bergmanniana utuntur, quæ & in ipso etiam Petitorio Neapolitano reperitur.

VIS. Emetica, alterans, diaphoretica, resolvens vere nervina, tutissima.

DOSIS a grani dimidio, usque ad grana duo; semper tamen in vehiculo tepidiusculo copiosissimo.

USUS. Circa usum, & effectus Tartari Antimoniati in morborum curatione, proprias potius numerosissimas, quam alienas observationes in medium afferam. In morborum itaque febrilium initio, in quacumque ætate, & omni corporis habitu, dum lingua tartaro obducta, nauseæ, vomituritiones, cutis ariditas, virium proſtrationes, absque ullo organicæ alicujus læsionis signo de morbo humorali, de secretionum impedimento, atque de obſtaculo, irritatione, & partium externarum siccitate nos admonent, ſtatim ad emeticum antimoniale deveniendum eſt, nec unquam *Ipecachoanam* adſtringendi facultate præ-

præditam adhibere oportet. Tartari emetici granum unum per intervalla propinatum, & multa aqua, vel jusculo gallinaceo conjunctum, ſtomachum concutiendo evacuat, actionem inteſtinalem languidam excitat, cutis officium penitus impeditum renovat, & causæ generalis actionem ulteriorem prohibet. Secretiones vero insensibiles, & tenues admodum evacuationes, quæ tartaro emetico procurantur biliosis fluxibus sunt anteferendæ, utplurimum enim in acutis saburra primarum viarum, quamvis valde putrida, & corrupta videatur, raro genuinam morbi causam conſtituit. Sed de hac doctrina alio in loco disputabitur. In acutorum progressu, præsertim si emetica antimonialia in principiis poſthabita fuerunt, primum omnium ad parvas Tartari emetici doses repetito exhibitas deveniendum, vitato tamen diligenter syderationis ſtatu. Nam si extremorum frigus animadvertitur, ac vires vitæ languidæ sunt, periculosa symptomata hoc remedio crescunt; etenim primo operationis tempore, etiam in robuſtissimis hominibus eadem accidentia excitantur. In chronicis denique gravissimis affectibus, & præsertim in paralysi, emiplegia, & similibus nervorum læsionibus per mensem, & ultra granum dimidium tartari emetici adhibere soleo, una cum infuso aliquo florum chamæmeli, aut sambuci. Hac methodo insanabiles supra memoratos morbos feliciter, perspirationis, & evacuationum inteſtinalium incremento curatos vidi. Damna itaque ex Tartaro emetico rite parato, atque a diligenti medico propinato nunquam certe, emolumenta rursum semper essentialia animadverti.

ANTI-

## ANTIMONIUM DIAPHORETICUM SIMPLEX,

sive nitratum, sive non ablutum, sive Reguli antimonii calx ferrea non lota, nitri alkali cicurata.

℞. Antimonii crudi partem unam,
Nitri puri partes tres.

SEORSIM pulverata, & bene mixta in crucibulum capax ignitum successive injiciantur ut detonent, spathula subinde massam movendo, ut materia æqualiter deflagret, & calcinetur per semihoram. Massa tandem tota injecta calcinetur adhuc tantisper, removeatur ab igne aqua albicans, sufficiente quantitate aquæ dissolvatur, pulvis albus fundum petens copiosa aqua diluatur, ut eo commovendo subtilior pars cum ea decantari possit, quæ edulcorata & siccata usui asservanda est. *Reuss.*

VIS absorbens, discutiens, diaphoretica, expectorans.

USUS. In omnibus morbis febrilibus a lymphæ tenacitate provenientibus; in congestionibus glandularum, mensium defectu ob lymphæ nimiam spissitudinem. Passim usurpatur in febribus lentis vulgo dictis, quia calorem adauget, præsertim vero antimonium, sive stibium diaphoreticum exhibetur pueris longa febre affectis. In morbo venereo confirmato, quæ supersunt incommoda etiam post mercurialium administrationem, hoc remedio utiliter tractantur; etenim calx antimonii phlogisticantis causæ essentiam mutat, & post dissipationem tenacissimi inflammabilis principii circulatio augetur, calor crescit, & valde proficua perspiratio oritur.

DOSIS erit a granis 2 ad 20 spatio viginti quatuor horarum, juxta ægrotantium ætatem, atque temperamentum.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM ABLUTUM,

sive Antimonii calx elota.

℞. Antimonii diaphoretici nitrati quantum libet.

Sæpius iſtud abluatur aquæ tepidæ quantitate ſufficienti, donec hæc insipida prodeat.

AQUA tum una cum pulvere traiiciatur per linteum album mediocris texturæ, spathula miſturam movendo, ut per colum subtilior pars pulveris facilius transeat. Quiescat tunc donec omnis pulvis subsederit. Aqua limpida decantetur, & pulveri nova affundatur aqua, idque toties repetatur, donec insipida inde redeat. Pulvis tum exsiccetur, & servetur usui.

AQUA hæc colata, & cryſtallis generandis exposita, dabit salem vulgo nitrum antimoniatum. Nitrum ſtibiatum, sive antimoniatum ab omnibus practicis antifebrilem qualitatem habere exiſtimatur; hinc conſtanter adhibetur in acutis febribus, etiam dum alia adminiſtrantur remedia. Nullum ego a debilissima hac præparatione emolumentum vidi.

DOSIS eſt a granis decem ad drachmam unam, spatio 24 horarum.

## CAUSTICUM ANTIMONIALE,

vide Butyrum Antimonii.

## CINNABARIS ANTIMONII.

QUOD in fundo retortæ reſtat poſt confectum cauſticum antimoniale, in matracio loricato igne aperto sublimetur.

Cinnabaris antimonii nullam a reliquis cinnabaris genuinis speciebus differentiam habet; ac præsertim nullas antimonii particulas continet. Ob hanc rationem eſt prorsus inutilis præparatio.

Hoc in loco adjungi deberent præparationes, quæ dicuntur metallicæ compositæ, quæ a nobis omnino prætermittuntur, quia a recentioribus practicis prorsus negliguntur.

Hujus naturæ sunt *Antihecticum Poterii, Bezoardicum Joviale, Æthiops Antimonialis.*

# AQVÆ

## stillatitiæ simplices.

### AQUA ALEXITERIA

simplex.

℞. Foliorum menthæ vulgaris recentium P. sesquilibram,
Summitatum Absinthii maritimi recentium,
Foliorum Angelicæ recentium, singulorum P. libram unam.
Aquæ q. s. ad evitandum empyreuma.

DISTILLATIONE eliciantur congii tres.
USUS. Potius pro vehiculo remedii alicujus alexipharmaci, per se autem insignem qualitatem non habet.

### AQUA AERIS FIXI.

℞. Aquæ commun. quant. lib. Hæc mediante apparatu pneumatico saturanda est aere fixo e solutione cretae in acido vitrioli prodeunte, aut alia simili : vel cum aere fixo a fermentantibus liquoribus prodeunte. *Ph. Rossica*.

2.

℞. Sal. tartari alkalini,
Sacchari albi ana scrup. unum.

Misce cum succ. limon. unc. sem. & æger sumat mixturam ſtatim ac effervescentia incipit. Eadem dosis repetenda eſt omni hora. *Prieſtley*.

3.

Poteſt etiam mediante apparatu D. Parker parari aqua aere fixo abundanter saturata.

VIS antiseptica, resolvens, diuretica,

USUS. In acutis putridis, & in vera sanguinis dissolutione, dum fætidissimæ dejectiones ventrales adsunt, omni hora, methodo Priestleyana propinandus aer fixus. In scorbuto cum corrupti sanguinis insigni effusione, oris ulcere & dentium carie ſtupendas curationes obtinuimus remedio omni sexhorio propinato. In urinæ difficultate & calculo plura præſtat; immo recentissimæ proponuntur observationes circa eradicativam calculi curationem hoc remedio procuratam. Nil reiiciendum sed tentanda sunt omnia. Sunt qui utuntur alcalino sale aqua soluto & ante acidum ingurgitato, quia effervescentia in ventriculo eveniente, ne minima quidam aeris fixi copia evaporando amittitur.

AQUA AERIS FIXI MARTIALIS.

In aqua aere fixo saturata,
Fila ferrea suspendantur, donec aqua a soluto fer-

ferro saturetur; hæc tripla, aut ubi exigitur dupla portione simplicis aquæ aeris fixi diluitur.

VIS magis roborans in debilitate, obstructionibus viscerum naturalium & cachexia. Nos succedaneum a natura ipsa paratum habemus in aqua Martiali Lucullana, vulgo *Ferrata dicta*, in qua præter copiosas ferri particulas aere fixo solutas, adest quoque salis marini certa quantitas, quæ valde proficuam alvi lubricitatem procurat.

## AQUA VITRIOLICA CÆRULEA.

℞. Vitrioli cærulei P. uncias tres,
Aluminis,
Spiritus vitrioli fortis, olei dicti, singulorum P. uncias duas.
Aquæ M. sesquilibram.

SALES in aqua coque, ut solvantur; deinde oleum vitrioli addatur, & mixtum per chartam coletur.

USUS. Externe tantum usurpatur in nasali hæmorrhagia, linteis & turundis aqua stiptica madidis, & naso applicatis.

## AQUA VITRIOLICA CAMPHORATA.

℞. Vitrioli albi unciam dimidiam,
Camphoræ drachmas duas,
Aquæ bullientis libras duas.

MISCE ut vitriolum solvatur, & postquam fæces subsederint, per chartam cola.

OBS. Quemadmodum camphoræ major pars in hac præparatione insoluta cum fæcibus vitrioli secedit

dit ; hinc simplicior præparatio, quæ sequitur, anteferenda :

### AQUA VITRIOLICA.

℞. Vitrioli albi purificati grana sedecim ,
Aquæ uncias octo ,
Acidi vitriolici tenuis guttas sedecim .

SOLVATUR vitriolum in aqua ; dein addito acido per chartam cola . *Pharm. Edinburg.*

USUS . In inflammatione aut serosa oculorum intumescentia , solutiones vitrioli albi utiliter applicantur ; leviores inflammationes hoc tantum externo præsidio dissipantur ; sed in vehementioribus venæ sectiones & cathartica sunt præmittenda .

### AQUA CALCIS SIMPLICIS.

℞. Calcis vivæ recentis P. unciam unam ,
Aquæ M. libram unam .

INFUND. per 24. horas . Deinde priori decantata , nova affundatur aqua , & tertia infusio per chartam coletur .

Pro usu externo prima aut secunda infusio usurpatur , interne tertia adhibetur .

VIS . Interne abstergit , stimulat, urinam movet , & morbosum sæpe sudorem cohibet , juxta generalem sententiam; virtutem diaphoreticam , nephriticam , anthelminiticam , & potius lithontripticam tribuit eæ *Alston* .

DOSIS . Ab unciis tribus ad libram unam , præsertim si cum lacte miscetur .

OBS.

OBS. Plurimum laudatur aqua calcis simplex in acido primarum viarum, in affectibus calculosis, in cachexia, gonorrhæa, sudore colliquativo phthisicorum, fluxu albo mulierum, & quod caput est, habetur tanquam specificum in diabete. Verum nunquam, aut saltem raro boni effectus expectandi sunt ab aqua, quæ caustico principio saturata est. Si rursum tertia infusio juxta medicorum morem innoxia existimatur, animadvertendum quod post reiteratas infusiones calx, quæ qualitates medicamentosas communicare debet, jam aeris interventu causticitatem amisit; hinc potius in hoc casu loco aquæ calcis vivæ exhibetur aqua alkali mitissimo saturata. Si igitur aliquando aqua hæc usurpanda, ex prima infusione parata usurpanda est.

### AQUA CALCIS VIVÆ MINUS COMPOSITA

Londinensis,

sive aqua Benedicta composita Bateana.

℞. Corticis Glycyrrhizæ unciam unam,
Corticis sassafras unciam dimidiam,
Aquæ calcis simplicis uncias 72.

MACERA sine calore per biduum & cola.

OBS. In hac aliisque præparationibus aquæ calcis compositæ, quæ adiiciuntur substantiæ, ingratum aquæ calcis odorem tollunt, illamque palato & stomacho minus molestam reddunt, atque eodem tempore medicamentosam efficaciam insigniter adaugent, magis si usurpatur adversus morbos cutaneos, atque sanguinis humorumque discrasiam. Dosis minime diversa erit a dosi aquæ calcis simplicis; æger vero

in aere moderate calido detinendus. *Ph. Angl.*

Aquam calcis a conchis oftrearum recenter calcinatis paratam, majorem in dissolvendo calculo activitatem habere exiftimatur.

AQUAS omnes Carminativas spirituosas neglexi, solam tantum aquam Melissae retinui; omnes enim hujusmodi aquæ similem inter se qualitatem habent.

AQUA CAUSTICA ad CONDYLOMATA.

Plenck.

℞. Mercurii sublimati corrosivi,
Aluminis crudi, ana uncias duas,
Camphoræ & cerussae, ana drachmam unam,
Aceti concentrati, & spiritus vini rectificati ana unc. 24.

MISCE, & servetur usui.

VIS purificans cutem & ulcera.

USUS ad condylomata venerea, quæ ope penicilli, hac aqua bis de die illiniantur, & dein linimento mercuriali tegantur.

Condylomata & Rhagades cutis sensim tunc evanescunt. *Plenck.*

## AQUA CHALYBEATA.

℞. Limaturæ ferri unc. 6.
Spiritus vitrioli unc. 1.
Aquæ bullientis unc. 84.
Spiritus aqua misceatur, & limaturæ simul affundatur, & servetur usui.

VIS. Tonica, roborans.
USUS. In cachexia & chlorosi.
DOSIS unc. 6. bis in die.
OBS. Præparatio hæc extemporanea ferrum phlogiſto spoliatum, valde attenuatum & vehiculo aquoso solutum exhibet. Hinc in locis in quibus aquæ chalybeatæ naturales præſto non sunt, artificialis hæc cum magna utilitate exhiberi poteſt, quia particulae ferri aqua solutæ penetrantissimæ sunt, neque ullum ſtomacho incommodum afferunt.

## AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

℞. Cinnamomi acuti crassiuscule contusi unc. 16.
Vini albi spirituosi, generosi unc. 144.
Spiritus vini rectificati unc. 30.
Infusa per biduum, diſtillentur per vesicam, lentissimo igne, & liquoris spirituosi lactescentis unc. 96. eliciantur.

VIS excitans exhilarans, cordialis, tonica.
USUS. In maxima debilitate, digeſtionis inertia, animi deliquiis & similibus.
DOSIS paucarum guttarum in vehiculo communi.

## AQUA COLONIENSIS,

sive *Eau de Cologne*.

℞. Spirit. vin. rectific. unc. 72.
Spirit. Rorismarini unc. 18.
Aqu. Carmelitar. unc. 12.
Oleorum Bergamotti unc. 1.
. . . . . Citri
. . . . . Rorismarini ana Drachm. 2.
Probe mixta diſtillentur.

usus. Quoad usum convenit cum omnibus aquis spirituosis in debilitate ſtomachi, animi deliquio & convulsionibus hyſtericis.

dosis. Interne exhibentur guttæ 10 - 20 in vehiculo aquoso.

## AQUA FORTIS COMMUNIS,

sive acidum nitri commune.

℞. Vitrioli vulgaris ad rubedinem calcinati,
Nitri depurati ana unc. 24.
Trita misceantur & diſtillentur per retortam terream, igne aperto gradatim adhibito, in vas recipiens valde capax, juncturis luto probe obturatis, cui aquæ fontanæ unc. 12. antea sint infusæ.

vis valde corrosiva.
usus. Raro in medicina, sed ad chemicorum & ar-

artificum magis usum; & ad extirpandam cariem *Plenck apud Reuss.*

### AQUA FORTIS MERCURIALIS.

℞. Mercurii vivi, Aquæ fortis ana unc. 1.
Reponantur in loco calido, ut solvatur mercurius.

VIS cosmetica, externe antiseptica.
USUS. In pessima ossium carie, sed caute.

### AQUA HUNGARICA,

sive Reginæ Hungariæ.

℞. Ramorum Rorismarini cum foliis & floribus unc. 48.
Spiritus vini fortis unc. 144.
Diſtillentur consueto more, usque dum phlegma apparuerit.

VIS discutiens, roborans.
USUS. Externus ad humorum decubitum, tumores, contusiones læves.

## AQUA MELISSÆ SIMPLEX.

Præparatur simplici diſtillatione herbæ recentis.

## AQUA MELISSÆ COMPOSITA,

sive *Eau des Carmes*, sive Carmelitarum dicta, sive spiritus Carmelitarum.

℞. Herbæ Melissæ recent. unc. 2. & dimid.
Corticum citri & flaved. unc. 4.
Seminum coriandri unc. 2.
Nucis moschatæ, caryophyllorum,
Cinnamomi ana unc. 2. Incisis affundatur.
Spirit. vini rectificati unc. 72.
Aquæ melissæ simplicis unc. 24.
Poſt digeſtionem per biduum, diſtillentur ad quintæ partis remanentiam; ad uncias nempe 84.
Spiritus eductus probe asservandus.

VIS stomachica, carminativa eximia, hujus aquæ spirituosæ eminentioris.

USUS interne ad apoplexiam, paralysin, morbos nervorum a causa frigida ortos; externe ad spaſticos & rheumaticos dolores, cephalalgiam, vomitum, colicam.

DOSIS a drachma 1. ad 3.

AQUA OPHTHALMICA USUALIS ALBA,

S. Saturnina.

℞. Aquæ Rosarum unc. 12.
Vitrioli albi drachm. 1.
Sacchari saturni drachmam dimidiam,
Camphoræ spiritu vini solutæ scrup. 1.
Misceantur probe.

VIS discutiens, adstringens.

USUS in oculorum affectibus reliquis collyriis anteferri debet, quia in hoc casu fortiora remedia, valde scilicet irritantia omnino vitanda sunt.

OBS. Numerosas aquarum ophthalmicarum præparationes prætermittendas esse existimavimus, unica relicta.

AQUA RAPHANI COMPOSITA.

℞. Foliorum cochleariæ hortensis libras quatuor.
Radicis raphani rusticani recentis,
Flavedinis recentis, corticum aurantiorum Hispalensium, singulorum libras duas,
Nucis moschatæ uncias novem,
Spiritus vinosi tenuioris congios duos,
Aquæ q. s. ad evitandum empyreuma.

DISTILLATIONE eliciantur congii duo.

USUS. In scorbuto & calculo cochleatim exhibetur.

## AQUA STIBIATA RICHARTI.

℞. Tartari emetici grana 4.,
Dissolvantur in aquæ fervidæ lib. ij.

VIS emetica, resolvens, aperiens, diaphoretica.
USUS. Non solum ad vomitum excitandum singulis horis exhibentur unciæ quatuor, usque ad perfectam operationem, sed in omnibus morbis lentis, in cachexia, catarrho suppurato, & similibus summas habet facultates. Vide quæ superius adnotata sunt in præparatione tartari emetici.

## AQUA VEGETO-MINERALIS,

sive vegetabilis mineralis Goulardi, sive aqua Saturni, sive saturnina.

℞. Extracti Saturni unciam dimidiam,
Spirit. vin. unc. 1-2.
Aquæ distillatæ simplicis commun. unc. 24.
Miscentur probe & servantur in vase vitreo.

VIS temperans, refrigerans, discutiens, repellens, exsiccans, adstringens.
USUS externus tantum in inflammationibus, contusionibus, ophthalmia aliisque.
Noxius est usus ad gonorrhæas virulentas sistendas, bubones facile inducens. *Reuss.* Multa de aqua vegetabili prædicantur; tanti vero momenti emolumenta nunquam in praxi occurrunt.

AQUA VULNERARIA-SCLOPETARIA TRAUMATICA GALLORUM,

sive Lemery, sive *Eau d'Arquibusade Gallorum.*

℞. Herbæ recent. Ariſtolochiæ-Absinthii,
Anthyllid. vulnerariæ, Salviæ
ana unc. 3.

Mixta macera per plures dies, diſtillentur unc. 48.

VIS resolvens, discutiens, roborans solida, purificans vulnera.

USUS ad erosiones, ulcera & vulnera mundificanda, ad luxationes, & fracturas.

SPIRITUS LAVENDULÆ

simplex.

℞. Florum lavendulæ recentium sesquilibrum,
Spiritus vinosi tenuioris congium unum.

DISTILLA balnei calore, donec eliciantur libræ quinque.

SPIRITUS RORISMARINI.

℞. Summitatum rorismarini recentium sesquilibram,
Spiritus vinosi tenuioris congium unum.

DISTILLA balnei calore, donec eliciantur libræ quinque.

VIS discutiens, nervina, resolvens.

## DECOCTA, & INFUSA.

In decoctione decomponi substantiam, a qua fit extractio, mihi videtur; nam raro decoctiones frigefactæ non demittunt forma sedimenti, quod antea suspensum in ipsis erat; atque hæc etiam substantia ab indole integræ materiæ diversa est. Quænam exacte sit natura substantiæ qua saturatur decoctio nunquam recte ad examen revocatum fuit. *Cull. mat. med.* 2. 69.

Generalis hæc Cullenii observatio magni facienda est in praxi; nam si decocta continent particulas decompositas subjecti, inutile & fortasse damnosum erit hoc præsidio uti.

Infusa potius calida sunt anteferenda, nam particulas medicamentosas integras, attamen attenuatas & absorptioni opportunissimas continent. Vapores vero qui ab infusis plantarum elevantur prorsus aquosi sunt, neque elementa vel sapida vel mucilaginosa secum ferunt.

Infusa extempore juxta necessitatem paranda sunt; nam succi vegetabiles mora fermentationis veram speciem experiuntur, unde propriam amittunt naturam, & in acescentem materiam transeunt.

## DECOCTUM COMMUNE

pro clystere.

℞. Foliorum malvæ recentium, vel siccatorum unciam unam,
Florum chamæmeli siccatorum unciam dimidiam,
Olei olivarum uncias duas,
Aquæ libram unam.

COQUE, & cola.

USUS. Pro clystere in alvi silentio, doloribus intestinorum, partu difficili, nephritide & similibus. Si dejectiones copiosiores desiderantur, vel de stimulo recti salutari cogitatur, salis alicujus neutri uncia una decocto communi pro clystere adiicitur. Clysteres cum pulpa cassiæ parati, opportunissimi sunt adversus nephritidem.

## DECOCTUM PECTORALE.

℞. Hordei perlati,
Uvarum passarum, granis exemptis,
Caricarum; singulorum uncias duas,
Glycyrrhizæ unciam dimidiam,
Aquæ libras quatuor.

AQUAM cum hordeo primum coque, deinde uvas adde, postremo caricas, atque glycyrrhizam paulo ante finem cocturæ; quæ tum demum perfecta erit, cum liquoris colati mensura duarum librarum restet.

OBS. Quamvis in morbis pectoris, tussi, catarrho supp urato, pleuritide & similibus, decoctum pecto-

rale immediatam pulmonibus utilitatem afferre nequeat; leniendo tamen & laxando vicinas partes, ſtimulum tollit, & coctionem faciliorem reddit.

## DECOCTUM CRETACEUM.

℞. Cretæ præparatæ unciam dimidiam,
Gummi Arabici drachmam unam,
Aquæ libras tres.

COQUE ad libras duas, & cola.

VIS demulcens, obtundens, relaxans.

USUS. In oris & faucium exulcerationibus venereis.

In nephritide, & urinæ difficultate, ac gonorrhæa.

DOSIS. Omni trihorio propinandæ sunt unciæ quatuor.

## DECOCTUM GUAJACI

forte.

℞. Ligni Guajaci unciam unam,
Aquæ libras quatuor,

COQUE ad libras duas.

USUS in Lue venerea confirmata per plures dies.

Decoctum corticis Peruviani, Sarsaparillæ, Serpentariæ, ligni Quassiæ, ligni Campechensis, Absinthii, Chamædryos, Hyperici, omniumque plantarum parari possunt duplici ratione celerrima brevique, vel longiori & diu protracta ebullitione. In priori casu potius ad infusa pertinent, & majorem semper activitatem habent; nam aqua tantum ser-

vi-

vida plantis superaddita, substantiis omnibus extractivis saturatur, neque moleculæ medicamentosæ longa ebullitione decomponuntur; quemadmodum accidit in secundo casu.

DECOCTUM ULMI.

℞. Corticis interioris ulmi recentis, uncias duas.
Aquæ libras tres.

COQUE ad libras duas:
usus in efflorescentiis cutaneis, impetigine, & serpigine præsertim valde commendatur.

JUS VIPERINUM.

℞. Viperam mediocris magnitudinis, pelle, capite, & intestinis demptis,
Aquæ libras duas.

COQUE ad mensuram circiter sesquilibræ, remove ab igne, & cum perfrixerit, si vipera recens sit, aufer pinguedinem concretam.

DEINDE pullum gallinaceum mediocris magnitudinis exenteratum, cute adipeque omni detracto, sed indivisum, in hoc jus adhuc frigidum immitte; igni impone ut ebulliat, deinde remove ab igne, exime pullum, & statim carnem ejus in frustula divide, carnes divisas iterum liquori redde, & igni admove; denique cum primum ebullire incipit, effundatur, spuma caute prius ablata.

VIS nutriens, purificans, aperiens, diaphoretica.

USUS, in omnibus cutaneis efflorescentiis, in

 po-

podagra, cachexia, atrophia & similibus. Juscula viperina vino & sali volatili in praxi anteponuntur, quia immutatas & in unum simul conjunctas animalis qualitates continent.

### DECOCTUM LIGNI CAMPECHENSIS.

℞. Rasuræ lign. campech. uncias duas.
Coqu. cum aqu. Fontan. unc. 48. ad remanent. unc. 30.
Sub finem addendo aqu. cinnamom. vinos. Syrup. Diacod. ana unc. 1. & dimid.

VIS tonica adstringens.

USUS. In mensium fluxu immodico, hæmorragia uterina, & gonorrhæa diuturniori.

DOSIS. Unc. 12. mane & vespere.

### DECOCTUM SPIGELIÆ.

℞. Herbæ spigeliæ anthelminticæ manipul. 2.
Coque in aqu. Fontan. unc. 24. colaturæ add.
Succi citri recentis drachm. 3. Syrup. Flor. Persic. unc. 2.

VIS, anthelmintica præstantissima.

DE-

DECOCTUM ANTIVENEREUM

D. Mauritii.

℞. Sarsparill. incis.
Lign. Visc. Quercin. ana unc. 1.
Infund. in aqu. fontan. libr. 18. per 24. hor. dein ebull. in vase clauso, cum
Limatur. Santal. rubr.
. . . . . . Corn. Cerv. ana unc. 1.
Nitr. depurat. scrup. 1. ad colatur. librar. 8.

vis purificans, diuretica, antivenerea, diaphoretica.

usus. Unius diei spatio integra quantitas librarum octo pro potu usurpanda & per dies duodecim reiteranda. Utillimum est præsidium in lue venerea diuturna & morbis cutaneis. Adhibetur præsertim vere & autumno, ut diaphoresis sustineatur.

AQUA ANTIVENEREA

Musitani.

℞. Radic. Sarsaparill. minutim incis. unc. 2.
Lign. Visc. Quercin.
. . . Sanct. ana unc. 1. & sem.
. . . Sassafr. unc. 1.
Limatur. corn. cerv. unc. dimid.

Infund. in aqu. fontan. lib. sex, detineantur per diem naturalem infusione, dein ebulliant lento igne ad tertiæ partis consumptionem. In fine adde Cinnamomi drachmas duas, & cola pro usu.

vis attenuans, resolvens, aperiens, diaphoretica.

usus frequentissimus in lue venerea, potius pro vehiculo remediorum mercurialium; nam hæc medicamenta a copioso potu sejuncta plerumque noxia sunt.

## MUCILAGO SEMINUM CYDONIORUM.

℞. Seminum Cydoniorum drachmam unam,
Aquæ uncias sex.

coque leni igne, donec aqua fere instar albuminis ovi lentescat; tum per pannum linteum traiice.

vis demulcens, antispasmodica.

usus in externis ulceribus, raghade præsertim mammarum in lactantibus; in ulceribus faucium pro gargarismo, & interne in tussi pertinaci.

obs. Eodem scopo mucilaginosa omnia adhibentur in externis superficialibus ulceribus; cuticulæ enim vices sustinent, quia immediatum aeris contactum prohibent.

## SOLUTIO GUMMI ARABICI.

℞. Pulveris Gummi Arabici drachmam unam, dissolve in
Aquæ fontanæ tepidiusculæ libra una.

vis demulcens, antispasmodica.

usus. In cohibenda molestissima salivatione mercuriali, hac solutione frequenter os & fauces abluuntur. Dosis adnotata mane & vespere adhibita ardorem urinæ in gonorrhæa & nephritide tollit.

## INFUSUM DULCAMARÆ.

℞. Dulcamaræ in taleolas dissectæ a drach. I. ad unciam unam,
Aqu. bullient. lib. j.

VIS leniter narcotica, diuretica, aperiens.

VSVS. Infusum Dulcamaræ habetur a recentioribus practicis pro medicamento specifico in morbis a lactis retropulsione pendentibus, in rheumatismo, & serpigine.

DOSIS unciarum sex bis in die. Primis diebus cum infuso præcedenti decoqui debet,

Folliculorum, aut foliorum sennæ drachm. I.

OBS. Reliquarum decoctionum efficaciam & usum unico titulo complectar.

1. Decoctio foliorum *Verbasci* est optimum medicamentum in diarrhæa pertinaci. *Home clin. obs.*

Rec. foliorum verbasci unciam unam & ultra,
Decoqu. in aqu. libr. I.
Idem dicendum de chamæmeli decocto.

2. Decoctio foliorum *Solani Officinalis*, vel *Solani sodomæi* urinam potenter educit, laxando partes & tollendo stimulum. Hinc utiliter datur in hydrope & gonorrhæa. Sumantur pro usu solani folia sex & decoquantur in aqu. lib. I. pro potu singulis diebus.

3. Decoctio radicis *Columbo* optimum est remedium in biliosis & putridis morbis, corrigit enim & dissolvit vitiosam bilem. *Percival.*

4. *Camphorosma* Linnæi decocta habetur pro remedio specifico fluxus albi in mulieribus. *Schmiedel.*

5. Decoctum *Equiseti* in affectione hysterica & morbis pectoris summopere laudatur.

 6. In-

6. Infusum Marrubii albi cum magno emolumento usurpatur in obstructionibus hepatis.

7. Decoctum radicis *Mezerei*, in nodis venereis laudatissimum, fit sequenti ratione.

Rec. Corticis radicis *Mezerei* unciam unam.

Aqu. font. congium unum & semis coqu. ad cong. unum, sub finem addendo radic. glycyrrh. incis. unciam unam. Dosis unciarum octo quater in die. *Medic obs. and Ess. vol. 3. p.* 191.

8. Serum lactis cum *acetosa officinali* decoctum, pro remedio magni usus in hydrope habetur. *Memoires de medecine a.* 1776. *p.* 278.

## SERUM ALUMINOSUM.

℞. Lactis vaccini, vel caprilli libram unam,
Aluminis in pulverem redacti drachmas duas.

COQUE ut fiat serum bene a coagulo separatum.

VIS adstringens, exsiccans, tonica.

USUS. In fluxu uterino, diarrhæa inveterata & diabete. Laudatur quoque in intermittentibus, sed caute, nam a vehementioribus adstringentibus damna in hoc casu sæpe sequuntur.

DOSIS. Unciæ sex quater in die.

## SERUM SINAPINUM.

℞. Lactis vaccini,
Aquæ, singulorum libram dimidiam,
Seminum sinapis contusorum libram dimidiam.

COQUE ut fiat serum diureticum simul & antiscorbuticum. Poteſt etiam utiliter usurpari in asthmate humorali poſt paroxysmum.

DOSIS unciarum decem, quotidie.

OBS. Solet etiam serum antiscorbuticum parari simili methodo cum succo herbarum antiscorbuticarum.

## INFUSUM ALTHEÆ

compositum.

℞. Foliorum Althææ unciam unam,
Radicis Zedoariæ, singulorum drachmas duas,
Aquæ bullientis libram unam.

MISCE, liquorem frigefactum cola, & adde
Aquæ Piperis Jamaicensis unciam unam.

USUS. In ſtomachi debilitate, cachexia & obſtructionibus.

## INFUSUM SENÆ.

℞. Foliorum Senæ unciam unam,
Seminum Carui, vel Fœniculi drachmas 2,
Aquæ bullientis libram unam. Misce & col.
Colaturæ adde cremoris tartari drachm. duas.

VIS cathartica, refrigerans.

USUS. Frequenter purgat per inferiora serosos humores, vitiosam bilem evacuat. In diuturno rheumatismo utillimum præsidium.

DOSIS adnotata reiteranda pro necessitate.

## INFUSUM RAPHANI.

℞. Radicis raphani rusticani,
Seminum sinapis contus. singul. uncias duas,
Flavedinis corticis Aurantiorum Hispalensium unciam unam,
Canellæ albæ unciam dimidiam,
Aquæ libras duas.

DIGERE leni calore, & adde
Spiritus vinosi tenuioris uncias quatuor.

VIS aperiens, attenuans, diuretica.

USUS in scorbuto, cachexia, hydrope, obstructionibus.

DOSIS ab unciis quatuor ad libram unam.

OBS. De syrupi Raphani rusticani effectu in raucedine infra.

## INFUSUM ROSARUM.

℞. Rosarum rubrarum immaturarum, sive incompletarum, abjectis unguibus, unciam dimidiam,
Spiritus vitrioli fortis olei dicti, scrupulum unum,
Aquæ bullientis libras duas cum semisse,
Sacchari purissimi uncias duas.

AQUÆ primo admisce vitrioli spiritum, in vase vitreo vel fictili vitreato, & in mixtura rosas macera.

USUS. Miscetur medicamentis adstringentibus in hæmorragiis: utilis est in morbis pectoris; commode cum cortice peruviano conjungitur in morbis corruptoriis.

## ACETUM SCILLITICUM.

℞. Scillarum siccatarum libram unam,
Aceti libras sex.

MACERA Scillam in aceto leni calore; deinde exprime & sepone, ut fæces subsidant; denique aceto defæcato, adde spiritus vinosi tenuioris duodecimam circiter partem, ut diutius a fæculentia conservetur.

USUS in asthmate, tussi, colluvie serosa; quia attenuat, stimulat, & urinam excitat.

DOSIS a drachma una ad duas vim habet diureticam; doses majores vomitoriæ sunt.

## INFUSA VARIA.

1. Infusum *Flammulæ Jovis*, e foliorum exsiccatorum *Flammulæ Jovis* drachmis tribus. Aquæ bullient. unc. 12. Stent per horæ quadrantem; tum parum ebulliat liquor & coletur. Vis resolvens, discutiens. Usus in cataracta. *Reuss.* Incognitum nobis remedium caute primo adhibendum, a suspecta enim & corrosiva planta paratur.

2. Infusum *Peruviani corticis sive chinæ chinæ* sive Kinkonæ frigidum. Rec. corticis Peruviani grosse contusi unciam unam. Aquæ fontanæ libram unam. Digere per nycthemeri spatium, cum repetita subinde concussione, expressione & liquoris clari colatione. Huic quantitati a nonnullis adiiciuntur spiritus vini drachmæ sex. Melius tamen semper erit, in morbis corruptoriis, in magna virium prostratione, in scorbuto, lue venerea confirmata & similibus, vini generosi æqualem quantitatem huic infuso adiicere. Sæpe etiam commodum exhibet vehiculum acidis mineralibus, qui quo dilutiores eo utiliores.

3. Infusum Tamarindorum, e Tamarindorum sine nucleis unciis sex, Elæosacchari citri uncia una. Succi citri recentis uncia dimidia. Cremoris Tartari drachmis 2. Aquæ fontan. fervent. unc. 96. misce, fiat lege artis infusio & coletur, scopo purgante, laxante. *Reuss.*

OBS. Juxta nuperrimas observationes Tamarindorum pulpa non paucas continet Cupri particulas, quia antequam in Europam mittitur vasis cupreis detinetur.

usum Tamarindorum in cachexia, dysenteria & tussi laudat Linnæus *Am. ac. vol.9. p.*264.

## INFUSUM PICIS LIQUIDÆ,

sive aqua Picis liquidæ, vulgo *Catrame*.

℞. Picis liquid. uncias duas,
Aqu. fontan. libras decem.

In vase terreo vitreato mixta, agita bacillo ligneo, dein per 24. horas subsidat pix, & aqua decantetur.

VIS purificans sanguinem, resolvens, corrigens humores.

USUS in ulceribus internis, potius viscerum naturalium, quam pulmonum; in lentis febribus a congestionibus abdominalibus, atque in debilitate cachectica.

DOSIS ab unciis sex ad libras duas quotidie.

OBS. Decantatum olim specificum *D. Barcley*, Angli inter inutilia remedia collocarunt; nos insignem aquæ hujus efficaciam repetitis observationibus confirmavimus. Sunt qui paucas tantum uncias aquæ picis liquidæ admodum saturæ, cum lacte copulatas exhibent in morbis pectoris, quod semper inutile præsidium est.

# V I N A.

## VINUM AMARUM.

℞. Radicis Gentianæ,
Flavedinis corticum limonum recentis, singul. unciam unam,
Piperis longi drachmas duas,
Vini albi libras duas.

MACERA sine calore, & per chartam cola.
VIS tonica, calefaciens, deobſtruens.
USUS. Guttæ decem, usque ad triginta deobſtruendo & aperiendo juvant in viscerum morbis.

## VINUM SANCTUM.

℞. Vini albi optimi libras 15,
Lign. Guajac.
Sarsaparill. singulor. uncias duas cum dimidia,
Foliorum Sennæ Orientalis uncias tres,
Polypod. Quercin. uncias duas.

CONQUASSATA infundantur, & digerantur per hor. 24.
USUS. Valet ad morbos frigidos, paralyticos, cacochymos, & maxime luem veneream inveteratam. Aliquando etiam utiliter propinatur tertianariis & quartanariis.
DOSIS. Singulis diebus mane uncias octo, & se-

sero ante ingressum lecti tantumdem patiens capiat.

OBS. Multæ reperiuntur vinorum alterantium præparationes, quæ fiunt simplici infusione. Sic parari potest vinum amarum stomachicum, digestivum, infundendo folia Absinthii, Chamædryos, Gentianæ & Fumariæ in vinum album vel rubrum. Vinum amarum & vinum simpliciter absinthites commode ad uncias aliquot propinatur ante prandium in languida digestione, & mensium defectu ob cachexiam. Huic vino adiicitur sæpissime ferri frustulum & tunc amarorum simul & chalybeatorum qualitatem insigniter tonicam acquirit. Ferrum hac ratione tenuiter solutum facile humoribus miscetur. Eodem scopo nostrates medici aquam chalybeatam *Lucullanam* vino copulatam commendare solent ante prandium.

## VINUM ANTIMONIALE ANODYNUM.

℞. Vini antimonialis drachmas sex,
Tincturæ thebaicæ drachmas duas, misce.

VIS antispasmodica, aperiens, diaphoretica.

USUS. In valde irritabili corporis habitu si humores tenaciores attenuandi, & per diaphoresin evacuandi sunt, præstat vinum descriptum adhibere.

DOSIS a drachma una ad duas.

## VINUM IPECACOANHÆ.

℞. Radicis Ipecacoanhæ uncias duas,
Flavedinis corticis Aurantiorum Hispalensium siccatæ, unciam dimidiam,
Vini canarini libras duas.

INFUNDE & macera sine calore, & cola.

VIS emetica, tonica, adſtringens.

USUS in dysenteria, diarrhæa pertinaci, & summa ſtomachi debilitate.

DOSIS unius vel duarum unciarum vomitum affert; parcius tanquam tonicum poteſt adhiberi.

## VINUM CHALYBEATUM.

℞. Limaturæ ferri uncias quatuor,
Cinnamomi,
Macis, singulorum unciam dimidiam,
Vini Rhenani libras quatuor.

MACERA sine calore per mensem, sæpe interdum agitans; deinde cola.

OBS. Omnes meracioris vini species adhiberi pro hac præparatione possunt, atque viginti quatuor vel quadraginta octo horarum maceratio satis eſt pro saturatione. Juxta noſtram praxim fere semper herbæ amaræ, uti absinthium, chamædrys & gentiana, ferro adjunguntur.

VIS tonica, calefaciens, discutiens.

USUS in cachexia, chlorosi, hydrope, leucorrhæa.

DOSIS ab unciis quinque usque ad decem.

## TINCTURA RHABARBARI.

℞. Radicis Rhabarbari pulveratæ unc. 3.
Seminum Coriandri,
Canellæ albæ, singulorum, drachmas duas,
Aquæ libram unam. Misce. Digere, & cola.

VIS ſtomachica, eccoprotica, diuretica, anthelmintica.

USUS. In ſtomachi languore, digeſtionis imbecillitate, & alvi diuturno silentio. In bilis vitiosa secretione, ictero incipiente, affectibusque renum calculosis & mucosis. Chloroticæ mulieres hoc remedio plurimum sublevantur.

DOSIS cochlearia duo ante prandium.

OBS. Infusum sive tinctura rhabarbari extemporanea, aqua fervida & pulvere rhabarbari facta, utiliter sæpe adhibetur.

## TINCTURA RHEI AMARA.

℞. Rhei uncias duas,
Gentianæ semunciam,
Serpentariæ virginianæ drachmam unam,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE dies septem & cola.

VIS valde roborans, calefaciens.

USUS. In cachexia & morbis omnibus a languore.

DOSIS cochleare unum quotidie ex aquæ cyatho.

OBS. Si huic tincturæ adiiciuntur Sacchari cryſtallini unciæ quatuor, fit tinctura Rhei dulcis.

## TINCTURA SENNÆ COMPOSITA.

vulgo

## ELIXIR SALUTIS.

℞. Foliorum Sennæ uncias duas,
Radicis Jalapæ unciam unam,
Seminum Coriandri semunciam,
Rasuræ ligni Guajaci,
Baccarum Juniperi, singulorum, unciam unam,
Spiritus vinosi tenuioris libras tres,

DIGERE dies septem, & tincturæ colatæ, adde Sacchari cryſtallini uncias quatuor.

VIS carminativa, cathartica.

USUS. In colica flatulenta, & retardato bilis fluxu.

DOSIS ab uncia una, ad duas.

OBS. Guajacum utiliter adjungitur huic præparationi, nam ubi cum catharticis combinatur, optimum habet effectum: Sennæ enim drachmæ duæ in decocto ligni Guajaci si infunduntur, eandem purgandi activitatem habent quam tres sennæ drachmæ. *Pharm. Angl.*

TINCTURA SERPENTARIÆ.

℞. Radicis serpentariæ virginianæ uncias tres,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE sine calore, & cola.
VIS calefaciens, excitans, alexipharmaca.
USUS. In morbis malignis, cum cortice Peruviano.

TINCTURA sive ESSENTIA FULIGINIS volatilis Clauderi,

sive liquor salinus oleo fuliginis imprægnatus.

℞. Cinerum clavellatorum uncias sex, solve in aqu. font. sive florum sambuci unc. 36., solutioni adde,
Salis ammoniaci depurati unciam unam
Fuliginis splendentis depur., & pulver. unc. 2.

DIGERE in vitro probe clauso per aliquot dies, & tum filtra per chartam bibulam.
VIS resolvens, aperiens, emmenagoga, antispasmodica.
USUS. In promovendis sanguinis excretionibus efficacissimus. In exhanthematum retropulsione, in obstructionibus lymphaticorum, in febre quartana, & in mensium præsertim suppressione. Caute tamen in remedii administratione procedendum.
DOSIS a guttis 30. ad 100. bis terve in die, in vino.

## TINCTURA SACRA.

℞. Aloes socotorinæ uncias octo,
Canellæ albæ uncias duas,
Vini albi libras decem.

ALOE & canella separatim in pulverem redigantur, tum mixtis vinum affundatur; deinde macera sine calore per hebdomadam, vel diutius subinde agitans, & postremo cola.

NON inutile erit arenam albam probe a sordibus ablutam pulveribus admiscere, quo minus concrescat aloe madefacta.

VIS cathartica, tonica, resolvens, pellens.

USUS. In defectu sanguinis menstrui, & fluxus hæmorroidalis. Parva dosis roborans est, magna, nempe duarum unciarum cathartica evadit, ac nimis stimulans.

## TINCTURA THEBAICA,

sive Laudanum liquidum Sydenhami.

℞. Opii colati uncias duas,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum, singulorum drach. I,
Vini albi libram unam.

MACERA per hebdomadam sine calore, deinde per chartam cola,

VIS anodyna, roborans, stomachica.

USUS

usus. In morbis nervorum, præsertim in passione hysterica, & motibus convulsivis puerorum; atque sæpe etiam in fluxu alvi immoderato. Activitas omnino ab opio repetenda.

DOSIS infantibus guttæ 2. ad 13. biennibus ad 3. majoribus a 10. usque ad 50. & ultra. Opiatorum vero doses insigniter variant, & non raro ultra 100. guttæ Laudani liquidi nullum manifestum gignunt effectum.

OBS. 1. Quælibet uncia hujus Laudani continet extracti opii, sive opii puri drachmam unam; ita ut drachma ejus una grana septem cum dimidio de opio comprehendat.

OBS. 2. In compositione communi Laudani liquidi adjungitur etiam Croci uncia una.

## N O T A.

OMNIBUS his vinis, postquam colata sunt, addere licet spiritus vinosi tenuioris vicesimam circiter partem, ut tutiora sint a fermentatione. Etiam reponere convenit vitreis ampullis iisdem, quibus vina in usus communes asservantur, eademque cura obturatis.

TINCTURA AMARA,

sive Elixir ſtomachicum.

℞. Radicis Gentianæ, uncias duas,
Flavedinis corticum aurantiorum Hispalensium siccatæ unciam unam,
Seminum Cardamomi minoris excorticatorum unciam dimidiam,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas,

DIGERE sine calore & cola.
VIS tonica, roborans, ſtomachica.
USUS. In admodum languida digeſtione, & cachexia.

TINCTURA AROMATICA.

℞. Cinnamomi drachmas sex,
Seminum Cardamomi minoris decorticatorum drachmas tres,
Piperis longi,
Zingiberis, singulorum, drachmas duas,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas,

DIGERE sine calore, & cola.
VIS aromatica valde calefaciens.
USUS. In languore maximo ſtomachi, flatulentiis, aliisque morbis a debilitate.
DOSIS parvum cochleare quotidie cum vino vel alio vehiculo.

## TINCTURA CANTHARIDUM.

℞. Cantharidum contusarum drachmas duas;
Coccinellæ drachmam dimidiam,
Spiritus vinosi tenuioris sesquilibram.

DIGERE, & cola per chartam.

VIS insigniter ſtimulans, diuretica, dein adſtringens, calefaciens.

USUS. In hydrope, fluxu seminali, fluxu albo mulierum & gonorrhæa diuturna.

DOSIS à guttis quinque ad viginti in vehiculo mucilaginoso.

OBS. Tinctura cantharidum utillima eſt in Typho juxta Cl. *Home* observationes clinicas p. 19. & sequ. exhibetur a guttis decem usque ad triginta quinque. Formula eſt:

℞. Tincturæ cantharidum guttas decem, mucilaginis gumm. Arabic. aqu. fervidæ ana unciam semis misce, capiat æger ter in die.

## TINCTURA CORTICIS PERUVIANI.

simplex.

℞. Corticis Peruviani uncias quinque,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE per dies tres, & per chartam cola.

VIS tonica, calefaciens, febrifuga in laxo habitu.

USUS. In morbis lentis, pituitosis, viscerum naturalium imbecillitate, cachexia.

DOSIS a semuncia ad uncias duas quotidie,

OBS. Si huic tincturæ adiicitur, pro re nata, acidum vitriolicum, usurpari poterit in scorbuto, & morbis febrilibus corruptoriis, ac præsertim in Phthisi pulmonali.

## TINCTURA CORTICIS PERUVIANI

volatilis.

℞. Corticis peruviani uncias quatuor,
Spiritus salis ammoniaci libras duas.

DIGERE sine calore, in vase bene clauso, & cola.

USUS. Potius roborans quam febrifugum medicamentum constituit.

## TINCTURA FŒTIDA.

℞. Asæ fœtidæ uncias quatuor,
Spiritus vinosi rectificati libras duas.

DIGERE & cola.

VIS antispasmodica, sopiens, carminativa.

USUS. In passione hysterica, mensium defectu & colica flatulenta.

DOSIS a guttis viginti ad triginta, quotidie.

## TINCTURA GUAJACINA volatilis.

℞. Gummi guajaci uncias quatuor,
Spiritus volatilis aromatici sesquilibram.

DIGERE sine calore in vase bene clauso, & cola.

VIS diaphoretica, penetrans, attenuans, resolvens.

USUS. In rheumatismo chronico, & in doloribus venereis.

DOSIS a drachma una ad duas in vehiculo opportuno.

OBS. Tinctura hæc efficacissima est, nam gummi a spiritu vini perfecte dissolvitur, & majorem activitatem mutuatur. Medicamenta diaphoretica recte administrata in diversis morbis utillima sunt.

## TINCTURA JALAPII.

℞. Radicis Jalapii uncias octo,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE, & cola.

VIS chatartica.

USUS. In leucophlegmatia, cachexia.

DOSIS a semidrachma ad drachmam unam.

## TINCTURA LIGNORUM

edulcorata.

℞. Ligni Sassafras uncias duas,
Ligni Guajaci,
Sarsaparillæ,
Radicis chinæ dulcis, singulorum unciam unam,
Santalorum omnium unc. sem.
Spiritus vini rectificati libras tres.

DIGERE per dies tres sine calore, deinde adde Sacchari albi quantum suf. pro edulcoratione, & per chartam traiice.

VIS resolvens, calefaciens, stomachica, antivenerea.

USUS. In doloribus venereis ac simpliciter rheumaticis, post longum mercurialium usum, & in cachexia confirmata.

DOSIS ab uncia una ad duas, ex aquæ cyatho.

## TINCTURA MARTIS in SPIRITU SALIS.

℞. Limaturæ ferri libram dimidiam,
Spiritus salis marini Glauberi libras tres,
Spiritus vinosi rectificati libras tres.

MACERA ferri limaturam in spiritu salis sine calore, quamdiu spiritus ferrum rodit: postquam fæces subsederint, liquor evaporetur ad libram unam, & residuo addatur spiritus vinosus.

VIS tonica, deobstruens, emmenagoga.

USUS. In omnibus morbis, in quibus præparationes ferri utiles existimantur. Tincturæ omnes martiales sunt genuinæ ferri solutiones in acidis, ideoque præstantissimæ censeri debent.

DOSIS a guttis decem ad viginti, ter in die.

## TINCTURA MELAMPODII.

℞. Radicis hellebori nigri uncias quatuor,
Coccinellæ scrupulos duos,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE, & cola per chartam.

VIS emmenagoga.

USUS. In obstructionibus uterinis & sanguinis menstrui defectu, insignem habet efficaciam.

DOSIS a guttis viginti usque ad triginta.

TIN-

## TINCTURA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ uncias tres,
Spiritus vinosi tenuioris libras duas.

DIGERE, & cola.

VIS calefaciens, attenuans, roborans, deobstruens, antiseptica, uterina.

USUS. In languore & debilitate solidorum, in fluxu albo.

DOSIS a guttis quindecim usque ad quinquaginta.

OBS. De usu pulveris myrrhæ in febribus intermittentibus suo loco agitur.

## TINCTURA SATURNINA,

sive tinctura antiphthisica.

℞. Sacchari Saturni,
Vitrioli viridis, singulorum, uncias duas,
Spiritus vinosi rectificati libras duas.

SALES separatim in pulverem redige, & in spiritum infunde; deinde digere sine calore, & per chartam cola.

VIS adstringens, exsiccans, suspecta, nam tinctura sacchari saturni deleterias particulas continet.

USUS. In fluxibus immoderatis & præsertim in sudore colliquativo phthisicorum; medicamentum vero est valde suspectum & periculosum.

DOSIS a guttis 20., ad 30.

## TINCTURA STYPTICA.

℞. Vitrioli viridis calcinati, drachmam unam,
Spiritus vini Gallici, ex vase quercino, quo asservatus fuerit, flavescentis, libras duas.

MISCE ut spiritus nigrescat; deinde cola.
VIS valde adstringens.
USUS. Internus & externus in hæmorragiis: vis adaugetur ob qualitatem stypticam ligni quercini.
OBS. Adstringentia omnia, & præsertim efficaciora, semper suspecta sunt; fluxus enim cujuscumque generis celeriter & omnino sistere periculosissimum est.

## TINCTURA VALERIANÆ volatilis.

℞. Radicis Valerianæ sylvestris uncias quatuor;
Spiritus volatilis aromatici libras duas.
DIGERE sine calore, in vase bene clauso, & cola.
VIS penetrans, aromatica, alterans, nervina.
USUS. In epilepsia aliisque nervorum morbis.
DOSIS drachma una.

## BALSAMUM,

sive

## ELIXIR GUAJACINUM.

℞. Gummi Guajaci libram unam,
Balsami Peruviani drachmas tres,
Spiritus vinosi rectificati libras duas cum semisse.

DIGERE ut gummi solvatur, & deinde cola.

VIS tonica, resolvens, diaphoretica.

USUS. In languido solidorum statu, rheumatismo & defectu perspirationis, præsertim in cachectico corporis habitu.

DOSIS guttæ decem vel quindecim ter de die in vehiculo aquoso tenui.

## BALSAMUM TRAUMATICUM,

sive

## VULNERARIUM.

℞. Benzoini uncias tres,
Styracis calamitæ colati uncias duas,
Balsami Tolutani unciam unam,
Aloes socotorinæ unciam dimidiam,
Spiritus vinosi rectificati libras duas.

DIGERE ut gummi, quantum fieri poterit, solvatur; deinde cola.

BAL-

### BALSAMUM ANODYNUM.

℞. Opii unciam unam,
Saponis albi Hispan. vel Venet. unc. 5.,
Spiritus vini rectificati unc. 24.,
Camphoræ uncias 3.,
Olei diſtillati Rorismarini unciam dimid.

DIGERE opium & saponem in spiritu per triduum, liquori tum colato adde camphoram, & oleum, diligenter agitando probe misce.

VIS anodyna.

USUS. Externe ad dolores leniendos partium externarum solidarum.

Interne in colica nervosa, ictero; in arthritide & rheumatismo ad guttas 30.; ad 50. eo utuntur Angli.

OBS. Guttis 90 ineſt opii granum unum. Ex hoc balsamo anodyno præparatur Balsamum saponaceum, omisso solo opio. *Reuss.*

### BALSAMUM SIVE UNGUENTUM ARCÆI.

℞. Terebinthinæ electæ Venetæ,
Gummi-resinæ Elemi, sevi cervini, ana unc. 6.,
Olei Hyperici uncias duas.

SOLVE lenissimo igne, per pannum traiice, sub perpetua trituratione ope piſtilli lignei; massa agitetur donec refrigescat.

VIS digeſtiva, vulneraria, suppurationem promovens.

USUS. Pro linimento digeſtivo & suppurativo.

OBS.

OBS. Præparationem Balsami Arcæi apposuimus, quia in communi Chirurgorum praxi, linimentum usitatissimum constituit.

## BALSAMUM SULPHURIS.

℞. Sulphur. citrin. pulveris. vel flor. sulph. unc. 3.
Ole. nuc. Juglandium unc. 12.

COQUE in vase ferreo satis amplo, lenissimo igne, ad sulphuris solutionem.

VIS resolvens, exsiccans, vulneraria.

USUS. In vulneribus, ulceribus, tumoribus duris, gummatibus & tophis. *Reuss.*

OBS. Balsamum sulphuris Rulandi, sive Terebinthinatum, differt a simplici, quia adiiciuntur priori olei Terebinthinæ unciæ quatuor singulis unciis Balsami sulphuris.

## ELIXIR ALOES,

sive elixir proprietatis.

℞. Tincturæ myrrhæ libras duas,
Croci, aloes socotorinæ, singulorum uncias tres.

DIGERE & cola.

VIS calefaciens, stimulans, stomachica, aperiens.

USUS. In cachexia, ictero, fluxus hæmorroidalis defectu.

DOSIS a guttis 20. ad 30.

### ELIXIR PAREGORICUM.

℞. Florum benzoini,
Opii colati, singulorum, drachmam unam,
Camphoræ scrupulos duos,
Olei anisi essentialis drachmam dimidiam,
Spiritus vinosi rectificati libras duas.

DIGERE & cola.
VIS antispasmodica, demulcens.
USUS. In asthmate, tussi ferina infantum, & convulsionibus.
DOSIS in infantibus a guttis 5. ad 20., in adultis a 20. ad 100.
OBS. Semuncia continet granum fere unum opii.

### ELIXIR MYRRHÆ.

Rec. Extracti Sabinæ unciam unam,
Tincturæ Castorei libram unam,
Tincturæ Myrrhæ libram dimidiam.

DIGERE & cola. Dicebatur etiam *Elixir uterinum*.
VIS roborans, calefaciens, stimulans.
USUS. In cachexia, quæ menstruorum defectum gignit; sed in debilibus & lentis temperamentis. Adhiberi etiam solet in diuturnis intermittentibus.
DOSIS est a guttis quinque, ad triginta.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM.

Rec. Canellæ albæ,
Flavedin. cortic. aurant. Hispalens. siccatæ,
Piperis Jamaicensis, singulorum drachmas sex,
Spiritus vinosi tenuioris libras quatuor,
Spiritus vitrioli fortis libram unam.

DIGERE, & cola.

VIS roborans, ſtomachica, antiseptica.

USUS. In morbis febrilibus malignis, cum magna virium proſtratione, maculisque lividis; in morbis a debilitate, & præsertim in ſtomachi languore.

DOSIS a guttis decem ad quadraginta.

Elixir vitrioli dulce nullam habet peculiarem activitatem, quia spiritu vitrioli dulci componitur.

## MIXTURÆ.

### JULAPIUM ACIDUM.

Rec. Spiritus vitrioli tenuis, drachmas tres;
Syrupi simplicis, uncias tres;
Aquæ font. libras duas. Misce.

VIS antiseptica, refrigerans.

USUS. In morbis omnibus inflammatoriis, & in digestionis imbecillitate.

DOSIS a drachma una ad quatuor, sæpe spatio viginti quatuor horarum.

OBS. Hæc formula, quæ in nova Edinburgensi Pharm. reperitur, priori anteferenda quia simplicior, & quia acidum vitriolicum pro basi habet.

### JULAPIUM MINDERERI.

Rec. Spiritus Mindereri uncias duas,
Haustus communis uncias sex. Misce.

VIS diaphoretica, alterans, attenuans.

USUS. In morbis rheumaticis ad profusum sudorem excitandum.

DOSIS adnotata spatio 24 horarum absumenda.

## JULAPIUM MOSCHATUM.

Rec. Aquæ Pulegii simplicis uncias quinque,
------ Juniperi compositæ unç. dimidiam,
Moschi scrupulos duos,
Mucilaginis gummi Arabici drachmam unam,
Syrupi simplicis drachmas tres. Misce.

VIS antispasmodica, ob odorem virosum.

USUS. In morbis convulsivis, præsertim in passione hysterica, ideoque idem est ac *Julepum hystericum cum moscho*.

OBS. Qui a moscho magni momenti actionem expectant, potius hac quam alia formula uti possunt.

## JULAPIUM AMMONIACUM.

Rec. Lactis ammoniaci, uncias quatuor;
Syrupi scillitici, uncias tres. Misce.

VIS resolvens, pectoralis, diuretica.

USUS. Cochlearia duo hujus mixturæ propinari possunt bis de die in tussi, asthmate & spirandi difficultate. Summæ efficaciæ medicamentum est, quamvis nauseosum. *Pharm. Angl.*

### JULAPIUM SUCCINATUM.

Rec. Tincturæ succini, drachmas duas,
Sacchari albi, unciam dimidiam,
Aquæ font. uncias sex. Misce.

VIS antispasmodica.

USUS. Gratissimum constituit medicamentum in passione hysterica, & motibus convulsivis puerorum.

DOSIS cochleare parvum sæpe, pro re nata.

### EMULSIO COMMUNIS.

Rec. Amygdalarum dulcium, pellicula dempta, unciam unam,
Gummi arabici, unciam dimidiam,
Sacchari purissimi, drachmas sex,
Aquæ hordeatæ libras duas.

SOLVE gummi in aqua hordeata calida; & cum aqua penitus refrixerit, amygdalis cum saccharo contusis, gradatim affunde, simul terens, ut lactescat; deinde liquorem cola.

VIS demulcens, relaxans, acres humores involuens.

USUS. In urinæ difficultate, gonorrhæa virulenta, dolore nephritico. In acutis in quibus convulsiones adsunt, & pulsus durissimi sunt, præparationi præcedenti adiiciuntur guttæ triginta vel quadraginta Laudani liquidi Syd. cum magno emolumento. In stranguria a cantharidibus excitata juvat non solum opium, sed camphoram quoque emulsioni communi adjungere.

OBS. Eadem ratione paratur emulsio seminum cannabis sativæ, ubi de dolore nephritico agitur.

### LAC AMMONIACI.

Rec. Gummi ammoniaci drachmas duas,
Aquæ Pulegii simplicis libram dimidiam.

TERE gummi in mortario cum aqua, donec lactescat.

VIS attenuans, resolvens, expectorans.

USUS in tussi pertinaci, asthmate humido, congestionibus lymphaticis pulmonum, & obstructionibus viscerum abdominalium.

DOSIS cochlearia duo, quotidie.

LAC etiam asafœtidæ in spasmodicis, hystericis aliisque nervorum affectibus commendatur. Usurpatur non infrequenter forma injectionis. *Pharm. Edinb.*

OBS. Gummi Ammoniacum fere semper capitis dolorem gignit, nec raro etiam vertiginem.

SPIRITUS VINOSUS CAMPHORATUS.

Rec. Camphoræ uncias duas,
Spiritus vinosi rectificati libras duas,

MISCE ut camphora solvatur.
VIS resolvens, superficialiter tonica, stimulans.
USUS. In contusionibus levioribus, & paralysi.
OBS. Frictiones cum spiritu vini simplici, vel camphorato nunquam instituendæ si contusiones profundæ sunt & cum magno humorum affluxu conjunguntur, nam irritando absorptionem effusorum humorum prohibent.

SOLUTIO MINERALIS ARSENICI

*Pharm. Endiburg.*

Rec. Arsenici albi in pulverem subtilem redacti, & alcali vegetabilis fixi, singulorum grana sexaginta;
Aquæ distillatæ uncias decem.

Immitte in vas vitreum & igne arenæ detine usque quo leni aquæ ebullitione arsenicum perfecte solvatur. Solutioni frigefactæ adde spiritus Lavendulæ unciam dimidiam, & tantum aquæ quantum satis erit ad unciarum quindecim cum dimidia pondus efficiendum.

INTRODUCTIO hujus remedii debetur D. Fowler a Stafford. Jam arrepta occasione in tractatu arsenici in materia medica de remedio huic admodum analogo, nempe de *Guttis insipidis adversus tertianam*, & in curatione tertianarum diuturnarum feliciter usitato

loquuti sumus. Certe apposita modo formula æquali fere cum successu in intermittentibus administratur. In hoc casu propinatur juxta ætatem & alias ægrotantium peculiaritates a guttis duabus usque ad viginti una tantum vice, aut bis, terve unius diei spatio. Insignem attulit utilitatem, quamvis in nonnullis ægrotantibus etiam a paucis dosibus vomitus excitabatur. Eadem præparatio non in intermittentibus modo, sed in capitis doloribus periodicis, & in affectibus cutaneis ad lepram accedentibus aliquando utilis reperta fuit.

OBS. Hæc est summa observationum circa usum internum arsenici, quæ in recenter evulgata Edinburgensi pharmacopœia reperiuntur. Nos vero qui lentam sed profundam, deleteriam & irreparabilem hujus substantiæ activitatem ante oculos habemus, neque raro tabem, hecticam lethalem febrem & sanguinis sputum a generali pulmonum erosione pendentem observavimus, semper arsenici usum internum magnopere suspectum esse existimabimus.

# SYRUPI.

SYRUPI dicuntur saturæ sacchari solutiones in aqua, vel infusionibus aquosis & vinosis, vel in succis. Usitatissimi antea syrupi hodie inter inutilia remedia utplurimum collocantur, quia præter saccharum & aquam nil fere medicamentosi continent. Hinc potius vehiculum diversarum præparationum componunt, & in pilularum confectione usurpantur. In præparatione ubi pondus sacchari non præscribitur, intelligendum est, in singulas liquoris mensuras librales pondus sacchari esse debere unciarum viginti novem. Saccharum sit purissimum, in pulverem redactum; & balnei calore liquetur; nisi aliter præscriptum sit: syrupus vero confectus in posterum diem seponendus est, quando crusta saccharina, si quæ supernatet, auferri debet.

## SYRUPUS ACETI.

Rec. Aceti libras duas cum semisse,
Sacchari purissimi libras tres cum semisse.

COQUE ut fiat syrupus.

VIS refrigerans, corrigens, antiseptica.

USUS. In morbis febrilibus, æstuosis, in alvi fluxu, in scorbuto, asthmate & similibus, cum aqua miscetur & frequenter propinatur. Medicina est pauperibus regionum præsertim meridionalium utillima.

## SYRUPUS EX ALTHÆA.

Rec. Radicum recentium Althææ libram unam,
Sacchari purissimi libras quatuor,
Aquæ congium unum.

COQUE aquam cum radicibus ad dimidiam; postquam penitus frigefacta est, effunde & exprime; liquor seponatur per noctem, ut fæces subsidant; mane defæcatum liquorem effunde, & addito saccharo, ad sex librarum pondus coque.

VIS dulcis, glutinosa, demulcens, involvens, obtundens.

USUS. Insignis efficacia huic syrupo tribuitur in morbis pectoris, quod falsum; juvat tamen ad imminuendam tussis vehementioris molestiam. Magnam cum syrupo pectorali analogiam habet.

## SYRUPUS E CORTICIBUS AURANTIORUM.

Rec. Flavedinis corticum aurantiorum Hispalensium recentis uncias octo,
Aquæ bullientis libras quinque.

MACERA per noctem in vase clauso, mane in liquore colato dissolve saccharum purissimum, in pulverem redactum, ut fiat syrupus.

VIS refrigeratoria, antiseptica.

USUS. Potius ad gratum saporem pharmacis conciliandum, & pro vehiculo acidorum mineralium.

### SYRUPUS BALSAMICUS.

Rec. Syrupi communis libras duas,
Tincturæ Tolutanæ unciam unam.

SYRUPO recens parato, & ab igne remoto, cum pene refrixerit, immisce paulatim tincturam.
VIS diuretica, balsamica, detergens.
USUS. In tussi, asthmate, catarrho suppurato, gonorrhæa, & nephritide.
DOSIS a guttis decem ad 40 in vehiculo mucilaginoso.

### SYRUPUS CROCI.

Rec. Vini crocei libram unam,
Sacchari purissimi uncias vigintiquinque.

SOLVENDO saccharum fiat syrupus.
VIS aperiens, cordialis.
USUS. In menstruorum defectu ob chlorosim.
DOSIS cochleare unum horis matutinis.

## SYRUPUS E MECONIO

sive

## DIACODION.

Rec. Capitum Papaveris albi siccatorum, seminibus exemptis, libras tres cum dimidia,
Aquæ bullientis congios sex.

CAPITA concide, & in aqua coque, subinde peragitans, ne urantur, donec tertia circiter pars liquoris remaneat, quæ tota fere a capitibus imbibetur, deinde remove ab igne, & fortiter exprime; postea coquendo redige ad quatuor circiter librarum mensuram, et dum adhuc fervet, cola primum per cribrum, deinde per pannum laneum tenue, & sepone per noctem, ut fæces subsidant; mane purum liquorem effusum coque cum pondere sacchari purissimi librarum sex, donec pondus totius sit librarum novem, vel paulo plus, ut fiat syrupus idoneæ spissitudinis.

VIS leniter narcotica & antispasmodica.

USUS. In tussi, doloribus & convulsionibus.

DOSIS in pueris a semidrachma, ad drachmas tres; in adultis a semuncia ad unciam unam.

SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI.

Rec. Florum Papaveris erratici recentium libras quatuor.
Aquæ bullientis libras quatuor cum semisse.

AQUA floribus affusa imponatur super ignem, & flores sæpe moveantur, donec penitus madefiant, & cum primum in aquam sint demersi, seponantur per noctem ad macerandum; postridie effuso & expresso liquore, sepone per aliam noctem, ut fæces subsidant; deinde saccharo purissimo fiat syrupus.

VIS narcotica & sedativa præcedentis.

USUS. In morbis pectoris, tussi, sanguinis sputo & pleuritide.

OBS. Hoc syrupo in praxi pro commodo efficaciorum opiatorum vehiculo utor, addendo singulis syrupi unciis Laudani liquidi guttas viginti, vel opii Thebaici antea soluti granum semis. Hujus remedii efficaciam insignem semper expertus sum in morbis febrilibus, in quibus pulsus durissimi sunt, & tendinum subsultus adsunt.

DOSIS parvum cochleare singulis horis, usque ad manifestam actionem.

## SYRUPUS ROSARUM SOLUTIVUS.

Rec. Liquorem ex Rosarum damascenarum libris sex, post distillationem residuum,
Sacchari purissimi libras quinque.

LIQUOREM expressum ad trium librarum mensuram coquendo redige, sepone per noctem, ut fæces subsidant; mane defæcatum effunde, & adjecto saccharo, coque ad pondus librarum septem cum dimidia.

VIS leniter cathartica.

USUS. In infantibus & pueris alvum purgat a semiuncia ad unciam, & ad majorem dosim adultis etiam convenit, in diuturno præsertim alvi silentio.

## SYRUPUS SCILLITICUS.

Rec. Aceti scillitici sesquilibram,
Cinnamomi,
Zingiberis, singulorum, unciam unam,
Sacchari purissimi libras tres cum dimidia.

MACERA aromata per triduum in aceto, & liquori colato adde saccharum, ut fiat syrupus.

VIS stimulans, aperiens, diuretica.

USUS. In asthmate humorali ad expectorationem promovendam, in colluvie serosa, quia irritando urinas copiose movet. Reliquis præparationibus scilliticis anteferri meretur, acetum enim actionem scillæ causticam emendat.

DOSIS cochlearia aliquot quotidie, per intervalla.

### SYRUPUS SIMPLEX, sive COMMUNIS.

Aqua solvatur saccharum purissimum, ut fiat syrupus.

### SIRUPUS E SPINA CERVINA.

Rec. Succi baccarum maturarum, & recentium spinæ cervinæ congium unum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Nucis moschatæ, singulorum, unciam unam,
Sacchari purissimi libras septem.

SEPONE succum per aliquot dies, ut fæces separentur, deinde cola, & in aliqua succi parte macera aromata; coque reliquum, sub finem addens eam partem, in qua aromata macerata sunt, prius colatam: ut totus redigatur ad mensuram quatuor librarum, deinde saccharum adde ut fiat syrupus.

VIS cathartica vehementior.

USUS. In hydropis initio, & ubi majori activitate alvus movenda.

DOSIS ab uncia una ad duas. Juscula tenuia sunt simul abundanter ingurgitanda, ne sitis molesta evadat.

## SYRUPUS VIOLARUM.

Rec. Violarum recentium, & bene coloratarum libras duas,
Aquæ bullientis libras quinque.

MACERA per integrum diem in vase vitreo, vel saltem terreo vitreato; deinde effundatur liquor, & coletur per linteum tenue, diligenter evitata omni expressione; poſtea saccharo purissimo fiat syrupus.

VIS demulcens, lenissime cathartica.

USUS. Pueris ad alvum laxandam, ad cochlearia aliquot propinatur: adiicitur etiam emulsionibus demulcentibus & sedativis.

## SYRUPUS ACIDUS.

Rec. Spiritus vitrioli tenuis drachmas duas,
Syrupi Limonum, vel aceti, uncias sex.
Misce.

VIS refrigerans, tonica, diuretica.

USUS. In morbis vere corruptoriis, in scorbuto, in erysipelate maligno, in febribus petechialibus, cum multa aqua utiliimos gignit effectus.

## SYRUPUS ALCALINUS.

Rec. Salis tartari, drachmas tres,
Syrupi communis, uncias sex. Misce.

usus in vera acidi morbosi existentia in primis viis, & pro effervescentibus mixturis.

## CONFECTIO ALKERMES.

Rec. Succi granorum Kermes tepefacti, & colati, libras duas,
Aquæ rosarum damascenarum uncias sex,
Olei Cinnamomi scrupulum dimidium,
Sacchari purissimi libram unam.

SACCHARUM cum aqua rosarum, balnei calore liquefac, in syrupum deinde succum Kermes immitte, & postquam refrixerit, oleum Cinnamomi.

VIRES insigniter cordiales huic præparationi a vetustioribus medicis tribuebantur. Nostrates vero remedium prorsus fere reiicierunt.

## SYRUPUS SARSAPARILLÆ

*Petitorii Neapolitani.*

Rec. Sarsaparillæ electæ libras duas cum dimidia.
Aquæ fontis libras triginta.

INFUSIONE peracta, bulliant ad tertiæ partis remanentiam, circa finem addendo,

Florum Boraginis,
Rosarum albarum, &
Foliorum sennæ orientalis, singulorum, uncias duas,
Seminum anisorum, unciam unam

COLENTUR, & ex decoctione cum sacchari albissimi libris quatuor fiat syrupus.

VIS antivenerea, purificans, diuretica.

USUS in morbo venereo confirmato, præsertim post frictiones mercuriales, & in pustulis venereis.

DOSIS ab uncia una ad tres, horis matutinis.

OBS. Præcedenti præparationi dempta senna adjiciuntur Nasturtii aquatici, Graminis officinalis, Acetosellæ, Taraxaci & Beccabungæ, singulorum uncias duas, pro compositione syrupi sarsaparillæ antiscorbutici.

Hoc remedio passim utimur in acri humorum & scorbutica diathesi, atque in efflorescentiis cutaneis. Dosis præcedentis.

### SYRUPUS RAPHANI RUSTICANI.

℞ec. Radicis raphani ruſticani recentis, in tenues laminas disseċtæ, drachmam unam.

INFUNDE in aquæ ebullient. unc. 4. per horas duas in vase clauso: deinde adde,
Sacchari purissimi uncias octo, ut fiat syrupus.

USUS. Cochlearia ad summum duo, sed parva hujus syrupi per intervalla usurpata, ſtatim fere raucedinem tollunt. *Cullen. Mat. Med.* 2. 167.

# MELLA, & OXYMELITA.

## MEL ÆGYPTIACUM.

Rec. Æruginis minutissime tritæ uncias quinque,
Mellis uncias quatuordecim,
Aceti uncias septem.

DISSOLVE æruginem in aceto, & per linteum cola, dein addito melle coque ad mediocrem consistentiam.

VIS detergens, exsiccans, mundificans.

USUS externus tantum in curatione ulcerum sordidorum; & in cohibendis flaccidis carnibus. Usurpatur adversus ulcera venerea faucium & tonsillarum, sed caute, nam si minima quamvis medicamenti particula deglutitur, periculosa quæ ab ærugine oriuntur incommoda in ſtomacho gignit.

## MEL ROSÆ SIVÆ ROSACEUM.

Rec. Rosarum rubrarum immaturarum, demptis unguibus, celeriter arefactarum uncias quatuor,
Aquæ bullientis libras tres,
Mellis despumati libras quatuor.

MACERA rosas in aqua per aliquot horas; deinde liquori colato admisce mel, & coque ad debitam spissitudinem.

VIS leniter adſtringens, exsiccans & mundificans.

USUS pro gargarismate cum aqua hordei, vel folio-

liorum malvæ in faucium & tonsillarum ulceribus, & in angina.

MEL SCILLÆ.

Rec. Mellis despumati libras tres,
Tincturæ scillæ libras duas.

COQUE in vase vitreo ad syrupi consistentiam.

MEL in præparatione hac saturatur perfecte particulis scillæ in tinctura existentibus, & usurpari potest tanquam optimum expectorans, ac diureticum medicamentum. *Phar. Edinb.*

OXYMEL SCILLITICUM.

Rec. Mellis despumati libras tres,
Aceti scillitici libras duas.

COQUE in vase fictili vitreato, lenique igne, ad syrupi spissitudinem.

VIS aperiens, detergens, expectorans.

USUS in asthmate, tussi, aliisque morbis, in quibus lympha tenacissima abundat.

DOSIS a drachma una, ad tres in vehicnlo aquoso, vel in decocto cinnamomi, ad nauseam vitandam. Doses largiores vomitum movent.

OXYMEL SIMPLEX.

Rec. Mellis despumati libras duas,
Aceti libram unam.

COQUE in vase fictili vitreato, lenique igne, ad syrupi spissitudinem.

VIS incisiva, refrigerans, expectorans.
USUS ad gargarismata expectorantia, & refrigerantia. Interne in febribus inflammatoriis.
DOSIS ab uncia una ad tres in vehiculo aquoso.
OBS. Cum syrupo aceti magnam analogiam habet.

## OXYMEL PECTORALE.

Rec. Radicis Enulæ campanæ unciam unam,
Radicis ireos semunciam,
Gummi ammoniaci unciam unam,
Aceti libram dimidiam,
Mellis despumati libram unam,
Aquæ libras tres.

RADICES incisas & contusas coque in aqua, ad tertiæ partis consumationem; dein liquorem filtratum post quietem decantando a fæcibus separa; postea adde mel & ammoniacum antea in aceto solutum. Levi postea ebullitione misce.
USUS. In morbis pectoris a lymphatica congestione pendentibus, atque ab obstructione vasorum pulmonalium.
DOSIS. Cochlearia tria mane & vespere, per plures dies.

# PULVERES

PULVERIS formam assumere possunt illæ tantum substantiæ, quæ sufficienter exsiccari, atque pulverisari possunt, nec tamen propriam activitatem amittunt. Multæ tamen reperiuntur substantiæ hujus naturæ, quæ commode forma pulveris ingurgitari non possunt: amara, acria & fœtida, admodum molesta sunt: herbæ & radices emollientes, magnam habent corpulentiam: gummi cohæret, & in ore tenacissimum evadit: sales alcalini fixi liquescunt statim ac compositio aeri exponitur; atque alcali volatile exhalatione dissipatur. Multa inter aromatica etiam, majorem odoriferi principii amissionem patiuntur, dum forma pulveris servantur; nam sub hac forma, procul dubio majorem superficiem aeri exponunt.

Dosis pulverum in extemporanea præscriptione in genere est fere semidrachmæ; raro drachmam unam superat; & raro est minor scrupulo. Substantiæ, quæ minori dosi magnum effectum gignunt hac forma non debent usurpari, nisi quantitas crescat addendo minoris efficaciæ substantias; illæ vero, quæ ad majores doses exhiberi debent, melius alia forma usurpantur.

Vehiculum commune pro leviorum pulverum usu sunt liquida omnia grati saporis. Pulveres ponderosi, præsertim illi, qui parantur a substantiis metallicis, vehiculum majoris consistentiæ, uti syrupum, requirunt, nam in tenuioribus statim fundum petunt. Resinosæ etiam substantiæ commodius assumuntur in densis liquoribus: nam in tenuioribus facile concrescunt in grumos, qui non facile denuo solvuntur.

*Regulæ generales pro compositione Pulverum.*

I.

Peculiariter cavendum, ut cariosa, corrupta & impura, nunquam in compositione pulverum misceantur: ſtipites & corruptæ partes plantarum separari debent.

II.

Aromatica sicca, tempore pulverisationis, guttis aliquot convenientis alicujus aquæ, irrorari debent.

III.

Aromatica humidiora, exsiccari debent lenissimo calore, antequam mortario committantur.

IV.

Gummi, & similes aliæ subſtantiæ, quæ difficulter pulverisantur, una cum siccioribus pulverisandæ sunt, ut simul per cribrum traiici possint.

V.

Nulla pars pro usu seponi debet, nisi prius integra massa mortario immissa, per cribrum trajecta sit, & omnes partes sint conjunctæ: nam partes illæ subjectu, quæ primum in pulverem sunt redactæ, a reliquis differre possunt, saltem quoad gradum efficaciæ.

VI.

## VI.

Pulveres aromaticorum ad parvas quantitates, singulis vicibus parari, atque vitris bene obturatis servari debent.

Si pulveres per longum tempus servantur, neque diligenter ab externi aeris accessu custodiuntur, majorem propriæ efficaciæ partem amittunt; quamvis partes a quibus componuntur aliis temporibus volatiles non esse reperiantur. Ita, etsi vires ipecacuanhæ ita sunt fixæ, ut intactæ serventur etiam in extractis cum propriis menstruis paratis, attamen si radix in pulverem redacta, per longum tempus aeri exponitur, suam emeticam qualitatem amittit.

## PULVIS ALOETICUS

sive

## HIERA PICRA.

Rec. Gummi ex aloe socotorina extracti, libram unam,
Canellæ albæ uncias tres. Misce.

SEPARATIM in pulverem contundantur, deinde misceantur.
VIS cathartica.
USUS. Optimum suppeditat catharticum in bilis defectu. Est multarum pilularum purgantium basis.
DOSIS a granis quinque, ad viginti.

## PULVIS ALOETICUS CUM FERRO.

Rec. Aloes socotorinæ in pulverem redactæ, unciam unam cum dimidia,
Pulveris Myrrhæ, uncias duas,
Extracti sicci Gentianæ,
Ferri vitriolati, singulorum, unciam unam forma pulveris. Misce.

VIS peculiariter emmenagoga.
USUS. In menstruorum defectu, & obstructionibus viscerum naturalium; præsertim si alvus laxanda.

### PULVIS ALOETICUS cum GUAJACO.

Rec. Aloes socotorinæ, unciam unam cum dimidia;
Gummi Guajaci, unciam unam,
Pulveris aromatici, unciam dimidiam.

Gummi guajaci & aloe terantur separatim, & in pulverem redigantur: dein omnia ingredientia simul misceantur.

VIS cathartica, & parva in dosi, diaphoretica.

USUS. In guajaco atque etiam in aloe, calidum gummi-resinosum catharticum habemus; atque ambo corriguntur, quia combinatione cum aromaticis tenuiter dividuntur. Hæc itaque compositio utillimum suppeditat catharticum. Ubi vero parvæ adhibentur doses perspirationem præcipue adauget. Proxime accedit ad præparationem pilularum aromaticarum. *Ph. Edinb.*

DOSIS a granis quinque, ad viginti.

### PULVIS ARI

Compositus.

Rec. Radicis ari recens siccatæ, uncias duas,
Gladioli lutei,
Pimpinellæ saxifragæ, singulorum, unciam unam,
Oculorum cancrorum præparatorum,
Cinnamomi, singulorum, unciam dimidiam,
Salis absinthii drachmas duas.

CONTUNDANTUR in pulverem vase clauso servandum.

VIS

vis ſtomachica, incisiva, resolvens.

usus in ſtomachi debilitate ob viscidi abundantiam. In rheumatismo etiam utillimus eſt hic pulvis; qui tamen per longum tempus asservari non debet, propriam enim activitatem facile amittit.

dosis a scrupulo ad drachmam bis quotidie.

### PULVIS STERNUTATORIUS

sive

### CEPHALICUS.

Rec. Foliorum asari partes tres,
Majoranæ partem unam.

triturentur simul, & in pulverem redigantur.

vis ſternutatoria.

usus in coryza; nam ope ſternutationis e naribus copiosum mucum educit.

### PULVIS IPECACUANHÆ COMPOSITUS.

Rec. Ipecacuanhæ,
Opii duri, purificati in pulv. redact. singulorum drachmam unam,
Tartari vitriolati, pulver. unciam unam. Misce.

### PULVIS SUDORIFICUS, sive DOVERI.

Rec. Sal. tartari vitriolati, drachmas tres,
Opii,
Radicis Ipecacuanhæ, pulv. singulorum scrupulum unum. MISCE, redigantur in pulverem uniformem.

DIF-

DIFFERENTIA inter *Pulverem Ipecacuanhæ compositum* Pharm. Lond. & *Pulverem sudorificum Doveri*. *Pharm. Edinb.* eſt in ingredientium dosi.

VIS sudorifera, resolvens, sedativa.

USUS. Tanquam optimum remedium in rheumatismo acuto & chronico primum proponebatur; & revera sudorem promovendo, & tenacem lympham resolvendo efficacissime operatur. Magnam quoque affert utilitatem in leucophlegmatia, & præsertim in morbis phlogiſticis, nempe in generali illa totius corporis syderatione, quæ caloris animalis deſtructionem comitatur. Insignis ejusdem remedii efficacia laudatur in gravissimis capitis concussionibus, juxta experimenta D. Bromfield.

DOSIS eſt a granis quinque ad viginti; & rectius doses parvæ per intervalla exhibentur.

## PULVIS E JALAPPA COMPOSITUS.

Rec. Radicis Jalappæ unciam unam,
Cryſtallorum Tartari uncias duas.

MISCE & diligenter aliquandiu tere, ut fiat pulvis tenuissimus.

VIS cathartica.

USUS. Cryſtalla Tartari particularum Jalappæ divisionem faciliorem reddunt, unde facultas cathartica Jalappæ tutior magisque uniformis eſt.

DOSIS a granis quinque ad scrupulum unum.

## PULVIS E MYRRHA COMPOSITUS.

Rec. Foliorum siccatorum rutæ,
Dictamni cretici,
Myrrhæ, singulorum, sesunciam;
Asæ fœtidæ,
Sagapeni,
Castorei russici,
Opopanacis, singulorum, unciam unam.

SPECIES simul in pulverem contundantur.
VIS calefaciens, attenuans, uterina, emmenagoga.
USUS. In chlorosi, mensium & lochiorum defectu.
DOSIS a granis quinque ad viginti.

## PULVIS OPIATUS.

Rec. Opii duri & pulverisati drachmam unam;
Cornu Cervi usti & præparati drachmas novem. MISCE.

VIS narcotica, sedativa.
USUS. Quamvis Cornu Cervi adhibeatur præsertim ut opium facile dividatur in particulas tenuissimas, attamen optime operatur hac forma, vel quia acidum primarum viarum emendat, vel juxta nostram sententiam, quia facultatem narcoticam, uti substantiæ omnes empyreumaticæ, exercet. Actio tutior quia compositio purissimum opium in pulverem redactum continet.

DOSIS. Hujus pulveris grana decem continent granum unum opii; hinc doses pro necessitate facile determinari possunt. Exhiberi potest pro sudorifero, loco pulveris Doveri, vomitum enim & nauseam non gignit.

PUL-

## PULVIS E SCAMMONIO CUM ALOE.

Rec. Scammonii drachmas sex,
Extracti Jalappæ duri,
Aloes socotorinæ, singulorum unciam unam & semis,
Zingiberis unciam dimidiam.

SEPARATIM in pulverem redige, & misce.
VIS cathartica.
USUS. A combinatione aloes, scammonii & jalappæ obtinetur catharticum valde tutum, atque in diuturno etiam alvi silentio efficacissimum.
DOSIS a granis decem ad scrupulum unum.
OBS. numerosas pulverum purgantium formulas omisi; nam iisdem fere substantiis componuntur. Purgantia rursum semper suspecta sunt, & raro cauteque adhibenda.

## PULVIS STYPTICUS

*Ph. Edinb.*

Rec. Aluminis unciam unam & semis,
Gummi Kino drachmas tres.

TERANTUR simul, ut fiat pulvis subtilissimus.
VIS adstringens.
USUS. In præcedentibus editionibus pharmacopœjæ nostræ (i. e. Edinburgensis) hic pulvis componebatur alumine & sanguine draconis & per longum tempus valde celebrabatur nomine *Pulveris styptici Helvetii*. *Gummi Kino*, *nempe Gummi rubrum adstrigens Gambinense* recte substituitur sanguini draconis, nam ma-

majorem magisque certam adſtringendi efficaciam habet. Præcipuus hujus pulveris usus eſt in hæmorrhagiis, præsertim uteri.

PULVIS ANTHELMINTICUS.

Rec. Florum tanaceti,
Seminum santonici, singulorum drachmas tres,
Salis martis, drachmam unam.
MISCE.

VIS calefaciens, ſtomachica, anthelmintica.

USUS. Flores tanaceti & santonici, considerabilem possident qualitatem anthelminticam, quæ non parum augetur a sale martis; atque tres modo adnotatæ subſtantiæ simul junctæ efficacius operantur, præsertim in expulsione lumbricorum, quam separatim exhibitæ.

DOSIS a paucis granis, ad semidrachmam & ultra, juxta ætatem aliasquæ ægrotantium circumſtantias.

PULVIS INFANTUM.

Rec. Magnesiæ albæ, unciam unam,
Rhabarbari in pulverem subtilissimum redacti, drachmam unam.
MISCE.

VIS antacida, tonica, purgans.

USUS adversus acidum primarum viarum, & debilitatem canalis alimentorum; hinc in diarrhœa ab hisce causis pendente utiliter usurpatur; fluxum enim non ſtatim prohibet. In infantibus præsertim adhibetur.

DOSIS a drachma una ad duas.

PULVIS NITROSUS.

Rec. Nitri purificati, uncias tres,
Salis acetosæ, unciam unam,
Sacchari purissimi uncias decem.
MISCE.

VIS refrigerans, aperiens, diuretica.
USUS. Nitrum cum sale acetosellæ & saccharo majorem refrigerandi activitatem acquirit, atque ingratum simul saporem amittit.

PULVIS THEBAICUS.

Rec. Opii scrupulum unum,
Nitri purificati scrup. quinque cum dimidio,
Sacchari purissimi, unciam unam.
MISCE ut fiat pulvis.

VIS Narcotica.
USUS. Facultas nitri refrigerans, incommoda ab opio sæpe provenientia avertit; hinc pulvis thebaicus, utillimam sedativam qualitatem possidet.
DOSIS facile determinatur, nam singula pulveris drachma continet opii granum unum.

## PULVIS E SPONGIA.

Rec. Spongiæ uſtæ & pulver.
Sal. communis, singulorum; drachmas tres.

MISCE & divide in partes duodecim æquales.
VIS resolvens.
USUS. In tumoribus scrophulosis & præsertim in bronchocele magnopere laudatur.
DOSIS. Scrupulum unum quotidie, una cum melle.

# TROCHISCI & TABELLÆ.

## SACCHARUM ROSACEUM.

Rec. Rosarum rubrarum immaturarum, demptis unguibus, celeriter arefactarum unciam unam,
Sacchari purissimi libram unam.

ROSAS & saccharum in pulverem separatim redige; deinde misce & aqua humecta, & fiant tabellæ leni calore exsiccandæ.

VIS leniter adstringens & antiseptica.

USUS. In tussi phthisicorum non mediocrem utilitatem affert.

## TROCHISCI MENTHÆ PIPERITIDIS.

Rec. Sacchari albissimi uncias quatuor,
Olei distillati menthæ piperitidis guttas viginti.

MISCE & cum mucilagine gummi Tragacanthæ fiant Trochisci.

USUS. Refrigerandi atque exhilarandi vim habent.

## TROCHISCI BECHICI cum OPIO.

Rec. Opii puri drachmas duas,
Balsami peruviani drachmam unam,
Tincturæ Tolutanæ drachmas tres.

MISCE opium cum balsamo, & mediante trituratione dissolve, dein per gradus adde

Syrupi communis uncias octo,
Extracti Glycyrrhizæ, aqua calida prius emolliti, uncias quinque.

DUM triturantur, mixturæ gradatim insperge pulveris gummi arabici uncias quinque. Exsiccatione deinde trochiscos granorum quinque efforma.

VIS anodyna, bechica.

USUS. In tussi convulsiva & sicca, & magna faucium irritatione. Balsamum peruvianum in compositione omitti poteſt, quia ingratum saporem integræ præparationi conciliat.

DOSIS. Sex trochisci continent opii fere granum unum.

OBS. Trochiscos bechicos albos & nigros omittendos censui, nam in præsenti formula opium certam utilemque actionem gignit.

### TROCHISCI E NITRO.

Rec. Nitri purificati uncias quatuor,
Sacchari purissimi libram unam,
Pulveris Tragacanthæ uncias sex.

MISCE & cum sufficienti aquæ quantitate fiant Trochisci.

USUS. In omnibus casibus in quibus nitrum exhibere oportet trochisci commode usurpantur. Cum diluentibus tamen conjungendi, ne nauseam aut vomitum afferant. Laudantur præsertim in difficili deglutitione.

## TROCHISCI E MINIO.

Rec. Minii unciam dimidiam,
Mercurii sublimati corrosivi unciam unam,
Micæ panis optimi uncias quatuor.

MISCE & cum aqua rosarum fiant trochisci oblongi.
USUS. Externe usurpantur ob insignem vim eschaaroticam, verum caute admodum adhibendi. Trochisci e minio bubonibus venereis apertis a chirurgis Neapolitanis applicantur, pro glandularum inguinalium extirpatione; sæpe vero post hanc applicationem Tetanus excitatur.

# PILULÆ.

Huic formæ recte aptari possunt substantiæ illæ, quæ parva dosi operantur, & quæ ob ingratum odorem, & saporem nauseosum a palato separari debent.

Pilulæ admodum difficulter in stomacho dissolvuntur, atque magis successivos & persistentes effectus gignunt, quam reliquæ medicamentorum internorum formæ. Hoc in nonnullis casibus magni usus est; in aliis contra pro dubia potius qualitate haberi debet; immo aliquoties periculosos affert effectus; præcipue dum de emeticis agitur; quia si stomachum indissoluti prætergrediuntur ac deinde propriam actionem in intestinis exercent, uti vehementissima cathartica operantur. Ideo cathartica apud nos raro forma pilulari usurpantur; & ideo resinosis & difficulter solubilibus substantiis, saponaceæ adiungi debent, ad promovendam solutionem.

Gummi-resinæ, & succi inspissati, sæpenumero satis molles sunt, ut possint nulla additione in pilulas formari; ubi vero humectatio aliqua requiritur, spiritus vini opportunior est, quam syrupus vel conserva, nam cum resinis promptius combinatur, neque illarum molem magis adauget. Leves siccique pulveres syrupum vel mucilagines postulant; atque ponderosiores, quemadmodum mercuriales, aliæque præparationes metallicæ requirunt mel, conservas aut extracta.

Pulveres leves dimidium proprii ponderis de syrupo postulant; mellis tres quartas ponderis partes, ut ad debitam perducantur consistentiam pro formatione pilularum. Semidrachma integræ massæ, sex vel septem pilulæ moderatæ magnitudinis componuntur.

Re-

*Regulæ generales pro formatione Pilularum.*

I.

Gummi & succi inspissati antea cum præscripto liquido humectari debent: dein adde pulveres, & omnia simul tere usque ad perfectam mixtionem.

II.

Massæ pilulares melius in vesicis servantur, quæ per vices simili aliquo liquido, cum quo massa parata fuit humectari debent, vel cum alio convenienti oleo aromatico.

PILULÆ ÆTHIOPICÆ.

Rec. Hydrargyri drachmas sex,
Mellis semunciam,
Sulphuris aurati antimonii,
Gummi guajaci contriti, utriusque semunciam.

TERITO hydrargyrum cum melle in mortario vitreo, donec globuli mercuriales non amplius appareant, dein adde sulphur antimonii & guajacum, & mucilagine gummi arabici fiat massa pilulis formandis idonea.

VIS alterans, attenuans, diaphoretica, antivenerea.

USUS. Cum pilulis Plummeri mox describendis valde conveniunt, præferendæ tamen sunt æthiopicæ, quia alvum minus subducunt. Alterantes sunt, & utiliter administrantur in morbis cutaneis & ve-

nereis. Quarta propositæ quantitatis pars, efformari potest in pilulas sexaginta.

DOSIS ab una ad quatuor pilulas mane & vespere. Integro curationis tempore æger loco moderate calido detinendus est.

OBS. Quamvis in morbis venereis admodum raro ad mercurialia interna deveniendum sit, tamen pilulæ æthiopicæ aut Plummerianæ commode adhibentur si morbus ultra modum confirmatus & diuturnus, organicas quoque congestiones efformavit. Rursum in pertinacissimis affectibus a lactis retropulsione pendentibus nil certe utilius remediis a mercurio & antimonio compositis.

## PILULÆ ALOETICÆ.

Rec. Aloes socotorinæ tritæ,
Extracti gentianæ, utriusque uncias duas,
Salis polychresti triti semunciam.

MISCE & syrupo simplici fiat massa.

VIS laxativa, stomachica, calefaciens.

USUS. Ad alvum mediocriter laxandam, præsertim in alvi stypticitate a vita sedentaria pendente. In ictero etiam, atque in mensium obstructione.

DOSIS a scrupulo ad semidrachmam, pro re nata.

PILULÆ EX COLOCYNTHIDE cum ALOE

vulgo PILULÆ COCCIÆ.

Rec. Aloes socotorinæ,
Scammonii, singulorum, uncias duas,
Medullæ colocynthidis, unciam unam,
Olei caryophyllorum aromaticorum drachmas duas.

SPECIES aridæ separatim in pulverem redigantur, oleum immisceatur, & syrupo de spina cervina fiat massa.

VIS cathartica insignis.

USUS. Si frustra pilulæ aloeticæ exhibitæ fuerunt, pauca tantum, nempe quinque aut decem grana hujus massæ alvum ducunt. Doses vero largiores etiam exhiberi possunt.

PILULÆ PLUMMERI.

Rec. Sulphuris antimonii præcipitati,
Mercurii dulcis, sive calomelani, singulorum, drachmam dimidiam,
Saponis albi Hispanici,
Extracti gentianæ, singulorum, drachmas duas.

MERCURIUM cum sulphure antimonii in pulverem tenuissimum redige, deinde adde extractum ut fiant Pilulæ.

VIS alterans, resolvens, diaphoretica, antivenerea.

USUS. Vide quæ de pilulis æthiopicis superius adnotavimus. Activitas certe medicamenti potius a sulphure antimonii, quam a mercurio pendet.

DOSIS a granis quatuor ad sex, cum largioribus decocti alicujus antivenerei dosibus.

PILULÆ THEBAICÆ vulgo PACIFICÆ.

Rec. Opii semunciam,
Extracti glycyrrhizæ uncias duas,
Saponis Hispani sesunciam,
Piperis Jamaicensis unciam unam.

OPIUM & extractum seorsim aqua mollita, & in pulpam contusa, misce; dein adde saponem, & piper in pulverem tritum, & bene subacta cogantur in massam.

VIS opiata, sedativa.

USUS. Usurpari possunt loco aliarum præparationum opii, quia saponaceam quoque actionem exercent.

DOSIS a granis quinque ad decem, repetito, nam grana decem hujus compositionis continent opii granum unum.

PILULÆ E STYRACE.

Rec. Styracis calamitæ colati uncias duas,
Croci unciam unam,
Opii colati drachmas quinque.

CONTUNDE simul diligenter, donec mixtura perfecta sit.

VIS anodyna, pectoralis.

USUS. In doloribus, tussi, rheumatismo. Opium præsertim in hac compositione operatur, & ob hanc rationem omnes hujus generis præparationes magni faciendæ sunt.

DOSIS est a granis quinque ad duodecim. Grana de-

decem & septem hujus massæ continent opii granum unum.

PILULÆ E MERCURIO CORROSIVO ALBO.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi,
Florum salis ammoniaci, singulorum, scrupulum unum,
Aquæ distillatæ quantum sufficit pro solutione;
Pulveris radicis althææ scrupulos sexdecim,
Mellis drachmas duas.

MISCE in massam ex qua formentur pilulæ, quarum singulæ pondus trium granorum habeant.

VIS alterans, antivenerea, anthelmintica.

USUS. Qui ob præjudicatam opinionem ab usu externo, tutissimo utillimoque sublimati corrosivi, tanquam a lethali veneno abstinent, & tamen eodem pharmaco interne semper utuntur, atque sublimatum in spiritu vini dissolvunt, hac præparatione uti potius debent; & ideo nos ægrotantium amore ducti formulam apposuimus. Non in lue venerea tantum, sed in cutaneis etiam affectibus, maximeque in vermibus intestinorum proficuum est hoc remedio uti.

DOSIS. Singulæ pilulæ octavam circiter grani partem e sublimato corrosivo continent, hinc doses facile possunt determinari.

## PILULÆ PICEÆ.

Rec. Picis liquidæ drachmas duas,
Radicis enulæ campanæ q. s. MISCE.
E singulis drachmis fiant pilulæ duodecim.

VIS resolvens, exsiccans, diuretica.

USUS. In scorbuto, tussi, catharro suppurato, morbisque renum & vesicæ; præsertim vero in suppurationibus glandularum abdominalium. Pulvis enulæ campanæ non solum consistentiam pici conciliat, sed particulas resinosas in fluidis animalibus magis solubiles reddit.

DOSIS semidrachma in pilulas mediocris magnitudinis redacta, usurpanda mane & vespere.

## PILULÆ SCILLITICÆ.

Rec. Radicum scillarum exsiccatarum,
—— Zingiberis,
Saponis duri, singulorum, scrupulos duos,
Syrupi q. s. MISCE fiant pilulæ viginti.

VIS stimulas, excitans, aperiens, diuretica.

USUS. In morbis pectoris a colluvie serosa; uti reliquæ præparationes ex scilla, pilulæ commode usurpantur, juxta methodum a *D. Home* propositam; de qua alibi scripsimus.

DOSIS a granis quinque ad decem.

Immensam pilularum varietatem lubenter prætermisimus, nam tot tantæque inter se similes præparationes, præsertim illæ, quæ ad carthartica pertinent vehementiora, uti pilulæ de cambogia de extracto catholico, succino cratonis &c. peculiariter noxiæ

xiæ sunt. Rursum nil adeo absurdum quam pilulæ capitales, illæ scilicet quæ conſtanter adminiſtrantur in gravissima apoplexia, vehementiorique epilepsia. Nam etsi aliquando morbus a ſtomachi vitio ortum ducat, nunquam acutissimo ſtimulo alvus sollicitanda eſt.

# ELECTUARIA.

ELECTUARIA componuntur pulveribus præsertim cum syrupo mixtis, ad talem consistentiam, ut pulveres nequeant tractu temporis separari, atque ut dosis facile cum cultri apice assumi possit, neque difficulter ingurgitetur.

Electuaria efformantur maxime mitioribus alterantibus medicamentis, & palato minime ingratis. Efficaciora pharmaca, quemadmodum sunt emetica, cathartica, opiata & similia (exceptis tantum electuariis officinalibus, quæ pondere præscribi possunt) raro hac forma commendantur, ob dosis incertitudinem. Ingrata vero, acria, amara, fœtida commode electuarii forma adhiberi possunt; neque electuarii forma magis convenit ponderosioribus substantiis, uti mercurialibus, siquidem si asservantur, facile subsident, nisi compositio durior fiat.

Pulveres leviores ad triplum proprii ponderis, mellis vel syrupi ad mellis consistentiam cocti postulant, ut ad electuarii consistentiam redigantur; syrupi communis consistentiæ sufficit duplum ponderis ipsius pulveris.

Ubi syrupi communes usurpantur, conservæ quoque parvam quantitatem adiicere oportet, ne compositio celeriter exsiccetur. Ex. gr. electuaria corticis Peruviani, cum syrupo tantum parata, sæpe spatio unius vel duorum dierum adeo exsiccatur, ut deglutiri non possit.

Pulveres nonnulli præcipue minus grati, melius parantur mucilagine, quam syrupo, melle, aut conserva. Posteriores tres ori & faucibus adhærent, atque ita medicamenti saporem per longum tempus persistentem reddunt, dum mucilagines facile progre-

grediuntur, neque ullum in ore saporem relinquunt. Parva quantitas extracti mollis glycyrrhizæ, cum mucilagine conjuncta, compositionem satis gratam reddit, vitato magis dulcium substantiarum incommodo.

Quantitas electuarii, singulis vicibus sumenda in extemporanea præscriptione multum variat; juxta partes suas constituentes; verum raro minor magnitudine nucis moschatæ est, vel major duarum vel trium unciarum.

*Regulæ generales pro præparatione electuariorum.*

I.

Rugulæ generales pro pulverum & decoctionum praparatione constitutæ, observari debent in præparatione pulverum & decoctionum, quæ in electuariorum compositione abhiberi debent.

II.

Gummi, succi inspissati, similesque aliæ substantiæ, quæ pulverisabiles non sunt, in liquore præscripto dissolvi debent, dein pulveres addendi, & constanter agitandi ut mixtura fiat uniformis.

III.

Electuaria adstringentia & illa, quæ pulpas fructuum in compositione habent, ad parvam quantitatem parari deberent. Nam remedia adstringentia in hanc formam redacta & diutius servata, multum propriæ activitatis amittunt, atque pulpæ fructuum facile acescentiam nanciscuntur.

IV.

Superflua pulparum humiditas lento igne evaporari debet; priusquam reliqua ingredientia adiiciuntur.

V.

Si electuaria, per longum tempus servata, sicca evadunt, in debitam consistentiam denuo reduci debent addendo non mel aut syrupum, sed paululum vini Canariensis: hac ratione dosis minus incerta erit; quod quidem peculiari animadversione indiget, in illis præsertim, quæ componuntur syrupo, & opii certam quantitatem continent.

ELECTUARIUM ABSINTHII.

Rec. Conservæ summitatum absinthii maritimi unciam unam,
Canellæ albæ pulveratæ unciam dimidiam,
Syrupi simplicis quantum sufficit. MISCE.

VIS amara, stomachica, tonica,
USUS. In stomachi languore, digestionis imbecillitate, & hepatis obstructione.
DOSIS a scrupulo ad drachmam quotidie, ante prandium.

ELECTUARIUM E CASSIA.

Rec. Syrupi rosarum solutivi,
Pulpæ Cassiæ recens extractæ, singulorum, libram dimidiam,
Mannæ uncias duas,
Pulpæ Tamarindorum unciam unam.

MANNAM in mortario tere, lenique calore solve in syrupo; deinde adde pulpas, & continuato calore ad idoneam spissitudinem redige.

VIS leniter cathartica, refrigerans.

USUS. In diuturno alvi silentio.

DOSIS drachmarum duarum, vel trium.

## ELECTUARIUM LENITIVUM.

Rec. Caricarum libram unam,
Foliorum sennæ uncias octo,
Pulpæ Tamarindorum,
---- Cassiæ,
---- Prunorum Gallicorum, singulorum, libram dimidiam,
Seminum Coriandri uncias quatuor,
Glycyrrhizæ uncias tres,
Sacchari purissimi libras duas cum dimidia.

SENNAM cum seminibus coriandri in pulverem redige, & per cribrum separa uncias decem, residuum cum caricis & glycyrrhiza in quatuor librarum aquæ mensura coque ad dimidium, deinde cola & exprime; liquor expressus vaporet ad sesquilibræ pondus, vel paulo minus, postea adde saccharum, ut fiat syrupus; hunc syrupum adde gradatim pulpis; & postremo immisce pulverem cribro prius separatum.

VIS leniter solutiva sive eccoprotica.

USUS. In habituali alvi silentio magnopere commendatur.

DOSIS drachmæ duæ quotidie.

ELECTUARIUM PHU

sive

*Valerianæ sylvestris.*

Rec. Radicis Valerianæ sylvestris,
Corticis peruviani pulv. singulorum, unciam unam,
Conservæ florum rosarum rubrarum drachmas duas.
Syrupi e corticibus aurantiorum quantum sufficit. MISCE.

VIS aromatica, nervina, sedativa.
USUS. Valde celebratur in epilepsia & passione hysterica.
DOSIS a drachma una ad duas.

ELECTUARIUM SINAPINUM.

Rec. Seminum sinapeos integrorum,
Conservæ summitatum absinthii maritimi, singulorum, drachmas sex,
Syrupi e corticibus aurantiorum q. s. MISCE.

VIS aperiens, diuretica, attenuans.
USUS. In scorbuto, cachexia, hydrope, asthmate.
DOSIS cochlearia aliquot quotidie, pro re nata.

ELECTUARIUM IMPERIALE.

Rec. Prunorum damascenorum uncias sedecim,

COQUE in aquæ communis sufficienti quantitate & cola, colaturæ addæ,

Sacchari rubri libras duas cum semisse;

ITERUM coque ad mellis spissitudinem, & adde,

Pulpæ prunorum supradictæ, per setaceum trajectæ,
Pulpæ cassiæ,
Mannæ crassæ, altera portione supradicti decocti solutæ, singulorum, uncias quatuor;

DENUO coque ad electuarii spissitudinem, ac dum refrigeratur adde,

Fo-

Foliorum sennæ,
Tartari albi,
Hermodactylorum, singulorum, uncias duas,
Zingiberis,
Anisorum,
Cinnamomi,
Galangæ, singulorum, drachmas duas.

VIS valde cathartica, sæpe insigniter calefaciens.

USUS. Commune est vulgarium medicorum catharticum remedium, quo pauperes magis utuntur, atque ob hanc rationem tantummodo adeo complicatam formulam apposuimus.

DOSIS a drachmis quatuor ad unciam unam.

OBS. Sunt qui vim catharticam medicamenti adaugent addendo integræ præparationi scammonii uncias duas.

## ELECTUARIUM JOVIALE.

Rec. Stanni depurati,
Argenti vivi, singulorum, unciam unam,
Formentur in amalgama;
Teſtarum oſtrearum præparatarum unciam unam,
Omnia in pulverem redigantur, dein
Rec. hujus pulveris,
Conservæ absinthii, singulorum, unciam unam,

Et cum sufficienti quantitate syrupi menthæ fiat electuarium.

VIS ſtanni anthelmintica celebratissima, præsertim dum ſtannum cum mercurio copulatur.

USUS adversus tæniam, aliosque vermes inteſtinales.

DOSIS duarum vel trium drachmarum bis quotidie.

## ELECTUARIUM GINGIVALE.

Rec. Myrrhæ pulveratæ, drachmas tres,
Cremoris tartari,
Coccinellæ drachmam unam cum dimidia.

Triturentur simul in mortario marmoreo, dein adde
Mellis despumati & liquefacti uncias quatuor,
Caryophyllorum aromaticorum pulveratorum, drachmam unam. F. Electuarium.

VIS detergens, corroborans in scorbuto gingivarum.

USUS. Myrrha præsertim forma tincturæ utillime spongiosis gingivis a longo jam tempore applicabatur. Verum menstrui spirituosi activitas, quamvis aliquando opportuna, noxia in multis casibus redditur. Hinc tutius forma electuarii Myrrha gingivis confricatur. *Ex Pharm. Edinb.*

ELECTUARIUM TEREBINTHINATUM.

Rec. Spiritus terebinthinæ semunciam,
Mellis unciam unam,

Pulveris glycyrrhizæ quantum sufficit, ut fiat electuarium.

Vis diuretica, resolvens, discutiens.

Usus. Oleum terebinthinæ cum minori molestia, hac forma potius quam quacumque alia administratur. Varios habere potest usus, magis vero vim diureticam possidet. Peculiariter vero celebratur in curatione rheumatismi, & magis in illa rheumatismi modificatione, quæ appellatur *ischias*, & quæ in multis casibus pertinaciter omnes alias curationis methodos respuit. *Phar. Edinb.*

CON-

# CONFECTIONES.

## MITHRIDATIUM

sive

## CONFECTIO DAMOCRATIS.

Rec. Cinnamomi drachmas quatuordecim,
Myrrhæ drachmas undecim,
Agarici,
Nardi indicæ,
Zingiberis,
Croci,
Seminum thlaspis,
Thuris,
Terebinthinæ chiæ, singulorum, drachmas decem,
Junci odorati,
Costi, vel ejus loco Zedoariæ,
Malabathri folii, vel ejus loco macis,
Stœchadis,
Piperis longi,
Seminum seselis,
Succi hypocistidis,
Styracis calamitæ colati,
Opobalsami, vel ejus loco olei nucis moschatæ expressi,
Castorei russici, singulorum, unciam unam,
Scordii,
Carpobalsami, vel ejus loco cubebarum,
Piperis albi,
Seminum dauci cretici,
Rosarum rubrarum,

Sc-

Seminum petroselini macedonici,
Cardamomi minoris decorticatorum,
Fœniculi dulcis,
Gummi arabici,
Opii colati, singulorum, drachmas quinque,
Radicis calami aromatici,
Valerianæ sylvestris,
Seminum anisi,
Sagapeni colati, singulorum, drachmas tres,
Mei athamantici,
Hyperici,
Acaciæ, vel ejus loco terræ japonicæ, singulorum, drachmas duas cum dimidia,
Mellis despumati triplum omnium pondus.

MELLI calefacto opium vino solutum immisce; galbanum, styrax, terebinthina, & opobalsamum, vel oleum nucis moschatæ, in alio vase simul liquentur; perpetuo circumacta ne urantur; quibus liquefactis immisce mel calefactum, primo cochleatim, deinde copiosius, denique omnibus fere frigefactis adde paulatim species ceteras in pulverem redactas.

THERIACA ANDROMACHI.

Rec. Trochiscorum de scilla, libram dimidiam,
Piperis longi,
Opii colati,
Viperarum siccatarum, singulorum, uncias tres,
Cinnamomi,
Opobalsami vel ejus loco olei nucis moschatæ expressi, singulorum, uncias duas,
Agarici,
Radicis iridis,
Scordii,
Rosarum rubrarum,
Seminum napi,
Extracti glycyrrhizæ, singulorum, sescunciam,
Nardi indicæ,
Croci,
Amomi,
Myrrhæ,
Costi, vel ejus loco zedoariæ,
Junci odorati, singulorum, unciam unam,
Radicis pentaphylli,
Rhabarbari,
Zingiberis,
Malabathri folii, vel ejus loco macis,
Foliorum Dictamni cretici,
Marrubii,
Calaminthæ,
Stœchadis,
Piperis nigri,
Seminum petroselini macedonici,
Olibani,
Terebinthinæ chiæ,
Radicis valerianæ sylvestris, singulorum drachmas sex,

Ra-

Radicis gentianæ,
Nardi celticæ,
Mei athamantici,
Foliorum polii,
Hyperici.
Chamæpityos,
Summitatum chamaedryos cum semine,
Carpobalsami, vel ejus loco cubebarum,
Seminum anisi,
Fœniculi dulcis,
Cardamomi minoris, decorticatorum,
Seminum ammeos,
seselis,
thlaspis,
Succi hypociſtidis,
Acaciæ, vel ejus loco terræ japonicæ,
Gummi arabici,
Styracis calamitæ colati,
Sagapeni colati,
Terræ lemniæ, vel ejus loco boli Armeniæ, aut Gallicæ,
Vitrioli viridis calcinati, singulorum, unciam dimidiam,
Radicis ariſtolochiæ tenuis, vel ejus loco longæ,
Summitatum centaurii minoris,
Seminum dauci cretici,
Opoponacis,
Galbani colati,
Caſtorei russici,
Bituminis judaici, vel ejus loco succini albi præparati.
Radicis calami aromatici, singulorum drachmas duas,
Mellis despumati triplum omnium pondus.

MIXTURA eodem modo perfici debet, ac in Mithridatio præscriptum est.

VIS aromatica, corroborans, stomachica, anthelmintica.

USUS. Mithridaticum & theriaca summam inter se analogiam habent, atque a recensioribus practicis inter obsoletas compositiones collocantur; in codice tamen pharmaceutico, minime omittendæ sunt vulgares atque ab omnibus receptæ præparationes, quæ quamvis revera superflua ingredientium farragine componantur, attamen præstantissimas etiam continent substantias, uti opium & calefacientia omnia. Hac etiam forma, rustici vulgaresque homines tutius narcoticis valde suspectis utuntur. Theriaca a veteribus medicis inter celeberrima præsidia adversus venena animalia, vegetabilia & mineralia recensebatur. Et profecto Mithridatium & Theriaca in doloribus, vermibus intestinorum, venenis, febribus, passione hysterica, multisque aliis morbis propinantur; præcipua actio ab opiatis pendet.

DOSIS a scrupulo uno, ad drachmas duas.

OBS. Edinburgenses medici efficacissimam, simulque contractiorem Theriacæ formulam concinnarunt nomine Theriacæ Edinensis; at Londinenses omissa omnino Theriacæ compositione, ejus loco utuntur, *Electuario Thebaico*.

## THERIACA EDINENSIS.

Rec. Radicis serpentariæ virginianæ, uncias decem,
Resinæ guajaci, uncias quatuor,
Seminum cardamomi minoris decorticatorum uncias duas,
Myrrhæ,
Croci,
Opii colati, singulorum, unciam unam,
Rob baccarum sambuci triplum omnium pondus,
Vini albi quantum satis ad solvendum opium.

FIAT electuarium.

## OLEA per INFUSIONEM & DECOCTIONEM.

### OLEUM HYPERICI.

Rec. Florum hyperici in petala bene expansorum, recentium, & a calycibus diligenter separatorum, uncias quatuor,
Olei olivarum libras duas.

OLEUM floribus affunde, & ftent simul, donec oleum bene tingatur.

USUS. Ob vim anodynam, dulcem & emollientem externe adhibetur ad vulneratarum partium irritationem tollendam.

### OLEUM SEMINUM RICINI, DEMTO PRIUS CORTICE.

PARATUR eadem ratione ac oleum amygdalarum dulcium; nam semina ante expressionem decorticantur: cortex enim acerrima scatet mucilagine, quæ vomitum, dysenteriam & spasmos inducit.

VIS leniter cathartica, anthelmintica.

USUS. In doloribus colicis ac nephiticis vehementissimis, præsertim in colica saturnina, in qua specificam actionem exercet. In gravioribus nephriticis doloribus alvum laxando utiliter operatur. Guttæ aliquot cum saccharo mixtæ infantibus semper propinandæ pro meconii evacuatione. In febribus acutis si poft primum septenarium evacuationes inteftinales procurandæ, nil hoc oleo tutius.

DOSIS. A semuncia ad uncias duas, per intervalla, & pro re nata sæpius usurpari potest.

OBS. Ubi primum apud nos Oleum Ricini, sive oleum palmæ christi adhiberi cæpit, tanquam venenum a practicis designari solebat; nonnulli enim hanc plantam Ricinum majorem, majorem nempe euphorbiam esse existimarunt.

OLEUM e mucilaginibus, oleum sambucinum, e cacao & innumera alia usibus externis dicata libenter prætermittimus, quia magis ab empiricis quam a medicis adhibentur & potius noxia quam revera utilia sunt.

## GARGARISMATA & HAUSTUS

### GARGARISMA COMMUNE.

Rec. Aquæ hordeatæ uncias quindecim ;
Mellis rosacei unciam unam. MISCE.

USUS. In oris, faucium, ac tonsillarum inflammatione, & aphthis; atque in ulceribus quoque venereis.

### GARGARISMA DETERGENS

*pro angina maligna.*

Rec. Gargarismatis communis uncias quindecim,
Spiritus salis marini dulcis drachmas duas, MISCE.

USUS. In angina maligna sive *ulcerosa*, in qua fauces eschara nigra occupantur, nil utilius quam hoc gargarismate sæpe affectas partes fovere, adhibitis tamen eodem tempore antisepticis & tonicis internis.

### HAUSTUS EMETICUS SCILLITICUS.

Rec. Vini ipecacuanhæ,
Oxymellis scillitici, singulorum, unciam dimidiam.

VIS ſtimulans, resolvens, diuretica.

USUS. In aſthmate ad expectorationem procurandam; atque in colluvie serosa.

DOSIS cochlearia aliquot per intervalla exhibentur spatio 24 horarum.

## HAUSTUS PURGANS.

Rec. Infusi sennæ uncias duas cum dimidia,
Salis cathartici amari unciam dimidiam,
Tincturæ jalappæ drachmam unam. MISCE.

OBS. Reliquas hujus ordinis formulas supervacaneum eſt apponere; possunt enim extempore variaque ratione a medicis componi; neque peculiari pharmaceutica intelligentia indigent.

# ENEMATA

## ENEMA EX AMYLO.

Rec. Gelatinæ ex Amylo uncias sex,
Extracti ligni campechensis drachmas duas.
MISCE.

## ENEMA ANODYNUM.

Rec. Enematis ex amylo quantitatem præscriptam,
Tincturæ thebaicæ drachmam unam. MISCE.

USUS. In alvi fluxu & dysenteria, horis præsertim vespertinis. Utillimum etiam est enemata anodyna frequentius usurpare in vomitu pertinaci.

## ENEMA OLEOSUM.

Rec. Infusi althææ uncias decem,
Olei olivarum uncias duas,
Sacchari rubri unciam dimidiam. MISCE.

USUS. In doloribus intestinorum, febribus, pertinaci alvi silentio, præsertim in puerperis.

### ENEMA PURGANS.

Rec. Infusi althææ uncias decem,
Olei seminum Ricini unciam unam. MISCE.

USUS. In dolore colico, nephritico, atque magis in passione iliaca.

# AQUÆ MEDICATÆ

## AQUA STYPTICA.

Rec. Vitrioli cærulei,
Aluminis, singulorum, uncias tres,
Acidi vitriolici unciam unam cum dimidia.

SALES in aqua coque ut solvantur, dein liquori per chartam colato adde acidum.

VIS adſtringens, tonica, detergens.

USUS externus tantum in hæmorrhagia nasali, efflorescentiis cutaneis, & fluxu gonorrhoico, sed caute; adſtringentia enim in hisce casibus semper suspecta sunt.

OBS. Hæc compositio valde similis eſt *aquæ aluminis compositæ*, sive *aluminosæ Bateanæ*.

## AQUA SAPHIRINA.

Rec. Aquæ calcis recentis uncias octo,
Salis Ammoniaci scrupulos duos,
Æruginis tritæ grana quatuor.

MISCE & poſt horas viginti quatuor cola.

VIS adſtergens, exsiccans.

USUS. In diuturnis ulceribus, & maculis oculorum. Ærugo minimi momenti efficaciam communicat huic compositioni.

## AQUA LITHARGYRI ACETATA.

Rec. Lithargyri libras duas cum dimidia,
Aceti diſtillati libras octo.

MISCE & conſtanter agitando coque ad libras sex. Dein cola poſtquam fæces subsederint.

VIS exsiccans, detergens, externe tantum.

USUS. Activitate cum aqua vegetabili minerali, & cum extracto Saturni D. Goulard omnino convenit. Adhibetur adversus ulcera, inflammationes externas, contusiones &c.

## AQUA VITRIOLICA.

Rec. Vitrioli albi purificati grana sedecim,
Aquæ uncias octo,
Acidi vitriolici tenuis guttas sedecim.

SOLVATUR vitriolum in aqua; dein addito acido, per chartam cola.

VIS ophthalmica, detergens.

USUS. In leviori ophthalmia cum lymphæ affluxu conjuncta, solutio hæc vitrioli albi utiliter applicatur. Si vero inflammatio vehementior eſt, venæ sectio & cathartica sunt præmittenda.

### AQUA SATURNI

sive

### VEGETABILIS-MINERALIS D. GOULARD.

Rec. Essentiæ saturni drachmas duas,
Aquæ libras duas,
Spiritus vinosi tenuioris unciam dimidiam. MISCE.

USUS. Celebratissima hæc aqua *vegeto-mineralis* D. Goulard adhibetur in inflammationibus externis, erysipelate, ulceribus. Aliquando etiam cum lacte & mica panis optimum constituit cataplasma.

# EMPLASTRA.

## CANDELA MEDICATA.

Rec. Emplastri e minio libram unam,
Ceræ flavæ uncias sex,
Camphoræ drachmas duas. MISCE.

CUM Emplastro & panno linteo formentur, secundum artem candelæ medicatæ, quibus obstructiones urethræ, præsertim post morbos venereos superstites debellantur. Omnes vero candelæ medicatæ potius mechanice, quam pharmaceutice operantur.

## CATAPLASMA EMOLLIENS.

Rec. Micæ panis albæ quantum libet,
Lactis vaccini, vel caprilli quantum satis,
COQUE leviter & adde olei olivarum q. s.
USUS. Imponitur partibus duris, tumentibus & inflammatis, atque vel resolutionem morbi vel tumoris suppurationem affert.

## CAUSTICUM.

Rec. Calcis vivæ libram dimidiam,
Affunde gradatim,
Lixivii tartari libram unam.

COQUE & evapora, donec exsiccata massa duritiem acquisiverit.

USUS

USUS. Præparatio a praxi medica prorsus ableganda; nam a simplici externa causticorum applicatione, sæpissime tetanus gignitur.

### CERATUM SATURNI.

Rec. Ceræ flavæ uncias quatuor,
Olei olivarum uncias novem,
Essentiæ saturni uncias duas cum dimidia,
Camphoræ drachmam dimidiam.

LIQUEFIAT cera cum oleo, & simul ac mixtura lentescere incipit, affunde gradatim essentiam saturni, & bene move, donec ceratum penitus refrixerit; deinde adde camphoram cum oleo tritam.

USUS. Huc referuntur pelles divinæ D. Goulard. Magna hujus medicamenti activitas est in anchylosi imperfecta, rheumatismo, dolore ischiadico, motus imbecillitate post luxationes &c.

### EMPLASTRUM DISCUTIENS.

Rec. Gummi ammoniaci aceto scillitico soluti, & iterum inspissati ad consistentiam emplastri quantum libuerit.

VIS stimulans, discutiens, resolvens, diaphoretica.

USUS. Adversus congestiones lymphaticas articulorum, a causa præsertim venerea provenientes, optimum est præsidium. Emplastro pars affecta tegitur, applicatione quotidie renovata, pro emplastri ipsius mutatione.

## EMPLASTRUM EX AMMONIACO CUM MERCURIO.

Rec. Gummi ammoniaci colati libram unam,
Argenti vivi uncias tres,
Balsami sulphuris simplicis drachmam unam.

ARGENTUM vivum cum balsamo sulphuris tere, donec omnino apparere desinat; deinde adde paulatim ammoniacum liquefactum, paulo antequam refrixerit, & accurate misceantur.

USUS. Si aliquando externa mercurialis emplastri applicatio adversus duros tumores a causa venerea ortos utilis existimatur, descriptum emplastrum adhiberi poterit loco emplastri *de Ranis*, quo chirurgi nostrates abutuntur.

## EMPLASTRUM COMMUNE.

Rec. Olei olivarum congium unum,
Lithargyri subtilissime triti libras quinque.

COQUE leni igne cum aquæ mensura librarum circiter duarum, perpetuo movens, donec oleum cum lithargyro coeat, & simul emplastri crassitudinem habeant. Oportebit autem aquam recentem, sed prius calefactam addere, si quæ in principio adhibita fuerit, ante finem coctionis absumatur.

USUS. In ulceribus & excoriatione cutis, mollitiem partis servat, aerem arcet, atque exsiccat.

EM-

## EMPLASTRUM COMMUNE

### adhæsivum.

Rec. Emplaſtri communis libras tres,
Resinæ flavæ libram dimidiam.

EMPLASTRO communi leniſſimo igne liquato, resinam in pulverem redactam, ut cito liquescat, injice, & probe misce.

USUS. Ad continenda vesicatoria pectori, vel dorso applicata, atque ad apparatus ſimul chirurgicos continendos.

### ALITER.

OLEO & lithargyro ſimul coctis addatur resina, paulo antequam emplaſtri craſſitudinem acquirant; deinde continuetur coctio, donec emplaſtrum confectum eſt.

## EMPLASTRUM VESICATORIUM.

Rec. Emplaſtri attrahentis libras duas,
Cantharidum libram unam,
Aceti libram dimidiam.

EMPLASTRO liquato, paulo antequam indurescat, insperge, & immisce cantharides in pulverem subtilissimum redactas; deinde adde acetum & bene subige.

USUS. In morbis acutis, præsertim pleuritide, peripneumonia, hepatitide, aliisque tempeſtive applicari debent satis ampla vesicatoria partibus affectis.

OBS. Simplicissima hæc formula reliquis anteferenda, nam actio vesicatorii a cantharidibus tantum pendet.

## EMPLASTRUM ATTRAHENS.

Rec. Resinæ flavæ,
Ceræ flavæ, singulorum, libras tres,
Sevi ovilli curati libram unam.

LIQUESCANT simul, & dum massa fluida eſt, coletur.

### EMPLASTRUM E CONIO.

Rec. Ceræ flavæ, libram dimidiam,
Olei olivarum uncias quatuor,
Gummi ammoniaci unciam dimidiam,

LIQUEFACTIS simul, immiscе,
Pulveris foliorum *Conii maculati*, sive *Cicutæ* officinalis libram dimidiam.

OBS. Cum emplastro cicutæ cum ammoniaco magnam analogiam habet.

USUS. Celebratur adversus obstructiones viscerum naturalium, & applicatur tumoribus etiam externis valde duris. Sed frustra decantati effectus expectantur.

### EMPLASTRUM EX HYOSCYAMO.

PARATUR eadem ratione ac emplastrum de conio.

USUS. Ob perspectam satis qualitatem sedativam Hyoscyami, emplastrum utiliter applicari potest partibus dolentibus, & valde irritatis; fortasse etiam ejus pulvis juvat in scirrho. Etiam post experimenta Storckiana nullam facultatem antispasmodicam aut adversus hæmorrhagiam possidere videtur. *Home clin. obs.* 198.

### EMPLASTRUM PICEUM.

Rec. Terebinthinæ cypriæ uncias sex,
Picis navalis uncias septem,
Ceræ flavæ uncias quinque.

LIQUESCANT simul, & dein in emplastri formam redigantur.

USUS. Pix magis ob adhæsivam, quam ob calefacientem qualitatem proficua est in curatione tineæ capitis. Post nonnullorum dierum applicationem, dum removetur emplastrum, bulbos capillorum simul ducit. Caute tamen incedendum & non integra superficies affecta, sed parva tantum portio successive emplastro tegenda, ne periculosa (quod quidem aliquando accidit) inflammatio superveniat.

## EMPLASTRUM CAUSTICUM THAPSIÆ

*Petitorii Neapolitani.*

Rec. Radicis Thapsiæ,
Seminum & radicum pæoniæ, &
Rosarum rubrarum, singulorum, unciam unam,
Caryophyllorum,
Masticħes, singulorum, semilibram,
Olibani,
Cantharidum,
Myrrhæ electæ,
Nucis moschatæ, singulorum, uncias quinque,
Macis,
Laudani puri, utriusque, drachmas undecim,
Euphorbii drachmas sex,
Terebinthinæ Venetæ drachmas tres.

OMNIA per se terantur, postea misce, & lege artis fiat emplastrum.

USUS *Causticum est insigne, & sine dolore cutem mortificat, ut eschara exinde detrahi queat, & emuncto-*

*ctorium remaneat*. Pet. Neap. Complicatam admodum præparationem ideo adnotavimus, quia ab omnibus Neapolitanis medicis summis extollitur laudibus. Revera tamen vires a Cantharidibus omnino pendent.

NUMEROSISSIMA alia emplaſtra, quorum formulæ in libris pharmaceuticis reperiuntur ablegand a esse duximus, emplaſtra enim in genere vel inutilia vel damnosa sunt, quia subſtantiæ pingues & oleosæ quibus componuntur, non solum ob ranciditatem, quam facile nanciscuntur, sed etiam ob perspirationem partium affectarum, quam prohibent, noxiæ redduntur.

EM-

# EMBROCATIONES & INJECTIONES.

## FOTUS DISCUTIENS,

Rec. Fotus communis libras tres,
Aceti vinosi libram unam.

USUS. In articulorum immobilitate, ecchimosi, frigidisque tumoribus.

## FOTUS PAPAVERIS ANODYNUS.

Rec. Capitum papaverum alborum uncias duas,
Aquæ libras duas.

COQUE ad libram unam.
USUS in doloribus partium externarum, & in convulsionibus puerorum, in quibus hoc fotu pedes humectantur.

## FOTUS SPIRITUOSUS RESOLVENS.

Rec. Fotus communis libras duas,
Spiritus vinosi tenuioris libram dimidiam. MISCE.

## FOTUS VOLATILIS.

Rec. Fotus communis, quantum libuerit;

PANNO laneo parti affectæ imponendo, & fotu communi madefacto inspergatur certa quantitas spiri-

ritùs salis ammoniaci, vel spiritus salis marini, juxta necessitatem determinanda.

usus. In angina lymphatica externe utiliter applicatur.

FOTUS SINAPINUS.

Rec. Aquæ calidæ quantum satis erit pro pediluvio; huic adjiciatur seminum sinapeos in pulverem redactorum uncia una cum dimidia, & post levem ebullitionem adhibeatur.

usus. In paroxysmo asthmatico, atque in hydrothoracis initio utillimum est hac præparatione pedes fovere; rubefaciendi enim & derivandi activitatem habet.

CATAPLASMA SINAPEOS.

Rec. Seminum sinapeos pulveratorum,
Micæ panis, singulorum, libram dimidiam,
Aceti quantum sufficit, misce ut fiat cataplasma.

usus. Cataplasma sinapeos idem est ac sinapismi simplicior compositio, sapone scilicet, allio similibusque omissis. Sinapismata sæpe applicantur plantis pedum in morbis febrilibus cum soporoso aliquo affectu conjunctis.

INJECTIO ARABICA.

Rec. Aquæ hordeatæ bullientis uncias quatuor,
Mellis rosacei drachmas tres,
Gummi arabici drachmam unam. MISCE.

USUS. In gonorrhæa bis vel quater quotidie, superato prius ſtadio inflammatorio.

INJECTIO pro GONORRHÆA.

Rec. Lithargyri aurei pulverati unciam unam,
Mercurii sublimati corrosivi drachmam semis,
Aceti diſtillati uncias quinque.

DETINE in vase vitreò per horas duodecim, vase sæpe agitato; effundatur deinde liquor a subsidentia depuratus.

Rec. Liquoris præscripti unciam semis,
Aquæ calcis recentis uncias quatuor. MISCE.

HUJUS portio injiciatur urethræ bis quotidie, parvo siphone, in diuturna & habituali gonorrhæa, sive potius in ſtillicidio canalis urinarii a debilitate pendente.

UN-

# UNGUENTA & LINIMENTA.

## UNGUENTUM SIMPLEX.

Rec. Axungiæ porcinæ curatæ libras duas,
Aquæ rosarum uncias tres.

AXUNGIAM cum aqua rosarum contunde, donec bene miscueris; deinde lenissimo igne liquefac, & sepone aliquamdiu, ut aqua subsidat, poſtea effunde axungiam, aqua relicta, & movendo contundendoque sine requie dum frigeat, in levem & minime cohærentem massam redige; denique adde essentiæ limonum, quantum satis sit ad gratum odorem.

## UNGUENTUM EX ÆRUGINE.

Rec. Unguenti basilici partes quindecim,
Æruginis partem unam. MISCE.

USUS. Ad sordida ulcera exsiccanda, carnesque fungosas coercendas. In ophthalmia ab humore scrophuloso pendente, in qua palpebræ inflantur, juvat hoc unguento, simplici tamen unguento attenuato, partes affectas inungere.

UNGUENTUM CALCIS HYDRARGYRI ALBÆ.

Rec. Calcis hydrargyri albæ drachmam unam,
Unguenti simplicis unciam unam cum dimidia.

MISCE & fiat unguentum.

USUS. Utiliter usurpatur in morbis cutaneis diuturnis. Calx hydrargyri alba idem est ac *Mercurius præcipitatus albus*.

UNGUENTUM E CALCE ZINCI.

Rec. Unguenti simplicis partes sex,
Calcis zinci partem unam. MISCE.

USUS. Peculiariter usurpatur in morbis oculorum; præcipue in casibus illis, in quibus palpebrarum rubor oritur potius a relaxatione, quam a vehementi inflammatione.

UNGUENTUM CITRINUM.

Rec. Argenti vivi unciam unam.

INFUNDE gradatim in vas vitreum
Spiritus nitri glauberi quantum sufficit ad solvendum argentum vivum.
DEIN sensim adde
Axungiæ liquefactæ libram unam.
AGITETUR mixtura donec frigescat.

USUS

usus. Habetur pro medicamento specifico in Psorophthalmia, sive ulcere palpebrarum. Inungitur digito parti affectæ.

### UNGUENTUM EPISPASTICUM EX INFUSO CANTHARIDUM.

Rec. Cantharidum,
Resinæ albæ,
Ceræ flavæ, singulorum unciam unam;
Axungiæ porcinæ curatæ,
Terebinthinæ Venetæ, singulorum, uncias duas,
Aquæ bullientis uncias quatuor.

INFUNDANTUR cantharides in aquam in vase clauso, per noctem, dein exprimatur vehementer & per setaceum trajiciatur liquor, & coquatur cum axungia, usque ad integram aquæ evaporationem; postea adde resinam, ceram & terebinthinam, ut fiat unguentum.

USUS. Epispasticis pro re nata applicatur ad fluxum sustinendum.

### UNGUENTUM SATURNI.

Rec. Unguenti simplicis partes viginti,
Sacchari Saturni partem unam. MISCE.

USUS. Ad ulcera exsiccanda & compescendum ardorem superficialium excoriationum.

HANC tantum simpliciorem unguentorum saturninorum formulam apposuimus, omissis unguentis e cerussa, atque e cerussa acetata.

UNGUENTUM HELLEBORI ALBI.

Rec. Pulveris radicum hellebori albi unciam unam,
Unguenti simplicis uncias quatuor,
Essentiæ limonum scrupulum dimidium.

MISCE fiat unguentum.

USUS. Hæc est opportunior formula adhibendi helleborum album, pro curatione morborum cutaneorum. Unguentum itaque hellebori anteferri debet *Tincturæ helleboratæ* qua passim utimur adversus scabiem; nam cutis a spiritu vini magnopere irritatur.

UNGUENTUM DIGESTIVUM.

Rec. Olei olivarum libras sedecim,
Ceræ flavæ,
Resinæ flavæ, singulorum, libras quatuordecim.

LIQUESCANT omnia simul, & dum mixtura calet, coletur.

UNGUENTUM DIGESTIVUM VIRIDE.

Rec. Unguenti digestivi uncias tres,
----- Sambuci unciam dimidiam,
Balsami terebinthinæ unciam unam. MISCE.

AD unguentum Basilicum proxime accedit.

UNGUENTUM SAMBUCI.

Rec. Florum sambuci recentium libras quatuor,
Axungiæ porcinæ libras quinque,
Aquæ quantum sufficit.

OMNIA concisa coquantur, donec folia fere crispentur; deinde cola exprimendo.

UNGUENTUM SULPHURIS.

Rec. Florum sulphuris libram unam,
Axungiæ porcinæ libras duas,
Lixivii tartari uncias duas. MISCE.

FACULTAS specifica adversus scabiem.

UNGUENTUM TUTIÆ.

Rec. Tutiæ præparatæ quantum libuerit,

HUIC admisce axungiæ viperinæ curatæ quantum satis sit ad unguenti mollioris crassitudinem.
USUS. In ophthalmia palpebris inungitur tempore vespertino.

UNGUENTUM ANODYNUM.

Rec. Olei olivarum drachmas decem,
Ceræ flavæ unciam dimidiam,
Opii crudi drachmam unam.

MISCE & lege artis fiat unguentum.

USUS. Opium hac ratione ulceribus valde dolentibus applicatum tutiorem actionem exercebit, quam in formula balsami anodyni cujus vires irritantes semper noxiæ sunt.

UNGUENTUM MERCURIALE.

Rec. Argenti vivi,
Axungiæ porcinæ, singulorum, libram unam.

TERANTUR donec argentum vivum apparere desinat.

UNGUENTUM MERCURIALE MITE.

Rec. Argenti vivi libram unam,
Axungiæ porcinæ libras duas.

MISCE, terantur donec argentum vivum apparere desinat.

UNGUENTUM E MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi drachmam unam,
Axungiæ porcinæ unciam unam.

MISCE, terantur per horas duodecim ut fiat unguentum.

USUS. Tutissimum ac præstantissimum præsidium adversus luem veneream. Adhibetur forma frictionis, juxta regulas in capite de mercurio adnotatas.

UN-

UNGUENTUM HÆMORRHOIDALE.

Rec. Unguenti saturnini drachmas sex,
Olei hyoscyami, ebullitione educti drachmas duas,
Camphoræ pulveratæ scrupulos duos,
Croci scrupulum unum.

MISCE ut fiat unguentum.

USUS. Qualitatem habet emollientem atque anodynam, ideoque magno cum emolumento applicatur hæmorrhoidibus externis tumentibus & valde dolentibus.

## TABULA POSOLOGICA.

PULVIS *e bolo compositus cum opio*, in granis 45 continet opii granum unum.

*Pulvis e scammonio compositus*, in granis 7 continet scammonii grana quatuor.

*Pulvis ipecacuanhæ compositus*, in granis decem continet opii granum unum.

*Pulvis sudoriferus*, in granis undecim, continet opii granum unnm.

*Pulvis opiatus*. In granis decem continet opii granum unum.

*Pulvis e scammonio cum calomelano*. Grana quatuor continent calomelani granum unum.

*Pilulæ ex opio*. Grana quinque continent opii granum unum.

*Pilulæ Thebaicæ*. Grana decem continent opii granum unum,

*Pilulæ ex hydrargyro*. Grana duo cum dimidio continent mercurii granum unum.

*Pilulæ Plummeri*. Grana duo cum tertia grani parte continent calomelani granum unum.

*Confectio opiata*. Grana triginta sex continent granum unum opii.

*Electuarium Japonicum*. Grana fere centum & nonaginta tria continent, opii granum unum.

*Electuarium Thebaicum*. Grana nonaginta septem continent, opii granum unum,

*Trochisci bechici cum opio*. Grana quinquaginta quinque continent granum unum opii.

*Emplastrum ammoniacum cum hydrargyro*. Unciæ quinque continent, mercurii unciam unam.

*Emplastrum hydrargyri cum hydrargyro*. Unciæ quinque continent, unciam unam mercurii.

*Emplastrum e hydrargyro*. Unciæ tres cum tribus ter-

tertiis partibus continent, unciam unam mercurii.

*Unguentum hydrargyri fortius*. Drachmæ duæ continent drachmam unam mercurii.

*Unguentum hydrargyri mitius*. Drachmæ quinque continent drachmam unam mercurii.

*Unguentum ex hydrargyro*. Drachmæ quinque continent drachmam unam mercurii.

*Unguentum hydrargyri nitrati*. Drachma una continet, grana quatuor hydrargyri nitrati.

*Unguentum citrinum*. Drachma una continet grana quatuor hydrargyri nitrati.

*Unguentum calcis hydrargyri albæ*. Drachma una continet, grana quatuor & duas tertias partes calcis hydrargyri albæ.

*Tinctura opii* paratur proportione unius grani opii ad grana tredecim menstrui.

*Tinctura Thebaica* paratur proportione unius grani opii ad grana duodecim menstrui.

*Tinctura opii camphorata*. Grana ducentum & sexaginta menstrui continent, opii granum unum.

*Elixir paregoricum*. Grana sexaginta octo menstrui continent, opii granum unum.

*Balsamum anodynum*. Grana triginta menstrui continent, opii granum unum.

*Mithridatium sive confectio Damocratis*. In semiuncia continentur, opii grana septem.

*Theriaca Andromachi*. Grana septuaginta quinque continent opii granum unum.

Quamvis ingredientium proportiones diligenter sint a nobis in singula formula adnotatæ, verum ut unico intuitu observarentur, una simul collegimus, adjectis etiam nonnullis præparationibus, quæ in aliis etiam Pharmacopœis extant.

IN-

# INDEX

## NOMINUM MUTATORUM.

Quoniam plura medicamenta novis nominibus jam insignita sunt, medicamentis ipsis, vel saltem eorum viribus non mutatis; ne quid dubii inde exoriretur, horum catalogum hic apponere visum est.

| NOMINA USITATA. | NOMINA NOVA. |
|---|---|
| A | |
| Acetum scilliticum. | Acetum scillæ. |
| Æthiops mineralis. | Hydrargyrus cum sulphure. |
| Aqua aluminosa Bateana. | Aqua aluminis composita. |
| calcis simplex. | calcis. |
| cinnamomi simplex. | cinnamomi. |
| ---- spirituosa. | Spiritus cinnamomi. |
| hordeata. | Decoctum hordei. |
| juniperi composita. | Spiritus juniperi compositus. |
| menthæ piperitidis simplex. | Aqua menthæ piperitidis. |
| ---- spirituosa. | Spiritus menthæ piperitidis. |
| vulgaris simplex. | Aqua menthæ sativæ. |
| ---- spirituosa. | Spiritus menthæ sativæ. |
| nucis moschatæ. | nucis moschatæ. |
| piperis Jamaicensis. | Aqua Pimento. |
| pulegii simplex. | pulegii. |
| pulegii spirituosa. | Spiritus pulegii. |
| raphani composita. | raphani compositus. |
| rosarum damascenarum. | Aqua rosæ. |
| sapphirina. | cupri ammoniati. |
| seminum anethi. | anethi. |
| ---- anisi composita. | Spiritus anisi compositus. |

cariu

| NOMINA USITATA. | NOMINA NOVA. |
|---|---|
| **A** | |
| ---- carui. | carui. |
| Aqua vitriolica camphorata. | Aqua zinci vitriolati cum camphora. |
| Argenti vivi purificatio. | Hydrargyri purificatio. |
| Axungiæ porcinæ curatio. | Adipis svillæ præparatio. |
| **B** | |
| Balsamum sulphuris barbadense. | Petroleum sulphuratum. |
| ---- simplex. | Oleum sulphuratum. |
| traumaticum. | Tinctura benzoes composita. |
| anodynum. | Linimentum anodynum. |
| saponaceum. | Linimentum saponaceum. |
| Butyrum antimonii. | Causticum antimoniale. |
| **C** | |
| Calx antimonii. | Antimonium calcinatum. |
| Causticum antimoniale. | muriatum. |
| commune fortius. | Calx cum Kali puro. |
| lunare. | { argentum nitratum. / sal argenti. } |
| Ceratum album. | Ceratum spermatis ceti. |
| citrinum. | resinæ flavæ. |
| epuloticum. | lapidis calaminaris. |
| Chalybis rubigo præparatio. | Ferri rubigo. |
| Cinnabaris factitia. | Hydrargyrus sulphuratus ruber. |
| Confectio cardiaca. | { Confectio aromatica. / Electuarium cardiacum. } |

Con-

| NOMINA USITATA. | NOMINA NOVA. |
|---|---|
| **C** | |
| Confectio Japonica. | Electuarium Japonicum. |
| Cornu cervi calcinatio. | Cornu cervi lotio. |
| Crocus metallorum. | Crocus antimonii. |
| **D** | |
| Decoctum album. | Decoctum cornu cervi. |
| commune pro clyſtere. | pro enemate. |
| pectorale. | hordei compoſitum. |
| **E** | |
| Electuarium lenitivum. | Electuarium e ſenna. |
| Elixir aloes. | Tinctura aloes compoſita. |
| myrrhæ compoſitum. | ſabinæ compoſita. |
| paregoricum. | opii camphorata. |
| proprietatis. | Elixir aloes. |
| ſacrum. | ex aloe & rheo. |
| ſalutis. | Tinctura ſennæ compoſita. |
| Emplaſtrum ex ammoniaco cum mercurio. | Emplaſtrum ammoniaci cum hydrargyro. |
| antihyſtericum. | fœtidum. |
| attrahens. | ceræ. |
| Cephalicum. | picis burgundicæ. |
| commune. | lithargyri. |
| -- adhæſivum. | -- cum reſina. |
| -- cum gummi. | -- cum gummi. |
| -- cum mercurio. | -- cum hydrargyro. |
| e cymino. | cumini. |
| roborans. | thuris. |
| e ſapone. | ſaponis. |
| ſtomachicum. | ladani. |
| veſicatorium. | cantharidis. |

Emul-

| NOMINA USITATA. | NOMINA NOVA. |
|---|---|
| **E** | |
| Emulsio communis. | Lac amygdalæ. |
| Ens veneris. | Flores martiales. |
| Extractum catharticum. | Extractum e colocynthide compositum. |
| thebaicum. | Opium purificatum. |
| **F** | |
| Ferri rubigo. | Ferri limatura præparata. |
| Flores benzoini. | Flores benzoes. |
| martiales. | Ferrum ammoniacale. |
| zinci. | Calx zinci. |
| Fotus communis. | Decoctum pro fomento. |
| **H** | |
| Hiera picra. | Pulvis aloeticus. |
| **I** | |
| Infusum amarum simplex. | Infusum gentianæ compositum. |
| sennæ commune. | sennæ tartarisatum. |
| Julepum e camphora. | Mixtura camphorata. |
Taraxacum. 29.
Tartarum. 56.
Emeticum. 105. 220. 222. 387. 433.
Regeneratum. 66.
Stibiatum. 105.
Solubile. 161.
Vitriolatum. 61. 183. 444. 448.
Terebinthina Veneta. 439.
Terrea. 51. 107.
Terra foliata tartari. 178.
Japonica. 381.
Terræ absorbentes. 107.
Alkalinæ, calcareæ. 107.
Argillaceæ. 108.
Therapia. 27.
Theriaca Andromachi. 331
Edinensis. 334.
Tetra. 39.
Tetrorum actio. 40.
Tinctura. 472.
Rhabarbari. 257.
Vinosa. 417.
Amara. 262.
Aromatica. 262. 410.
Cantharidum. 263. 442. 451.
Cinnamomi. 410.
Cardamomi. 410. 412.
Fuliginis. 259.
Guajacina volatilis. 434.
Japonica. 384.
Sennæ composita. 258.
Serpentariæ. 259.
Sacra. 260. 418.
Rhei amara. 257.
Thebaica. 260. 453.
Corticis peruviani simplex. 267. 442.
Volatilis. 264.
Fœtida. 264.
Jalapii. 264.
Lignorum edulcorata. 266.
Martis in spiritu salis. 267. 468.
Myrrhæ. 268. 428.

Tinctura Castorei. 458.
Ferri. 101.
Rosarum. 384. 403.
Saturnina s. antiphthisica. 268. 384.
Sacra. 451.
Styptica. 269.
Valerianæ volatilis. 269. 458.
Thomas Donzellus. 17.
Tonica. 32. 45. 466. 472.
Toxica. 46.
Tragopogon. 29.
Trichomanes. 28.
Trituratio. 112.
Trochisci. 307.
Menthæ piperitidis. 307.
Bechici cum opio. 307.
e nitro. 308.
e minio.
Turiones aquosi. 26.
Turpethum minerale. 209.

V.

VAleriana. 455.
Vegetabilia aquosa. 29.
Venus. 98.
Virosa. 42.
Virosorum activitas. 43.
Vitriolum cæruleum. 69. 382.
Anglicum. 70.
Album. 71. 381. 443.
Calcinatum. 167.
Cyprium. 69.
Martis. 70.
Veneris. 69. 99.
Viride. 70.
Vitrum antimonii. 214.
Ceratum. 215.
Vina. 254.
Vinum antimoniale, sive antimoniatum. 215.
Huxhami 215. 387. 427. 434. 444.
anodynum. 255.

Vin-

Vinum Amarum. 254. 463.
Chalybeatum. 256. 468.
Ipecacuanhæ. 256. 444.
Rubrum. 391.
Sanctum. 254.
Unguentum. 471.
Arcæi. 271.
Anodynum. 359.
e mercurio sublimato corrosivo. 360.
Calcis hydrargyri albæ. 356.
Citrinum. 356.
Digestivum. 358.
Viride. 358.
Ex ærugine. 355.
e calce zinci. 356.
Epispasticum. 357.
Hellebori albi. 358.
Hæmorrhoidale. 361.
Mercuriale. 360.
Saturni. 357.
Sambuci. 359.
Simplex. 355.
Sulphuris. 359.
Tutiæ. 359.
Valeriana 455.
Urinariæ. 46.

Z

Zincum 102.
Zinci flores. 103.
Zingiber. 462.

| ERRATA. | | CORRIGE. |
|---|---|---|
| Pag. | 17. Parienses. | Parisienses. |
| | 19. admonere. | admovere. |
| | 29. quantum. | quantum. |
| | 31. A tenuantia. | Attenuantia. |
| | 36. Altheæ. | Althææ. |
| | 45. Mexereum. | Mezereum. |
| | ib. Lucidæ. | Luridæ. |
| | 52. digesticum. | digestivum. |
| | 57. ascescentis. | acescentes. |
| | 75. hæmorragiis. | hæmorrhagiis. |
| | ib. alumnis. | aluminis. |
| | 99. Excharotica. | Escharotica. |
| | 113. rjiciendæ. | reiciendæ. |
| | 137. cancromammarum. | cancro mammarum. |
| | 140. frustuum. | frustulum. |
| | 144. Colocyntidis. | Colocynthidis. |
| | ib. affuso spiritu vinoso. | affunde spiritum vinosum, & |
| | 156. c hartam. | chartam. |
| | ib. peculiati. | peculiari. |
| | 162. effusa. | affusa. |
| | 180. sedes. | causa. |
| | 183. composito. | compositum. |
| | 150. sulphuricis. | sulphuris. |
| | 192. dum. | cum. |
| | 228. fætidissimæ. | fœtidissimæ. |
| | 239. sesquilibrum. | sesquilibram. |
| | 244. hæmorragia. | hæmorrhagia. |
| | 251. hæmorragiis. | hæmorrhagiis. |
| | 279. Endiburg. | Edinburg. |
| | 304. ANTHELMINTYCUS. | ANTHELMINTICUS. |
| | ib. aliasquæ. | aliasque. |
| | ib. diarrhœa. | diarrhæa. |
| | 318. exsiccatur. | exsiccantur. |
| | ib. possit. | possint. |
| | 392. balnes. | balneo. |
| | 449. caidisque. | calidisque. |
| | 457. Scænanthi. | Scœnanthi. |
| | 472. vaporcm. | vaporem. |
| | 375. perficiunrur. | perficiuntur. |
| | 465. Aleos. | Aloes. |

# DOMINICI CYRILLI

M. D. ET IN NEAPOLITANO GYMNASIO
MEDICINÆ PROF. &c.

# *MATERIA MEDICA*
## REGNI
# *MINERALIS.*

*Audendo agendoque.*

*NEAPOLI.*

MDCCXCII.

# MEDICINÆ STUDIOSIS

## DOMINICUS CYRILLUS.

*De materia medica Regni mineralis disserere, elementa hujus disciplinæ medicinæ studiosis proponere in splendidissima scientiarum nostri temporis luce, satis arduum, ac multiplici difficultate plenum opus existimari debet. Et profecto dum perspicua veritate monstrante viam, hinc Historiæ naturalis necessitatem in multiplicium substantiarum intelligentia, hinc chemiæ profundam reconditamque scientiam, ( hæc enim oportet ut omnino ad manus sit ), aliarumque utilium quoque doctrinarum opportunam notitiam, intuemur, tanto oneri sustinendo tenues ingenii vires nullo modo pares esse manifeste apparebit. Sunt deinde & novi generis difficultates, quarum accessione priores in immensum crescunt. Nam* I. *Materia medica non solum medicamentosas diversorum corporum qualitates descriptione accurata persequitur, & præcipuam illorum actionem in corpore humano investigare conatur, verum cur, quomodo, quando, quibusve in morbis varia possint ac debeant aptari remedia indicare debet. Hinc si uberrimo fundamentalium doctrinarum apparatu indiget pro remediorum historia; statim ac de usu adversus immensam ægritudinum cohortem, serio agitur, simplex materiæ medicæ intelligentia, cum diagnosi, mutationum & accidentium morbosorum signis, atque*

*cum obscurissimis sanæ œconomiæ perturbationibus intime conjungenda. Etenim quamvis medicamenti indoles perspecta ſit, & tamen natura morbi aut ex parte, aut penitus ignoratur in principio, sive cruditate remedia, quæ coctionis & remissionis tempore opportuna sunt, inopportune propinantur. Hoc certe in loco apprime adnotanda magni Hippocratis sententia, in qua medico jubet, ut a quocumque remedio, immo & a clystere etiam abstineat, si æger simplici utitur ptisana. Naturæ motus, & salutares perturbationes, quæ in morbis eveniunt, nunquam medicamentis retardari aut prohiberi debent. Igitur practico tantum accuratissimo, qui materiam medicam diligenter perſequutus est, remediorum administratio tuto & absolute permittenda. Qui deinde hac nostra ætate ad scientiam medicamentorum enucleandam accedunt, novis deterriti difficultatibus ab opere abstinent. Nam ut recentiorum chemicorum doctrinas se recte intelligere ostendant, nova nomina adhibere, nova addiscere vocabula, recentissimæque theoriæ dogmata in medium afferre debent. Hoc scribentibus ingratum, ingratissimum legentibus est. Sed de hoc argumento mox breviter disputabimus. Nil denique adeo in hac provincia arduum, quam poſt doctissima excellentium virorum scripta, & una cum laudatissimis Europæ medicis in scenam prodire. Quomodo enim cum Murrayo, Cullenio, cum Edinburgensibus & Londinensibus materiæ medicæ scriptoribus, Italus ultimi subsellii, infimæque classis medicus poterit comparari?*

*In tanta rerum difficultate, atque in utillimo studio, ut artis salutaris obscuritas, densissimæque tene-*

*nebræ, quæ curationi morborum opponuntur, quantum fieri poterit dissipentur, nil præstantius nihilque expeditius, quam junctis viribus, cumulatoque labore rem tanti momenti suscipere. Fortasse practicorum accuratiores observationes, chemicorum inventis innixæ, & in solidam massam redactæ, generi humano emolumentum afferre facillime poterunt. Nostri vero in hoc opere suscipiendo conatus non adeo levibus innituntur fundamentis; nam materiæ medicæ elementa primi in hoc Gymnasio tradidimus, atque incognitam prorsus pharmaceuticam eruditionem, pathologiæ copulatam publice ex hoc loco illustravimus; medicamenta quæ e vegetabilibus medicina mutuatur, & dogmata pharmaceutica typis mandare curavimus: oportebat modo & alteram operis partem pertractare, ut incohatum opus minime negligeretur. Superest & postrema hujus disciplinæ particula, nempe remediorum ab animalium classe depromptorum historia, quæ proximo anno lucem videbit.*

*In celerrimo chemicarum doctrinam progressu, & post stupendas admodum chemiæ pneumaticæ observationes, quæ a Cel. Black inventis, usque ad Priestley experimenta, junctis immortalis Bergman, ingeniosissimi Sheele, Fontana aliorumque laboribus, multum disputarunt doctiores scientiæ cultores, atque observando investigandoque, quæ erronea atque dubia emendatione atque illustratione indigebant ad examen revocarunt viri de chemica disciplina optime meriti. Investigationum fructus profecto uberrimi, non solum in soliditate doctrinarum versantur, sed fundamenta theoretica novam formam assumpserunt, novisque nominibus modo designantur. Celeberrimus inter Pari-*

*risienses chemiæ philosophicæ cultores D. Lavoisier, qui principii inflammabilis, sive phlogisti theoriam a Sthalio propositam reliquisque subsequentium temporum observatoribus confirmatam, falsam esse existimavit, atque imaginarias phlogisti proprietates omnino contemnendas esse credidit, nova excogitavit nomina rerum & objectorum naturæ, juxta propriam theoriam, magis convenientia. Lavoiserii dogmata sequuti sunt omnes in Gallia chemici novarum rerum amatores Fourcroy, Morveau, aliique, Cl. La Metherie excepto. Multi inter Italos nova nomina probarunt, improbarunt alii. Angliæ doctissimi Philosophi, acerrime primum, D. Kirwan ducente agmine, pro phlogisto pugnarunt. Sed a recentissimis scriptis modo eruitur invictos phlogisti propugnatores, attamen divinæ veritatis vindices,* more magnorum virorum, *( ut Celsus de Hippocrate, qui se deceptum fuisse ingenue declaravit, eleganter scriptum reliquit ), inter quos ipse Kirwan ipseque Black numerantur, proselytorum numerum auxerunt. Atque ut res tanti momenti, brevi accurataque narratione oculis vestris subiiciatur, operæpretium duxi historiam novæ theoriæ, quæ in ultima Pharmacopœjæ Edinburgensis editone exstat, in latinum sermonem versam hoc in loco, eruditionis gratia, apponere. Diligentissimus itaque D. Duncan in hujusce operis introductione hæc habet.*

EPI-

# EPITOME

## NOVARUM CHEMICARUM DOCTRINARUM.

QUemadmodum novæ doctrinæ chemicæ, nomine theoriæ antiphlogisticæ, magnam celebritatem adeptæ sunt, atque pro evertenda phlogisti theoria a chemicis philosophis per longum tempus exculta, rapidissime progrediuntur; procul dubio existimandum, quod generalis prospectus principiorum novæ doctrinæ, majori lectorum numero acceptus esse poterit; & quod horum principiorum explicatio, recte poterit partem introductionis pro tractatu artis, quæ a scientia chemica absolute pendet, constituere.

Generalis historia chemiæ philosophicæ, nulla alia ratione melius assequi poterit, quam proponendo epitomen elementorum chemiæ, a D LAVOISIER recenter editorum; regularem enim continent novarum doctrinarum historiam. Systema majori ex parte proprium est; formam suam & integram compositionem propriæ investigationi accuratisque observationibus debet; atque quoad maximam partem propriis Auctoris inventis innititur. Quamvis ob inventorum celebritatem, novæ hujusmodi doctrinæ celeriter per Europam propagatæ sunt, tamen rapidus illarum progressus in Anglia adijuvabatur elegantissima versione D.Kerr in anglicam linguam; hic enim ob perfectam argumenti intelligentiam quidquid laudis a traductore poterat, operi D. LAVOISIER conciliavit.

Princeps differentia, quæ intereſt inter D. LAVOISIER philoſophiam chemicam, & theoriam Stahlianam in hoc præſertim verſatur, quod a D. LAVOISIER hypotheticum elementum phlogiſton dictum integre refutatur, tamquam nullo innixum fundamento, & tamquam factis & obſervationibus oppoſitum; quum contra phænomena omnia, quæ vulgo phlogiſtica appellantur, manifeſte pendere oſtenduntur, ab abſorptione vel evolutione aëris vitalis, aut ſolidæ ejus baſis, quæ in nova nomenclatura dicitur *Oxygene*. Valde ſingulare, ſed ſimul aptiſſimum eſt, quod omnes fere phænomenorum chemicorum explicationes, quæ a veteris theoriæ fautoribus proponuntur, in novas doctrinas mutari poſſunt, poſthabito tantum vocabulo phlogiſton, atque aſſumpto elemento oxygenes, leviſſima tantum idiomatis inverſione. Ubicumque corpus aliquod a Stahlianis phlogiſticatum eſſe dicitur, vel mutatis vocabulis, cum imaginario phlogiſti elemento combinatum, D. LAVOISIER ejuſque ſequaces manifeſte oſtendunt oxygenis, vel baſeos aëris vitalis evolutionem eveniſſe; contra vero ubi corpus phlogiſton amiſiſſe ſupponitur, vel dephlogiſticatum eſſe, revera hoc accidit ob abſorptionem & combinationem aëris vitalis.

D. LAVOISIER in explicatione ſuarum idearum circa compoſitionem fluidorum aëriformium elaſticorum, qui *gas* dicuntur, auſpicatur demonſtrando, vel ſaltem ſolidis argumentis probare nititur, quod conſtent ſolida baſi, combinata cum materia caloris, quæ in recenti nomenclatura

tura appellatur, *caloricum*. Hanc hypothesim effectibus generaliter observatis, temperiei incremento in corporibus superstruere nititur; peculiariter vero hæc probatur doctrina a constanti illo effectu, nempe quia horum corporum dimensiones in quamcumque directionem augentur, statim ac temperies crescit. Atque ab analogia concludit, quod omnia corpora sunt vel *solida*, *fluida*, aut *aëriformia*, juxta proportionem, quæ reperitur inter vires attractivas, quæ illorum particulis inhærent, & vim expulsivam quam, ut illas separet, *caloricum* exeritur. Sequitur ab hac theoria, corpora omnia naturaliter solida esse si calor, sive caloricum, nempe causa caloris secedit; ac proinde liquida omnia, & fluida aëriformia constant basi peculiari naturaliter solida, sive *principio proprio*, cujus particulæ ob combinationem cum calorico, tamquam principio communi prohibentur ut generali attractionis legi obsequantur. Hac hypothesi & certis observationibus absorptionis aëris vitalis, explicat apparentiam caloris in combustione, demonstrando quod vitalis aër, qui ab ipso appellatur *gas oxygenum* quemadmodum componitur a basi solida, nempe ab oxygene, cum calorico conjuncto, procul dubio caloricum dimittere debet, dum formam aëris relinquit, ut combinetur cum corpore solido combustibili, atque ubi transire debet a statu rarioris, in statum densioris aggregationis; ac proinde quod hæc phænomena pendent a variis attractionibus electivis calorici, quantum caloris in hac operatione partes sunt. Ait deinde quod caloricum ubi che-

mice

mice combinatur cum quocumque corpore, hujus substantiæ aggregationem in majoris raritatis statum mutat, a solido in liquidum, vel a liquido in aëriformem, juxta præcedentes proportiones; & quod ubi a combinatione liberatur, gignit incrementum temperiei, cum flamma vel igne conjunctum, juxta varium concentrationis gradum.

Nonnulli reperiuntur simpliciter elastici aëriformes vapores, qui in omni cognita temperie in statu *gas* permanent, verum cum aliis corporibus combinantur, & solidam vel liquidam formam aggregationis assumunt. Facilioris intelligentiæ gratia distinctionem instituit, inter basim solidam, quæ has efformat combinationes, & *gas*, in quo combinantur cum calorico. Princeps *gas*, a longo jam tempore appellatur aër vitalis: verum D. LAVOISIER existimat melius esse vocabulum aër fluido tantum atmosphærico designando inserviat, qui diversorum *gas* mixtura est; atque ut species distinguantur, addit genericæ voci *gas* nomen specificum depromptum ab eminenti aliqua proprietate solidæ basis, quæ præcipuum elementum efformat. Hinc aëri vitali *gas oxygenis* nomen tribuit, ab essentiali baseos proprietate, quam *oxygenum* appellat, quia est causa universalis aciditatis.

Manifeste ostendit omnia combustionis exempla certe nihil aliud esse nisi hujus oxygenis combinationem cum corpore combustibili, atque in majori horum casuum parte hanc combinationem evenire posse juxta varios saturationis gradus. In genere ubi hæc saturatio completa est, com-

compoſitum a combinatione corpus, eſt acidum; atque juxta novum idioma, ſubſtantiam combuſtibilem oxygenatam eſſe dicitur. Hinc quo ad majorem partem corpora combuſtibilia ſunt baſes acidificabiles, vel ſubſtantiæ, quæ mediante combinatione cum oxygene, in acida mutari poſſunt. Ubi ſaturatio corporis combuſtibilis minor eſt ac requiritur pro compoſitione acidi, compoſitum appellatur *oxydes*. Proceſſus in primo caſu appellatur oxygenatio, & baſis *oxygenata* eſſe dicitur; in ſecundo caſu baſis *oxydata* dicitur, atque actus operationis appellatur *oxydatio*. Hujuſmodi nomina arbitraria ſunt; ſed quemadmodum chemico idiomati perſpicuitatem inſignem communicant, abſque longa explicatione, ideo magni uſus ſunt.

Unicum vero reperitur exemplum corporis combuſtibilis, qui combinatur cum oxygene & tamen numquam efformat acidum aut oxydem acido proximam. Aër inflammabilis; uti antea appellabatur eſt gas ſimplex qui mediante combuſtione cum oxygene uniri poteſt; ambo *gas* caloricum deponunt, qui apparet in igne, vel calore & lumine; atque ſubſtantia, quæ ab hac unione oritur eſt aqua. Ab hac circumſtantia baſis ſolida *gas* combuſtibilis *hydrogenis* nomen in nova nomenclatura accepit; atque in ſtatu ſuo aëriformi, cum calorico combinata, appellatur *gas hydrogene*.

Una aëriformium fluidorum ſpecies, qua componitur mixtura aër atmoſphæricus dicta, vitæ animali lethalis eſt, atque flammam exſtinguit. Hæc

Hæc diverſa antea obtinuit nomina, juxta diverſorum philoſophorum imaginationem, quemadmodum mephitis atmoſphærica, noxius aër, aër phlogiſticatus, &c. In nova nomenclatura appellatur *gas azoticum*, & baſis ſua, a mortifera qualitate, *azotes*. Hæc baſis ad varium diverſumque ſaturationis gradum cum oxygene conjungitur & oxydes vel acida efformat juxta proportionem oxygenis, quo compoſitum ſaturatur. In minimo ſaturationis gradu cum oxygene, compoſitum adhuc aëriformem ſtatum retinet; atque in aqua non diſſolvitur: Hoc compoſitum, ſecundum principia generalia novæ nomenclaturæ, appellari deberet *gas azoticum* oxydatum; verum quemadmodum vetus appellatio, *gas nitrosum*, admodum communis eſt, neque ullam contradictionem aut ambiguitatem gignit, ideo retinetur. Ulteriori ſaturatione cum oxygene, gas nitroſum mutatur in acidum, atque ſi per ſe exiſtit aëriformem aggregationem retinet; verum ad magnam quantitatem ſolvitur, mediante aqua. Pro hoc acido antiquum nomen acidi nitroſi retinetur ob eaſdem rationes, quæ gas nitroſum reſpiciunt; verum ſtatus duo hujus acidi a longo jam tempore congniti diſtinguuntur variando terminationem nominis ſpecifici: Acidum valde coloratum, rubrum & fumans, antea, phlogiſticatum dictum, nunc appellatur acidum *nitroſum*, atque pallidum vehementius acidum, qui rubros vapores non emittit, & qui antea dicebatur acidum nitroſum dephlogiſticatum, dicitur modo acidum *nitricum*. Differentia inter duos hujus acidi ſtatus pendet a dif-

differenti quantitate oxygenis ſaturantis, cum eadem baſi acidificante conjuncta; nam ſecunda ſpecies, nempe acidum nitricum magis perfectum integre ſaturata eſt cum oxygene, dum in priori, acido ſcilicet nitri fumante, adeſt ſuperabundans proportio azotis. Acida hujuſmodi mutuo converti vel mutari ab uno in alterum poſſunt; nitricum in nitroſum, vel additione azotis, vel detractione, oxygenis; & *vice verſa*.

AZOTES & hydrogene, ſi ſimul combinantur, efformant alcali volatile cauſticum, *vel ammonia*, uti appellatur in nova nomenclatura. Ratio mutati nominis hujus ſubſtantiæ eſt ad vitandam ſuperfluam periphraſin in idiomate chemico, atque ut, quantum poſſibile erit ſingulis peculiaribus ſubſtantiis perſpicua & unica vox tribuatur. Magnæ utilitates generalis hujus principii in nomenclatura, apparebunt, ſi comparantur nova nomina ſalium neutrorum, cum vetuſtis arbitrariis denominationibus.

NONNULLÆ ſubſtantiæ combuſtibiles ſimplices, perſiſtente combuſtione, combinantur cum oxygene, atque oxydes nempe acida efformant, uti azotes. Sulphur dum lente comburitur, cum minori quantitate oxygenis ſaturantis conjungitur atque efformat acidum volatile debile & inſigniter odorum, acidum vitriolicum phlogiſticatum, vel ſulphureum antea dictum, & qui modo appellatur acidum ſulphu*reum*. Ubi celerius comburitur, majori quantitate oxygenis ſaturatur, & compoſitum inde proveniens eſt acidum ponderoſum, fortius & inodorum atque appellatur acidum ſulphu*ricum*, antea vitriolicum. Mu-

tari

ſtari ſimiliter inter ſe poſſunt, addendo oxygenem ſulphureo, vel detrahendo ab acido ſulphurico.

PHOSPHORUS ſimplex eſt combuſtibilis ſubſtantia, quæ, uti ſulphur, combinatur cum oxygene ad duos ſaturationis gradus; combinatio minus oxygenata appellatur phoſphorus, perfectius vero oxygenata, acidum phoſphoricum. Carbo, vel potius ipſius elementaris & ſimplex pars combuſtibilis, quæ appellatur *carbon* vel *char*, quo diſtinguatur a miſcela impura *carbonis* nomine dicta, conjungitur cum oxygene combuſtionis, atque efformat acidum *carbonicum* vel *charicum*, antea diſtinctum nomine aëris fixi, aëris fixabilis, acidi aërei &c.

MULTA etiam reperiuntur cognita acida, quæ adhuc non fuerunt decompoſita, ipſorumque ideo baſis acidificabilis incognita remanet. Hæc ſunt *acidum muriaticum*, *acidum boracinum*, & *acidum fluoricum*; ſed a generali analogia, ſupponi poteſt componi acida hæc peculiaribus baſibus combuſtibilibus, quæ combinantur cum oxygene, tanquam peculiari illarum acidificante elemento. Quamvis acidum muriaticum in actuali ſtatu chemicæ ſcientiæ, nequeat adeo decomponi, ut ejus baſis detegatur, poteſt vero copulari cum inſigni ſuperabundanti quantitate oxygenis, & hac ratione proprietates aſſumit ab illis, quas in ſtatu communi poſſidebat, valde diverſas. In novo hoc ſtatu, juxta novam nomenclaturam appellatur, *acidum muriaticum oxygenatum*. Fortaſſe

se aptius appellari posset acidum muriaticum *superoxygenatum*.

PRÆTER acida hæc simplicia, sive acida basi simplici, multa acida bases habent compositas, sive duas vel ultra, bases acidificabiles simul junctas, atque hujusmodi radicalia composita in acida mutantur, vel oxygenantur combinatione cum oxygene. Acidum compositum a longo jam tempore nomine *Aquæ Regiæ* cognitum, hujus generis est, atque manifestum est, ab attractionibus electivis aliisque phænomenis, quod acidum nitricum & muriaticum, a quibus efformatur, simul chemice sunt combinata; nempe, horum acidorum bases acidificabiles conjunguntur ad efformandum compositum radicalem, pro cujus acidificatione utriusque acidi oxygene in usum revocatur. Aliæ acidificabiles & oxydabiles compositæ bases a vegetabilibus & animalibus substantiis obtinentur, & constant variis proportionibus carbonis & hydrogenis, simul junctis, aliquando cum additione azotis, vel phosphori, aut utriusque. In statu oxydarum, composita hæc radicalia ab oxygene habent additionem in gradu tamen minori, quam requiritur pro acidi perfecti compositione: saccharum, amylum, gummi, mucus, gluten, oleum, resina, alkohol, æther &c. sunt bases acidificabiles compositæ, tantum cum proportione oxydante oxygenis conjunctæ. Acida hujus ordinis sunt.

| *Nomina nova.* | *Nomina vetusta.* |
|---|---|
| Acidum Tartareum | Acidum Tartari |
| Acidum Malicum | Recenter cognitum. |
| Acidum Citricum | Acidum Limonum |
| Acidum Pyro-lignicum | Acidum Empyreumaticum ligni. |
| Acidum Pyro-mucoſum | Acidum Empy. ſacchari. |
| Acidum Pyro-tartaroſum | Acidum Empyr. tartari. |
| Acidum Oxalinum | Acidum Acetoſæ. |
| Acidum Acetoſum | Acetum, vel acidum Aceti |
| Acidum Aceticum | Acetum radicale |
| Acidum Succinicum | Sal volatile ſuccini |
| Acidum Benzoticum | Flores benzoini |
| Acidum Camphoricum. | Recenter detectum. |
| Acidum Gallicum | Principium adſtringens vegetabilium. |
| Acidum Lacticum | Acidum ſeri aceſcentis |
| Acidum Saccholàcticum | Antea incognitum. |
| Acidum Formicum | Acidum Formicarum |
| Acidum Bombicum | Antea incognitum. |
| Acidum Sebacicum | Idem. |
| Acidum Lithicum | Calculus Urinarius |
| Acidum Pruſſicum | Materia colorans cærulei Berolinenſis. |

NE-

errores in phænomenis & factis chemicis eliminandos.

NOMINA omnia metallorum latine terminantur genere neutro; & singula vox usurpatur ad indicandum singulum metallum, in perfectissimo puritatis statu, quantum licet in actuali chemicæ intelligentiæ statu. Hinc Platinum, Aurum, Argentum, &c. denotant perfectum metallicum aut regulinum statum Platinæ, Auri, Argenti &c. Alcalina & terræ sequenti ratione denominantur:

| *Nomina nova.* | *Nomina vetusta.* |
|---|---|
| Potassa | Alcali vegetabile fixum purum, vel causticum. |
| Soda | —— — — idem minerale. |
| Ammoniaca | Alcali volatile ex calce viva paratum. |
| Calx | Terra calcarea pura. |
| Magnesia | Magnesia calcinata. |
| Barytes | Terra ponderosa pura. |
| Creta | Terra argillacea pura. |
| Terra silicea | Terra silicea pura. |

COMBINATIONES alcalinorum, terrarum & oxydarum metallicarum cum acidis, quemadmodum efformant sales neutros, medios, terreos & metallicos, ideo in genera dividuntur juxta acidum a quo pars constitutionis componitur; atque basis peculiaris, cum qua acidum combinatur in singulo peculiari sale, compositi nomen

 spe-

ſpecificum conſtituit. Hac ratione antiqua inintelligibilia, vel falſa nomina horum ſalium delentur, atque vocabula adhibentur, quæ non ſolum indicant ſalem, qui peculiariter deſignari debet, verumetiam enumerant ingredientia, atque denotant ſtatum ſubſtantiarum, quæ in compoſito reperiuntur. Hinc ſales omnes, in quibus acidum ſulphuricum combinatur cum baſi alcalina, terrea aut metallica, appellantur *ſulfata*; dum illi, in quibus acidum ſulphureum cum iisdem baſibus combinatur, *ſulfites* denominantur: atque ita de aliis acidis, ut in ſequenti tabula;

| *Nomina nova.* | *Nomina vetuſta.* |
|---|---|
| Sulfas barytis | Spatum ponderoſum, vitriolum terræ ponderoſæ. |
| Potassa | Tartarum vitriolatum, ſal de duobus, arcanum duplicatum. |
| Calcareus | Selenite, gypſum, vitriolum calcareum. |
| Magneſiæ | Sal epſomienſe, ſal ſedlitz, vitriolum magneſiæ. |
| Ammoniacalis | Sal ammoniacum ſecretum Glauberi. |
| Argillæ | Alumen. |
| Zinci | Vitriolum album, vitriolum goslar, *copperas* alba, vitriolum zinci. |

*No-*

| *Nomina nova.* | *Nomina vetusta.* |
|---|---|
| Sulfas Ferri | *Copperas* viridis, vitriolum viride, vitriolum martiale, vitriolum ferri. |
| Mangnesii | Vitriolum manganese. |
| Cobalti | Vitriolum cobalti. |
| Niccoli | Vitriolum nickeli. |
| Plumbi | Vitriolum plumbi. |
| Stanni | Vitriolum stanni. |
| Cupri | *Copperas* cærulea, vitriolum cœruleum, vitriolum Romanum, vitriolum cupri. |
| Bismuthi | Vitriolum bismuthi. |
| Antimonii | Vitriolum antimonii. |
| Arsenici | Vitriolum arsenici. |
| Mercurii | Vitriolum mercurii. |
| Argenti | Vitriolum argenti. |
| Auri | Vitriolum auri. |
| Platini | Vitriolum platinæ. |

IN nonnullis casibus, hujusmodi sales efformari possunt cum fixa & permanenti semper proportione acidi supersaturante, vel cum opposito excessu terræ alcalinæ, vel metallicæ basis: in duplici hoc casu peculiaris saturationis status designatur præmisso prioribus nominibus vocabulo *acidulum* vel *alcalinum*. Ita cremor, vel crystalla tartari, quæ compositio uti notissimum est constat *potash*, vel alcali vegetabili fixo, cum excessu acidi tartarei, appellatur *Tartaris potassæ acidulus* atque ita de reliquis.

HÆC

HÆC est ampla satis historia doctrinarum & nomenclaturæ novæ philosophiæ chemicæ, quantum a præfationis limitibus permitti potest; ad reliqua magis peculiaria quod attinet, lectores adire debent elementa D. LAVOISIER, in quibus uberes distinctæque proponuntur explicationes præcipuarum systematis partium; atque ubi principes difficultates a veteris theoriæ sectatoribus propositæ dissipantur & explanantur.

CERTE non parum confert ad confirmandam probabilitatem, majoremque evidentiam novæ chemicæ philosophiæ, quod D. BLACK, qui per longum tempus chemiam in hac universitate docuit, cum maxima meritisque debita æxistimatione, & qui ipsemet chemicas magni momenti doctrinas detexit, fatetur phlogisti theoriam, qua duce omnes ipse doctrinas proposuit cum primum lectiones tradidit, admodum obscuram evasisse post numerosas observationes recenter factas; atque explicationes non adeo planas manifestasque, chemicorum experimentorum suppeditare, quam theoria LAVOISIERII, quæ simplicior est, facilius assequi potest, atque strictius cum novis chemicis factis connectitur.

D. KIRWAN quoque, qui per longum tempus strenue pugnavit pro doctrina Sthaliana, atque etiam, ut hanc tueretur doctrinam, tractatum evulgavit adversus D. LAVOISERII opiniones, recenter & admodum ingenue, quod rarum in majori hominum parte est, sincere atque aperte proprium fassus est errorem, atque veritatibus quas

pu-

publice poſtremo admodum tempore improbare conatus eſt aſſentire non dubitavit.

*Quid ſentiendum ſit de nova chemicorum theoria, longum profecto eſſet in præſentia diſputare. Multum certe recentiores obſervatores receptis antea doctrinis addiciderunt, & potius eſſentiales diſciplinæ utilitates, quam nova nomina a philoſophis reſpicienda ſunt. In præſenti tractatu veterum nomenclaturam, cognitamque phlogiſti theoriam adhibuimus, nam perſpicuitati non novitati conſulendum, & priuſquam novis vocabulis noviſque doctrinis mens & animus, aureſque juvenum aſſueſcant, melius erit debilem lucem incommodo ſplendori præponere, turpe enim eſſet in magna luce cæcutire.*

NEQUIT certe contendi, quod hæç acida effor-formari possint combinando elementa simplicia basium & addendo oxygenem composito radicali, atque ita syntheticum de illorum natura & con-stitutione argumentum exhibere: verum median-te destructiva distillatione in vase clauso, atque aliis accuratis analyticis operationibus, varia il-lorum elementa a se invicem separari possunt, & peculiares proportiones tolerabili certitudine assignari.

METALLA aliam constituunt seriem basium oxydabilium vel acidificabilium; atque adnotatio-ne dignum est, quod in statu oxydarum, omni-no conveniunt cum generalibus phænomenis cor-porum alcalinorum; nam multa inter metalla ulteriori oxygenis additione in acida mutantur. Omnia sunt corpora combustibilia, & quoad maxi-mam partem excessivum temperiei gradum requi-runt, ut via sicca combinentur cum oxygene; omnia vero combinari possunt cum oxygene via humida, adhibitis attractionibus electivis. Quod antea appellabatur forma regulina metallorum, est simplicissimus illorum status, in quo cum nul-la adhuc cognita substantia combinantur; con-tra vero status calcis, in quo tanquam genuina corpora elementaria esse credebantur, ille est in quo addendo quantitatem, saturantem oxygenis, minus quam requiritur pro statu acidi, conver-tuntur in oxydes metallicas, quæ antea calces denominabantur. Hujus status oxydationis, in multis metallis, reperiuntur multi diversi gra-dus, atque in nova nomenclatura hujusmodi di-



vers

versi oxydationis gradus a colore distinguuntur; vel a peculiaribus circumstantiis in quibus oxydatio producitur.

ABSOLUTE necessarium est pro solutione metalli in aliquo acido, ut metallum in statu oxydis reperiatur, ante actum solutionis, vel ut durante processu oxydatum reddatur, aut decomponendo partem acidi pro solutione adhibiti, aut aquæ cum qua acidum dilutum est. Hinc semper accidit, quod ubi metalla non prius oxydata dissolvuntur in acido nitrico, aut in acido sulphurico concentrato, acidi pars decomponitur; quia azotes vel gas nitrosum, vel ambo amittunt partem oxygenis acidificantis, quæ detrahitur a basi oxydis metallicæ: vel acidum sulphureum, aut ipsum etiam sulphur evoluitur, a simili decompositione perfecti acidi sulphurici, ubi hoc acidum pro solutione fuit adhibitum. Quando acidum sulphuricum dilutum adhibetur, aqua solutionis decomponitur pro oxydatione metalli, quia elementa acidi simul retinentur a fortiori attractione electiva, quam est illa quæ exeritur inter particulas aquam constituentes; sequitur ideo, quod in hoc casu, gas hydrogene liberum evadit, & metallum dum in acido dissolvitur, oxydatur a parte oxygenis ipsius aquæ

HÆC magna ex parte est summa novarum doctrinarum chemicarum; quod superest, fere nihil aliud est quam nomenclaturæ mutatio, pro simplici proprietate & accurata methodo, ad vitandam ambiguitatem, vel uti auctori videtur, ad er-

# MATERIA MEDICA

## REGNI MINERALIS.

QUemadmodum ab Anatome corporis humani fabrica accurate deſcribitur; ſanas integraſque functiones Phyſiologia perſequitur, & a Pathologia ſanitatis perturbationes deſignantur; ita opportuniora adverſus morbos præſidia a Materia Medica declarantur. Hoc itaque nomine intelligitur peculiaris illa diſciplina, in qua remediorum præſidiorumque omnium Hiſtoria, natura, præparata, præcipuæque facultates diligenter illuſtrantur. Tanti momenti ſcientia, quæ a medicis omnibus pro Artis ſalutaris fundamento haberi debet varias, ab univerſis corporibus naturalibus ſubſtantias mutuatur, ac modo plantis, modo mineralibus foſſilibus & metallicis, modo animalibus utitur. Hinc a triplici naturæ Regno triplex materiæ medicæ diviſio deſumitur. Primam partem medicamenta vegetabilia, ſecundam mineralia, tertiam denique animalia componunt. Plantarum vires, actionem, uſum ſive adminiſtrationem in peculiari tractatu nuperrime evulgavimus. Nunc majori diligentia, fuſiuſque ad præſidia e Regno minerali depromenda devenie-mus; quod certe annis ſuperioribus deſiderabatur.

tur. Animalium medicamentosas qualitates postremo loco enucleare conabimur, hac præsertim ætate, in qua & ipsæ lacertarum carnes recentes inter specifica adversus gravissimos morbos auxilia collocantur.

Ad materiam vero medicinalem Regni mineralis quod attinet, chemiæ Pharmaceuticæ elementa in ipso limine illustranda sunt, ideoque corpora omnia in sex generales classes distinguere oportet. Primum tenent locum Sales, secundum Inflammabilia; sequuntur Metallica, Terrea, Aquosa, Aërea. A prioribus quinque vetustiores medici non pauca desumebant præsidia; at recentiores substantias aëriformes summa etiam cum utilitate adhibere solent, uti evincitur acidi aërei, aërisque dephlogisticati administratione in gravissimis etiam morbis. Aëris ideo atmosphærici, sive respirabilis proprietates in hac quoque materiæ medicæ parte accurate sunt considerandæ.

PARS I.

# PARS I.

## DE SUBSTANTIIS SALINIS.

Substantiæ salinæ.

CОrpora naturalia, quæ determinata, uniformi, regularique ſtructura vel penitus carent, vel tantum organica gaudent levi apparentia Foſſilia, vulgatiorique vocabulo Mineralia nuncupantur. *Foſſilium* in tellure obviorum complexus vulgo Regnum audit foſſile, vel minerale juxta cel. Bergman definitionem, qui hæc addit, ut fundamentalis foſſilium natura intelligatur. *In hoc tertio regno naturæ, generatio longe aliter peragitur, ac in organicis. Nullum ovum vel ſemen, foſſile futurum in minimum coarctatum complicatumque ſpatium fovet; nulla fæcundatio, nullus humorum nutrientium ſtabilitus motus, nulla evolutio heic locum habet. Moleculæ ſibi invicem occurentes, ſola attractione coaleſcunt.* Foſſilium facultates, ſive mineralium vires medicamentoſæ dignoſci nequeunt, niſi prius, characteres externi & interni horum corporum perfecte innoteſcant. Quemadmodum vero recepto ab omnibus ſcriptoribus ordine incedendum, ideo a ſalium deſcriptione ordiendum.

Sales.

Sales dicuntur ſubſtantiæ illæ foſſiles, quæ in lingua plus minus ſaporis excitant, & ſubtiliſſime pulverati, aqua ebulliente millies ponde-

rosiore solvuntur. Igne liquescunt, & plerique mutantur vel destruuntur. Salinam vero qualitatem, quæ in determinata sapiditate versatur a phlogisto, mediante materia caloris attenuato mutuantur; solubilitatem vero a calore omnino pendere multa suadent. Corpora omnia phlogisto destituta in calcem abeunt penitus insipidam, & phlogistum proprie dictum ope caloris omnino amittunt. Resinosa, omnia quæ salinam naturam habent, calore attenuata saporis intensitatem declarant. Caloris activitate calx usta salinam solubilitatem adipiscitur; nam ignis actione lapides calcarei non modo solubilitatem acquirunt sed simul in calcem transeunt penitus causticam. Sed in hoc casu quæ eveniunt mutationes magni momenti doctrinam alio magis opportuno tempore enucleandam includunt. Salinæ rursum particulæ, sive salium moleculæ primitivæ, in omnium fere corporum fundamentali compositione commixtæ reperiuntur. Sed sapor præcipuus salinis elementis primario inhærens, acidum vel alcali pro fundamento agnoscit, quandoquidem hoc principio quamvis diversimode modificato, sales proprie dicti componuntur. Quamvis enim duas simpliciorum salium species generales existant, atque acidi primam, alcalini secundam componant, salinum proprium acidum dici meretur; alcalinum enim potius acre est & acutum. In majori corporum naturalium numero salinum & præcipue acidum existit elementum, quamvis modo magis, modo minus evolutum sit, prout a diversis aliis substantiis occultatur & absconditur. Ita acidum

sac-

ſacchari in vegetabilibus copioſiſſimum ; a quo fructuum & plantarum ſapor repetendus eſt, cum glutine mucilaginoſiſque elementis adeo ſtricte combinatur; ut acido nitroſo opus ſit pro integra abſolutaque ſeparatione. Inſipidæ admodum ſubſtantiæ ſalinum ſive acidum elementum habent admixtum ; a ſubere enim ſicciſſimo omniſque ſaporis experte, nuperrimi chemici acidum peculiaris naturæ obtinuerunt.

Salium characteres generales.

Præcipui characteres ſalibus ſimplicioribus proprii duas ſuppeditant harum ſubſtantiarum Claſſes. Nam uti accuratiores Chemici exiſtimant, *characteres ſpecifici inter ſales ſimplices, quos ars nondum ex ſuis principiis componere valet, ab indolis diverſitate unice ſunt petendi*. Horum duo innotuerunt diſtincta genera; Acidum nempe & Alcali. Ad acidum enim quod attinet, etſi hæc ſubſtantia, ubi de foſſilibus agitur, triplici generis antea eſſe exiſtimabatur, veteres enim deſcripſerunt tantummodo Acidum Vitriolicum, Nitroſum & Muriaticum; recentiores contra addiderunt Acidum Fluoratum, Boracinum, Arſenicale, Sideri, Molybdenæ, & lapidis ponderoſi. Regnum vegetabile majorem acidorum varietatem exhibet; vix tamen crederem inter ſpecies omnium diſtinctas collocari debere, acidum Sacchari, Acetoſellæ, Tartari, Benzoinium, Citrinum, Succineum & alia hujusmodi. Regnum animale ſuppeditat Acidum Formicale, Sebaceum; immo reperitur etiam peculiare acidum Larvæ phalenæ Vinulæ, peculiari volatilitate præditum. Denique acidum Phoſphoreum,

& aëreum continent etiam animalia & vegetabilia corpora. Cl. Bergman non solum de descriptis modo genuinis ac manifestis acidis loquitur, verum metalla probabiliter suis etiam constare radicalibus acidis existimat, ignotaque etiam diversi generis acida in animalibus non adhuc detecta reperiri suspicatur, ait enim: *Metalla in statu completo sunt acida metallica phlogisto satiata, vel sulphuris metallici species, quæ interdum distincte inflammari possunt, ut zincum & arsenicum. Vestigia quoque flammæ sed magis obscuræ sub fusione præbent aurum & cuprum, nimbo virescente; ferrum candescentia scintillas evibrat, & stannum quoque idonea encheiresi, accendi potest.* Demum nonnulla corpora phlogistica, & fortasse omnia cum acidis intime combinantur; quod de sulphureis & resinosis certissimum est. Acidorum in omnibus fere corporibus naturalibus existentia magnam hujus principii necessitatem utilitatemque in universali œconomia naturæ declarat. Quænam sit acidorum activitas in œconomia animali inferius patebit. Plantæ quæ in genere acido copiosissimo sunt refertæ, si hoc privantur elemento, statim corrumpuntur; atque vegetabilium exhalationes, quæ corruptelam afferunt, tenuissimo acido componuntur. Transpirationem animalem, quam alcali phlogisticato magna ex parte compositam esse Pathologi contendunt, acidum satis copiosum, acido aëreo simillimum, semper adjunctum habere, nostræ evincunt luculentissimæ observationes. Hinc morbi omnes corruptorii

ab

ab acidi defectu pendentes, acidorum medicamentorum administratione curantur. Sed de his fusius suo loco.

Sales acidi, & alcalini.

Sales nativi, qui scilicet a natura ipsa componuntur, sunt vel acidi vel alcalini, vel neutrales, vel medii terrestres, vel denique metallici. Acida proprio distinguuntur sapore acuto, & in statu puritatis minime ingrato; amara dein redduntur, magisque adstringentia dum aut simplici phlogisto scatent aut metallicis elementis, quod idem fere est, saturantur; quamadmodum observatur in acido muriatico, phlogisti tenacissimo, atque in vitriolo martis. Secundo loco acida, cum insigni effervescentia solvunt alcalia aërata, nempe alcalia quæ acido aëreo abundant, ideoque aërata dicuntur. Hoc autem accidit, quia acida omnia majorem cum alcalinis affinitatem habent, quam acidum aëreum, hinc alcalina relicto acido aëreo cum reliquis acidis conjunguntur. Interim acidum aëreum summa volatilitate præditum celeriter aëreoque excitato crepitu in auras dissipatur. Alcali vero causticum, nempe acido aëreo spoliatum nullam cum acidis quibuscumque effervescentiam gignit. Tertio loco acida tincturas cæruleas vegetabilium rufas reddunt, præsertim vero tincturam Heliotropii cæruleam in rubrum colorem mutant. Juxta variam tamen acidi speciem, vario modo tinctura Heliotropii mutatur. Ab acidis enim mineralibus dilute tantum rufa redditur, & contra ab acido aëreo in elegantissimum purpureum colorem vertitur. Hac profecto diversi-

tate accurati obſervatores, primo intuitu de acidi aërei in aliquo corpore exiſtentia judicare poſſunt. Cæterum acida omnia concentrata cum oleis combinantur; aquæ tenaciſſima ſunt, quam ab aëre utcumque ſicco attrahunt; corpora animalia ac vegetabilia diſſolvunt; cum aqua calorem, cum glacie frigus producunt; fluida animalia & vegetabilia, quæ coagulabilia ſunt, coagulant. Difficillimum tamen ſemper erit hujus mutationis cauſam determinare. Hiſce addendum, quod acida multa aqua diluta ſi a corpore humano ſuſcipiuntur ſitim extinguunt, calorem imminuunt, æſtum compeſcunt; ideoque motum ſanguinis circulatorium retardant; & urinæ ſecretionem adaugent. Contra vero acida concentrata, nempe aquoſis particulis ſpoliata ſitim, calorem, ariditatem adaugent; pulſum duriſſimum; & inſigniter vibratum reddunt, urinamque parciorem rufamque efficiunt. In primo etenim caſu acidorum particulæ magnopere diviſæ, atque ob aquæ interpoſitionem multum a ſe invicem ſejunctæ, caloris ſenſibilis magnam copiam attrahunt, adeoque frigoris ſenſationem inducunt. At in ſecundo caſu ob concentrationem peculiarem a phlogiſto acceptam acutiem ſive præcipuam cauſticitatem exercent. Hujusmodi qualitates generales magis ad materiam medicam accedentes, hoc in loco collocari debebant.

## DE ACIDO VITRIOLICO.

Acidum vitriolicum.

ACida nativa etsi raro in maximo puritatis statu in terræ sinu occurrunt, quia cum variis substantiis combinata reperiuntur, in peculiares tamen species dividi consueverunt. Primum tenet locum acidum vitriolicum, cujus synonyma sunt *Acidum primigenium*, *catholicum*, *æthereum*, *sulphureum*, *aluminosum*, *oleum vitrioli*, *spiritus vitrioli*, *spiritus sulphuris per campanam*.

Præter qualitates, quas cum reliquis acidis communes possidet, acidum vitriolicum purum odore & colore caret. Rarissime in formam solidam frigore concrescit, sed aëre nitroso coagulari potest, e connubiis optime dignoscendum, uti alia acida. *Berg. Scia.* Acidum vitriolicum cum spiritibus ardentibus unitum, aciditatem deponit, unde oritur æther vitriolicus, usitatissima illa præparatio; cui insignis antispasmodica facultas tribuitur. Vetustioribus chemicis æther tantum vitriolicus innotuit; nostra vero ætate a reliquis etiam acidis æther paratur. Acidum vitrioli Ferrum, Zincum & Cuprum dissolvit. Per caloris gradum ebullientem cum metallis omnibus uniri potest. Corpora animalia, aut vegetabilia corrodit. Fermentationem prohibet. Cum alcalinis neutra facit, inferius describenda. Acidum deinde vitriolicum principio inflammabili copulatum

&

& calore attenuatum in vapores attollitur, & acidi vitriolici volatilis vel phlogiſticati nomen acquirit. Acidum vitrioli phlogiſticatum non raro eructant Vulcanorum voragines, odore inſtructum penetrantiſſimo, ſuffocante. Phlogiſton inquinans, & caloris ligata materia aëream impertiunt formam, quæ tamen aquæ connubium non impediunt. *Berg. Sciagr.* Dum in hoc reperitur ſtatu, difficulter concentratur; aliquid alienum, nempe phlogiſton adjunctum habet. Majori proportione alcalia ſaturat, ut & terras quoque abſorbentes, quamvis minus acidi continet; nam ob ſummam particularum tenuitatem, majorem penetrabilitatem aſſumit. Corpora animalia ac vegetabilia minus afficit, metallica vero magis, quia corpora humida tenues acidi volatilis particulas abſumunt, contra vero metallicorum corporum ſoliditas facilius a volatili, quam a denſiori craſſiorique acido penetratur. Affinitatem habet cum alcalicis minorem, ſervat enim primariam, quam cum phlogiſto habet. Minus generat caloris cum aqua, & frigoris nive commixtum. Vaporem denique ſulphureum emittit. Acidi vitriolici volatilis, ſive vaporis ſulphurei magnam profecto copiam ſuppeditant montes ignivomi, vel loca ab antiquiſſimis vulcanis quondam conflagrata. In ſudatoriis calidiſſimis agri Neapolitani acidum vitriolicum valde volatile exhalat, atque ubi frigidioris aëris actionem experitur, generat puriſſimos flores ſulphuris; ubi vicinam ſubjectamque terram argillaceam offendit alumen gignit. Tincturam cæruleam Helio-

Acidum vitriolicum phlogiſticatum.

liotropii rubram reddit; ob copiosum phlogistum aërem respirabilem inertissimum reddit, & suffocationem affert. Lapides vulcanicos durissimos in Argillam vertit; unde in nostris vulcanicis vetustioribus regionibus, colles terræque omnes argillaceæ sunt. Ideo etiam loca vaporibus sulphureis referta valde insalubria sunt, quia acidum sulphureum volatile phlogisticationem aëris atmosphærici valde periculosam efficit.

Corpora nativa in quibus acidum vitriolicum reperitur sunt sal Glauberi nativus, quemadmodum species illa, quæ abundanter occurrit in nostra Calabria, atque sal Seiliæ nuncupatur. Vitrioli acidum continent etiam sales Metallici, qui Ferrum, Cuprum & Zincum pro basi habent, uti sunt vitriolum martis nempe viride, vitriolum veneris, sive cæruleum, & Zinci, scilicet album. Adest quoque in salibus terreis, qui vel alumine, vel terra calcarea sunt uniti; quemadmodum in alumine & sale cathartico amaro. In aquis variis, in atmosphæra, in aura electrica detegitur quoque acidum vitrioli. Aquæ aluminosæ omnes hoc acido abundant, & procul dubio acidi vestigia in scintilla electrica depreheduntur. Inter omnia vero corpora, quæ acidum vitrioli suppeditant, non modo pro medicina sed maxime pro civili œconomia sunt vitriolum & sulphur; in decompositione enim harum substantiarum obtinetur, atque ejus puritas per specificam gravitatem & pelluciditatem determinatur. De acido vitriolico libero loquitur *Cl. Bergm.* in Sciagraphia R. Mineralis, ubi

Acidum vitr. liberum.

ubi ait: *In viciniis Senarum & Viterbii aqua dilutum inter collium lapides nonnunquam effluere narrat D. Vandelli, igne subterraneo sine dubio excussum, sed alias fere semper nuptum alcali, terræ, metallo, vel phlogisto.* Hæc ad historiam acidi vitriolici generalem valde necessaria, dum hujus substantiæ naturam nobis aperiunt, præcipuas quoque medicas facultates declarant. Recentiores itaque Practici, utillimis chemiæ principiis imbuti, acida omnia per se, & præsertim acidum vitriolicum purissimum inter præsidia antiseptica, nempe corruptioni opposita, antiscorbutica, antiphlogistica, sive inflammationi contraria collocare consueverunt. Et quemadmodum ubi acidum vitrioli inflammationem avertit, acutissimas simul inflammatorias febres, nempe necessarios essentialis causæ effectus tollit, ideo huic substantiæ antifebrilem quoque facultatem Medici tribuerunt. Gravissimi rursum pectoris morbi, uti sanguinis sputus, ulcera pulmonum, hydro-thoracis periculosa initia, vomicæ pulmonales, acidi vitriolici administratione magnopere sublevantur. In quocumque demum sanguinis fluxu hoc præsidio utiliter utimur. Sed sigillatim de propositis modo doctrinis disserendum. Et primo quidem merito acidum vitriolicum antisepticum & antiscorbuticum esse existimandum est, quandoquidem in morbis febrilibus cum magna virium prostratione, cum lividis petechiis, & atri sanguinis eruptione per varia corporis emunctoria, nihil utilius acido vitriolico, multa aqua diluto & copiosius ingurgitato. In ipsis etiam

Acidi vitr. usus.

etiam ſanguineis lethalibus variolis, in quibus omnia incaſſum præſidia adminiſtrantur, juvat ad acidum vitriolicum confugere. Vidimus ſæpe extremum ſcorbuti venerei ſtatum, in quo & gingivæ copioſum fœtidumque ſanguinem emittebant, & dentes decidebant, non modo acido aëreo, ſed vitriolico etiam eradicative ſanatum. In puſtulis venereis pravæ indolis, admodum profundis, & quæ fœtidum ichorem emittunt, uti nunquam medicamenta mercurialia ſunt adhibenda, ſic contra acidum vitriolicum, cum infuſo vel pulvere corticis peruviani copulatum, curationem abſolvit. In hiſce caſibus, uti & in reliquis omnibus ſpiritu vitrioli tenui, potius quam ſpiritu dulci utendum, juxta formulas inferius adnotandas. Ubicumque agitur de ulcere aliquo externo admodum ſordido, ac corrupto pure referto, nil acido vitriolico interne uſurpato utilius reperiri poteſt. Sæpiſſime in Eryſipelate maligno, quæ ſuperveniunt ſuppurationes profundæ ſinuoſæque ſunt, quia a tenui acerrimoque pure proveniunt. Hic morbus diuturnus nec raro periculoſus, ſæpe eodem præſidio debellatur. Idem dicendum de gangræna externa, ab interna corruptoria cauſa proveniente. His poſitis antiſeptica acidi vitriolici facultas ſolido admodum innititur fundamento. Sed unde nam vis antiſeptica acidi hujus repetenda eſt? In ſepticis ſive corruptoriis affectibus debita ac naturalis ſolidorum ac fluidorum componentium cohæſio imminuitur, atque lethalis reſolutio ſequitur. Hinc acida quæ adſtringentem primo facultatem

poſ-

possident, huic degenerationi opponuntur, quia coagulandi atque inspissandi proprietatem possident. Rursum in scorbutico affectu, in Lue Venerea diuturna, in confirmatis inflammationibus causa morbosæ densitatis, quæ præcipuam ægritudinem efficiebat, in eodem semper statu manere nequit, ideoque vitæ ipsius activitate in motum cietur; & quemadmodum causa hæc neque vitam communem vivere potest, neque peculiari motu propriaque uti in statu sanitatis œconomia fruitur, in corruptionem vergit. Generales illæ causæ morbificæ, quæ attenuari sive corrumpi debent, si nulla actione nullaque aut naturæ, aut artis operatione corriguntur, propriam degenerationem & corruptelam sanis partibus, sanisque etiam humoribus communicant. Acidum itaque vitriolicum nullo modo concentratum, immo contra valde dilutum, copiosaque aqua attenuatum morbosam dissolutionem mitigat, particulisque jam separatis naturalem cohæsionem denuo restituit. Putrescentia rursum, corruptio & colliquatio in corpore humano semper alcalescentia sive alcali caustico, vel juxta nostram doctrinam, phlogisto salino componitur. Igitur acidum vitriolicum propria affinitate cum memorato principio conjungitur & vehementissimam corruptionem, hac ratione avertit. Hoc in loco magni facienda difficultas illa, qua contenditur acida omnia primariam actionem in primis viis exercere, atque vehementem tantummodo corrugationem gignere. A ventriculo etiam penitus mutari acida multi contendunt. Prima ve-

vero difficultas respicit acida valde concentrata, quæ nullum internum usum habere debent, quia insigniter styptica sunt. Verum acida magnopere attenuata primarum viarum immediatam perfectamque actionem effugiunt, internasque sedes facile subeunt; urinæ enim profusissimæ obtinentur post acidi administrationem, atque immediata inde utilitas in morbis deprehenditur, uti inferius patebit. Scio atque in praxi observavi, immoderatum acidi concentrati usum vomitum lethalem, insuperabilem alvi stypticitatem, & cachexiam attulisse. Sed acidi concentrati urens, stimulans, & caustica efficacia a mitissima, refrigeratoria, & antiseptica acidi attenuati actione magnopere differt. Huic denique observationi adiiciendum, quod fortasse acidum aëreum magnum scorbuticis emolumentum ideo affert, quia particulis constat tenuissimis, copiosæ aquæ immixtis, ut alibi etiam a nobis adnotatum fuit. In inflammatoriis rursum morbis, in quibus universi corporis calor sensibilis ultra modum augetur, & cutis accenditur, & lingua ruberrima statim arescit, & sitis oritur intolerabilis, ac urinæ rufæ excernuntur, & caput vehementer dolet, nil acido hoc utilius; etiam si memorata accidentia in aliqua tantum peculiari externa sede deprehenduntur: in hisce etenim morbis acidum dilutum principio inflammabili opponitur, & caloris dissipationem prohibet. Sæpe etiam universalis inflammationis symptomata ab essentiali organi alicujus inflammatione ortum ducunt, uti accidit in Pleuritide, Hepatitide, aliisque hujusmodi. Essen-

sen-

Inflammationis causa. ſentia genuini morbi inflammatorii duplici conſtat præcipuo effectu, caloris nempe ſenſibilis ſuperabundanti evolutione ac diſſipatione, atque tenaciſſimarum ſubſtantiarum generatione celerique incremento. Cauſa etenim quæcumque ſtimulandi, irritandique activitate prædita, ſi univerſo corpori applicatur, & per vaſa fertur, vel ſi peculiari aliquo adhæret organo, ſtatim corrugationis, rigiditatis ac proinde doloris ſigna affert. Naturæ tunc vires adverſus cauſam morboſam inſurgunt, & calore, nempe vitalitatis inſtrumento armatæ, ægritudinis incommoda ſuperare nituntur. Sæpe tanta eſt cauſæ irritantis validitas, ac rurſum ſæpe tanta cum celeritate fluida inſpiſſantur, ut caloris primo ſenſibilis, deinde etiam latentis magna eveniente jactura, ſimplices inflammationes, in genuinos phlogiſticos morbos tranſeant; unde Pleuritis inflammatoria in veram Peripneumoniam mutatur. Cauſæ quoque generales inflammationum utplurimum acerrimis, urentibus & ſalinis particulis, ſive potius alcali phlogiſticato componuntur. E. g. inſenſibilis perſpirationis & ſudoris materia, inſigniter acris, dum a frigore externo intropellitur, dolores rheumaticos, nempe acutiſſimam articulorum inflammationem gignit. Bilis acrior facta & ad ſummum phlogiſticata, inflammationem eryſipelaceam affert. Frigida tempeſtate pulmones facilius quam reliquæ partes inflammantur, non ſolum quia prohibitæ perſpirationis moleculæ facile ad pulmones feruntur; verum etiam quia magna phlogiſticati are-

ëris quantitas in pulmonibus accumulatur, morbique inflammatorii generationem accelerat. Si igitur in inflammationibus generalis calor animadvertitur, si acre phlogisticum abundanter generatur, nil mirum si acido vitriolico, & nitroso etiam, aut vegetabili inflammatoriis affectibus occurritur. Non Pleuritides modo & Peripneumoniæ nothæ acido vitriolico feliciter tractantur, verum & Hydro-thorax & vomicæ pulmonales & sanguinis sputus periculosissimi, hoc præsidio magna ex parte mitigantur, & sæpenumero etiam eradicative curantur. Ulcera profundissima in cruribus hominis hydrope pulmonali affecti, cum immani artuum œdemate, penitus sanata fuere urinæ profluvio copiosissimo, ab acido vitriolico procurato. Sanguinis sputum brevi in fœtidissimi puris sputum transeuntem sanavit assidua ejusdem præsidii administratio. Hisce in casibus, quemadmodum etiam in hæmorrhagiis omnibus, acida mineralia valde attenuata magnum afferunt emolumentum, quia dum phlogisticationem humorum emendant, lentis congestionibus, syderationibus & gangrænis opponuntur. Hæmoptoycos vero, reliquosque ægrotos præternaturali sanguinis fluxu laborantes, phlogisticam sanguinis, nempe densam satisque tenacem diathesim possidere probat crusta illa inflammatoria, qua horum ægrotantium sanguis obducitur. Immo ubicumque sanguis a vasis pulmonalibus laceratis egreditur phlogisticam indolem habere procul dubio debet. Etenim dum per longum tempus vel in vase varicoso,

 vel

vel in tuberculari congestione retinetur, phlogisticam qualitatem acquirit, quia aëris respirabilis sive dephlogisticati commercio privatur. In morbis pectoris ab ulcere pulmonum pendentibus, ob respirationis brevitatem, ob impeditam pulmonis naturalem expansionem phlogiston accumulatur, & contra respirabilis & dephlogisticati aëris absorptio imminuitur. En quare in sanguinis sputo, in catarrho diuturno, in vomica pulmonali & ipsa phthisi magnam affert utilitatem acidum vitriolicum dilutum, quia principii phlogistici vim frangit, & morbosæ tenacitati opponitur. In uterino vero sanguinis fluxu immoderato, in quo morbus ab acri pungentique muliebri sanguine sustinetur, nil præstantius acido nitroso. Acidum enim nitri cum acri alcalino, sive alcali phlogisticato facillime combinatur, unde morbus statim compescitur, uti mox ostendemus.

Ratio administrandi acidum vitr.

Methodus propinandi acidum vitrioli purum in diversis morbis ita profecto se habet. In acutis inflammatoriis guttæ decem aut quindecim omni bihorio, cum largioribus aquæ dosibus propinantur, usque ad sitis extinctionem, & febris imminutionem. In Pleuritide, in morbis hepatis inflammatoriis aliisque, eadem ratione hoc remedio utimur. Verum si tussis post sanguinis sputum persistens, & cum expectoratione conjuncta, tractanda est, spiritus vitrioli uncia dimidia, aut integra propinanda est, ne scilicet puris moleculæ, quæ jugiter sanguini communicantur generalem corruptionem afferant. Hæc ve-

vero acidi quantitas quotidie administrata nullum certe damnum inducit, uti vulgus existimat; immo contra phthisim pulmonalem incipientem unico hoc præsidio curatam vidimus. Sunt qui in morbis pectoris utuntur non modo simplici spiritu vitrioli tenui, aut spiritu sulphuris per campanam, sed adhibent etiam composita ex acido vitriolico, uti sunt vitriolum viride, liquor anodynus mineralis dictus, & aëther. Qui vomitus utilitatem in Phthisi pulmonali experti sunt, drachmam unam vitrioli viridis sive martis, frequenter exhibent, & hac ratione vomitum excitant. Sed nulla adeo vehementi operatione hoc in casu opus est, ideoque potius Tartarum emeticum ad grani dimidium exhiberi potest; nam mitissime hoc emetico stomachus evacuatur, & pulmones repurgantur. Hanc methodum felicissimam semper in praxi expertus sum. Sunt & alii qui magis refractam actionem vitrioli martis phthisicis commendant, & ideo sequenti formula, magna cum utilitate utuntur;

℞. Vitrioli Martis &
Terebinth. Venet. singulorum drachmam unam;

Terantur simul in mortar. marmor. & dein diss. in aqu. lib. quinque. Post dissolut. aqua per chartam traiicienda & usui servanda est.

Aqua hæc vitriolata pro potu communi ab ægroto adhibenda. Ab acidi antiseptica facultate, atque a tonica ferri activitate non mediocris certe utilitas expectanda. Nam martialia præsidia in mor-

 bis

bis pectoris confirmatis, fere semper cum aliquo emolumento adhibentur. De usu acidi vitriolici in pustularum venerearum & bubonum curatione, aliquid superius innuimus. Certissimum etenim est hoc præsidio corrupto pure refertas pustulas sanari, ac proinde ad drachmam unam aut alteram propinari debet, una cum decocto Corticis Peruviani admodum attenuato. Dosis hæc quotidie usurpata eradicativæ curationis fundamentum constituit. Eadem ratione incedendum ubi Bubones venerei inopportuna damnosaque chirurgica operatione admodum irritati, acutissimæ febri originem sive occasionem suppeditant. Tunc uberrimæ acidi vitriolici doses, utpote trium vel quatuor drachmarum quotidie cum cortice antiseptico administrandæ sunt; constanterque etiam ad balneum tepidiusculum deveniendum est. Præparata salina, quæ acidum vitrioli pro basi habent in tractatu de salium neutrorum & terreorum proprietatibus illustranda sunt.

## DE ACIDO NITROSO.

Acidum nitrosum.

ACidum Nitrosum non esse Regni fossilis substantiam nonnulli contendunt, atque a corruptione & decompositione corporum organicorum ortum ducere existimant. Sed ipsa hæc corpora in fossilium etiam compositione reperiuntur, unde potius de promiscua origine dubitandum. Certissimum tamen est substantiam nitri purioris, sive salis neutri cujus basim constituit acidum nitrosum in terræ tantum superficie reperiri, quandoquidem pro nitri generatione aër atmosphæricus admodum necessarius evadit. Acidum nitrosum appellatur quoque *spiritus nitri*, *aqua fortis*, *&* *spiritus nitri Glauberi*. Obtinetur ex salibus nativis nitrosis, vel a terris animali & vegetabili materia saturatis. Huic œconomiæ innixi, qui nitri præparationem suscipiunt semper corpora nitrosis elementis referta aëri exponunt, pluviam tantum vitantes. Proprietates acidi nitrosi generales diversæ a reliquis sunt. Acidum enim nitri primum omnium volatile est, atque rubri coloris; color vero pendet a phlogisto, nam quo magis hoc principio saturatur, magis rufum colorem assumit. Maximam post acidum vitriolicum volatilitatem habet. Cum oleis & spiritibus vinosis violenter effervescit, quia principium inflammabile summa cum aviditate attrahit. Ob eandem rationem cor-

corpora plurima metallica dissolvit, atque stannum & antimonium peculiariter corrodit. Ubi cum metallis conjungitur & inflammabili principio saturatur, in vapores vitæ admodum inimicos dividitur, & aërem componit respirationi valde noxium. Hoc fluido aëriformi, cui nomen aëris nitrosi tribuerunt chemici, aëris respirabilis sive dephlogisticati quantitas facile determinatur, quo enim major aëris imminutio accidit cum aëre nitroso & major erit semper aëris respirabilis copia. Acidum deinde nitrosum minus generat caloris cum aqua, sed plus frigoris si cum glacie miscetur. Phlogisti avidissimum est, hinc inflammationem majorem reddere existimatur. Sed in vapore nitri purioris, qui combustionis & detonationis opera obtinetur, vis peculiaris impurum & respirationi ineptum aërem corrigendi reperitur. Saluberrimum inde chemicum processum instituit D. Achard, quo mediante noxii Nosocomiorum vapores, nitri conflagratione & fusione corriguntur. Magnam etenim purissimi ac penitus dephlogisticati aëris copiam continet nitrum; atque hæc ignis, sive potius caloris opera educitur. Hoc autem accidit, quia in conflagratione acidum nitri omne phlogistum ad se attrahit, unde aër dephlogisticatus, quod idem est ac aër ignis, sive materia caloris, abundanter evolvitur, & vitalem aërem constituit. Hanc doctrinam evidenter probant experimenta Pryestliana, in quibus calces plumbi acido nitroso madefactæ & campana vitrea inclusæ, dum lente ustoria comburuntur plumbi regene-

Usus Acidi Nitrosi.

ra.

rationem efficiunt; & magnam puriſſimi reſpirabilis aëris copiam ſuppeditant. In hoc certe experimento acidum nitroſum cum phlogiſto ſolari conjunctum calcem, nempe terram metallicam plumbi in genuinum plumbum vertit; materia vero caloris, nempe aër vitalis, omni phlogiſtica coinquinatione ſpoliatus ſuam reſpirabilitatem manifeſtam reddit. Si igitur acidum nitroſum principium inflammabile concretum adeo violenter attrahit, poterit certe in multis morbis mere phlogiſticis magnam utilitatem afferre. Verum non idem eſt in inflammatione, aut in phlogiſtico morbo acidum nitri adhibere; in inflammatione enim prodeſt, quia caloris imminutionem gignit, ſed uberrimæ doſes acidi ſemper vitandæ ſunt, ne ſcilicet hoc præſidio phlogiſti quantitas augeatur. Rurſum ſi de calore morboſo ad ſummum aucto, & acidi nitroſi activitate diſſipando agitur, diſtinguendæ etiam ſunt variæ morboſi caloris ſpecies. Et ſane ſimpliciſſimi caloris vitioſa evolutio, quæ œconomiæ animali valde incommoda eſt, ab acido nitroſo copioſius aſſumto imminuitur. Sed contra urentiſſimus calor putridorum morborum, & qui a principio inflammabili, acerrimo & fere cauſtico pendet, raro compeſcitur ab acido nitri puriſſimo & urentiſſimo. Specificam deinde facultatem exercet acidum nitroſum in ſanguinis fluxu & præſertim in hæmorrhagia uterina, quæ aut poſt partum laborioſum, & lochiorum ſuppreſſionem accidit, aut deficiente menſtrua evacuatione in mulieribus provectioris ætatis obſervatur. Incommoda

hæc & ſæpe etiam periculoſa ægritudo ſæpiſſime vincitur ſpiritu nitri tenui ad guttas decem conſervæ Roſarum incompletarum immixto, & omni trihorio propinato. Sunt qui loco ſimplicis ſpiritus nitri, utuntur elixire nitri acido, cujus compoſitio in formulis medicamentorum extat. Acido deinde nitroſo facultas diuretica præſtantiſſima tribuitur, & ideo in leucophlegmatia, calculo, œdemate aliiſque a colluvie ſeroſa pendentibus morbis commendatur, & ſpatio 24 horarum ad drachmas duas, cum decocto aliquo diuretico adminiſtratur. Verum in hiſce caſibus mera nitri aciditas, ſive principium acidum tanti momenti efficaciam non habet; ſiquidem diureſis potius augetur ſalibus alcalinis, quam omnino acidis. Immo acidum nitroſum inter præſtantiora diuretica collocatur, quia nitrum depuratum urinas abundanter educit. Sed in nitro ſive ſale neutro alcalinæ copioſiſſimæ particulæ, quæ attenuantes, ſtimulanteſque ſunt, & certum reſolutionis ſive corruptionis gradum in fluidis inducunt, principes diureticas vires poſſident. Hoc ulterius probatur exemplo nitri fixi, & cremoris tartari. Etenim nitrum fixum, nempe ſubſtantia ſalina ab alcalica nitri baſi compoſita, magni momenti, diureticum acido nitri procul dubio anteferendum præbet. Diuretica cremoris tartari facultas alcalinis elementis omnino debetur; hinc acidi nitroſi vires diureticæ nullam primariam hujus acidi proprietatem conſtituunt.

DE

## DE ACIDO MURIATICO.

Acidum muriaticum.

TErtia acidi mineralis species, nempe Acidum muriaticum, diversa obtinuit nomina; dicitur enim *spiritus salis marini*, *spiritus salis gemmæ*; *spiritus acidus salis ammoniaci*, & *spiritus salis Glauberi*. Juxta descriptionem cl. Bergman; in cortice Telluris uberrime hospitatur. Acerrimum est, admodum volatile, atque peculiari nauseoso odore gaudet. Præter aciditatem insigniter stypticam, summam quoque tenacitatem habet; hanc vero mutuatur a principio inflammabili, cum quo intime conjunctum est. Superflua spoliatum aqua, aëream induit formam; nam phlogiston instar principii compagem intrat. Liberum nunquam fortasse occurrit, nisi in aquis meteoricis; Obtinetur vero ex animalibus, vegetabilibus, fossilibus: a fuligine, sale gemmæ vel sale communi. Concentrationis suæ signa sunt, color flavus, & particulæ oleosæ supernatantes. Ad proprietates vero generales hujus acidi, quod attinet: I. unc. 22. alcali vegetabilis unc. 1. saturat: II. oleis difficillime jungitur, cum spiritibus vinosis facillime. In corpora metallica promte agit. Cum aqua & glacie eosdem, ac alia acida, gradu tamen minori, producit effectus.

Usus acidi muriatici.

Recentiores practici, qui de viribus medicinalibus acidi muriatici loquuntur, illius qualitates refrigeratorias, temperantes, diureticas, leviter

viter laxativas, & antisepticas commendant. Hinc in febribus malignis, ac biliosis, in renum ac vesicæ morbis, cum urinæ difficultate conjunctis, exhibent guttas aliquot, ab octo usque ad 20 in jusculo aliquo, vel julapio dulci. Verum tanta est hujus acidi difficillime mitiganda phlogisticatio, ut sæpe caustici, sive corrosivi medicamenti vices gerat. Febricitantes enim, qui acido muriatico simplici utuntur molestam sitim, nimiumque calorem experiuntur. Ab hoc vehementi stimulo pendent emolumenta, quæ obtinetur ab acido muriatico cum melle Rosaceo, aut decocto hordei, gargarismatis forma usurpato. in maligna sive ulcerosa angina, atque in sordidis faucium & oris ulceribus. Cum aqua mixtum vesiculas oris sanat, & cum spiritu vini concentratissimo confert ad ulcera cancrosa. Hic vero insanabilis morbus non sine magno celerioris mortis periculo, hoc medicamento externe tractatur. Spiritus salis communis dulcis, sive acidum muriaticum dulcificatum aut vinosum, ex spiritu salis & spiritu vini rectificatissimo, destillationis opera paratum, acido muriatico simplici semper anteferri debet, atque in morbis putridis summo cum emolumento usurpatur. Utilitatem quoque summam affert in alvi fluxu, dysenteria, nephritide, omnibusque ventriculi atque intestinorum affectibus, qui a debilitate & laxitate partium, aut a facili humorum corruptione oriuntur. Dosis variat juxta morbi indolem, ægrotantium constitutionem, ac reliqua accidentia; potest vero adhi-

beri

beri ab uno usque ad duos scrupulos, sive ad drachmam unam spatio 24. horarum. De aëre muriatico; sive de acido muriatico volatili loquuntur nuperrimi formularum medicinalium scriptores. Fluidum hoc aëriforme ait D. Reuss expellitur a sale culinari; ope acidi vitriolici concentrati cum odore croceo. Vis antiseptica aërem corrigens putridis effluviis impletum; phlogisti autem accessu corruptum nequaquam emendat. Usus in statu putrido humorum corporis humani. Nos vero qui acido aëreo & vitriolico specificam vim antisepticam inesse; observationibus innixi contendere possumus; de aëre muriatico antiseptico minime solliciti sumus.

Aer muriaticus.

---

## DE RELIQUIS ACIDIS MINERALIBUS.

De reliquis peculiaribus Regni mineralis acidis vel imperfecte cognitis, vel noviter tantum detectis breviter modo differendum est. Acidum primo fluoris mineralisatum, sive fluoratum valde volatile est. Vapores emittit calidos, qui vitrum corrodunt, & humido occurrentes terram siliceam generant, vel saltem deponunt. Superflua separatum aqua hoc acidum aëream adipiscitur formam. Sponte liberum adhuc invenit nemo, sed calci nuptum adest in fluore minerali & ni fallor, omne quoque siliceum intrat. Hæc e chemicorum libris deprompta naturam, hujus acidi declarant. A medicis vero non adhuc usur-

Novæ acidorum species.

usurpatur, noxiasque potius qualitates possidere videtur.

Acidum arsenicale.

Majoris momenti est intelligentia acidi Arsenicalis; oportet enim ut medicus non medicamentosas modo & salutares, sed noxias quoque & venenatas substantias perspectas habeat. Acidum itaque Arsenici siccum arte paratur, igne fusibile & fixum, donec materiæ caloris tantum abstulerit phlogisti, ut formam acquirat arsenici albi. In aëre humido deliquescit. Liberum sponte non occurrit, sed ligatum invenitur calce cobalti; & præsertim phlogisto in arsenico metallo fragili ejusdemque calce. Deleteria & indubitatam mortem afferens arsenici activitas ab acido pendet; nam adeo strictum cum phlogisto connubium habet, atque adeo abundanter hoc principio saturatur, ut nihil cum ipsius corrosiva activitate, comparari possit. Fuerunt tamen & Practici, qui tenues arsenici doses in diuturnis intermittentibus & obstinatis viscerum naturalium obstructionibus commendarunt. Nec desunt nonnulli inter nostrates, qui in pertinaci quartana arsenici granum semis quotidie propinare audent, atque de salutari tanti veneni effectu summa impudentia gloriantur. Accidentia vero gravissima sunt vel febres lentæ, lethales, vel sanguinis sputus irreparabiles, vel horrida ventriculi ulcera. Ab acido itaque arsenicali, tamquam a lethali veneno abstinendum.

De acido Molybdendico, de acido calcis ponderosæ, atque acido phosphorico nihil adijciam, nullum enim præcipuum in medicina usum habent.

bent. Acidum tamen phosphoricum a limatura cornu cervi eductum vel potius terram absorbentem in compositione pulveris antifebrilis *D. James* reperiri multi existimant. Contra vero de acido Boracis nonnulla accuratius sunt adnotanda. Hæc acidi fossilis species, juxta chemicorum definitionem vulgo salis sedativi nomine distinguitur: In lacu prope Senas in magno Hetruriæ Ducatu liberum invenit D. Hoefer an. 1778., & in Borace nativo ligatum alcali minerali, longe antea cognitum fuit. Instar acidi agit, sed admodum debilis. Igne funditur, & aqua volatilisari potest. Obtinetur facile ope acidi vitriolici, quo alcali fossile separatur ab acido boracis. Substantia hæc salina passim dignoscitur in officinis nomine salis sedativi D. Hombergii, atque in omnibus convulsivis morbis, passione præsertim hysterica, & hypochondriaca administratur. In febribus etiam, convulsionibus existentibus, commendatur. Dosis est a granis quinque usque ad quindecim aut viginti. Quamvis vero multa de sale sedativo a practicis soleant prædicari, nullam tamen essentialem ab hoc medicamento utilitatem expertus sum. Et sane qua ratione acidum concretum & valde debile magnam in nervos actionem exercere valeat ignoro!

Acidum aëreum, aëris fixi nomine antea insignitum, aquis mineralibus acidulis, & martialibus magna satis proportione continetur; pluribus fossilibus, præsertim alcalibus & terris inhæret. In atmosphæra liberum adest, atque ab anima-

*Acidum aëreum.*

malibus & vegetabilibus jugiter emittitur. Acidum deinde aëreum est causa immediata effervescentiæ inter acida reliqua cum alcalicis combinata; nam ob levissimam quam cum alcalinis affinitatem habet, ab acidis omnibus suam basim relinquere cogitur. Ubi cum calcareis, & alcalinis jungitur, substantias quas occupat dulces reddit; & contra si illas deserit causticitatem gignit. A præsentia igitur & absentia hujus acidi alcali mite, vel causticum redditur; immo corporum cohæsio secedente acido aëreo amittitur. Ob hanc rationem marmora calcarea, durissima dulcis saporis terra composita, dum ignis actione acido aëreo privantur, in friabilem & causticam calcem vertuntur. Substantiarum animalium & vegetabilium corruptio, a dissipatione acidi aërei primario oritur. Ideo quia restituto hoc principio putrescentia emendatur, acidum aëreum inter antiseptica præsidia collocari meretur; atque ideo nos peculiari diligentia aëris fixi qualitates, quarum intelligentia medico valde necessaria est, hoc in loco adnotavimus. Reliqua ad chemiam tantummodo spectantia libenter prætermittimus. Acidi aërei existentiam indicarunt veteres obscure, Helmontius perspicue, nomine *Gas sylvestris*. Accuratius descripsit Leonardus a Capua, dum de aëre mephitico sermonem instituit. Integram vero doctrinam primus chemice demonstravit Black in Dissertatione de magnesia, ulterius illustravit Priestleyus, atque ad umbilicum perduxit Bergman in peculiari dissertatione, atque nomen acidi aërei primus imposuit. Reliqui, qui

qui de eodem argumento ſcripſerunt imitatorum tantummodo, non inventorum nomine ſunt deſignandi. Pharmaciam hoc auxerunt præſidio, imperfecte Pringle, feliciſſimo vero cum ſucceſſu cl. Percival & reliqui ſcholæ Anglicæ ſectatores. Ipſe primus inter noſtrates aëre fixo eradicativas multorum moborum curationes inſtitui, & in fundamentorum Botanicorum ſecunda parte adnotavi. Methodus exhibitionis ſimpliciſſimus eſt, quandoquidem ſales omnes alcalini mites, & qui ob magnam quam continent acidi aërei copiam aërati dicuntur, cum acido quocumque conjuncti, & tempore ſive ipſo effervescentiæ momento propinati, magnam acidi aërei copiam corpori ſuppeditant. Iterato igitur ægrotantibus exhibentur grana decem ſalis tartari, vel abſinthii, dum ſubſtantiæ hujuſmodi ſalinæ cum ſucco limonum, aut acido quocumque foſſili conjunctæ inſignem effervescentiam generant.

Diverſæ modo indicandæ ſunt formulæ acidum aëreum exhibendi in morbis ſuperius adnotatis. A cl. enim Prieſtleyo præſcribitur ſequens mixtura:

℞. Sal. Tartar. ſcrup. j.
Aqu. font. unc. ſem.
Sacchari alb. ſcrup. j.

M. cum ſucc. limon. unc. ſem. incipiente ebullitione propinetur, & omni hora repetatur.

Secundo loco adiicienda eſt aqua aëris fixa ex Diſpenſatorio univerſali *D. Reuss* excerpta: nempe:

℞.

℞. Aqu. fluvialis quantum libet, quæ probe est saturanda aëre fixo, e solutione Cretæ in acido vitrioli prodeunte, aut alia simili, vel cum aëre fixo e fermentantibus liquoribus prodeunte. Vis acidum involvens. Usus in saburra acida humorum inprimis viarum primarum, asthmate, dispnœa.

Huic præparationi adnectitur aqua aëris fixi martialis dicta, quæ non mediocrem utilitatem afferre potest in morbis a debilitate ortum ducentibus. Aquis martialibus nativis præparatio ferri in acido aëreo soluti procul dubio anteferenda est; quandoquidem aquæ naturales ferro saturatæ non mediocrem quoque alicujus salinæ substantiæ quantitatem continent. Nequeunt ideo corroborantem simpliciter qualitatem a cathartica sejunctam exercere. Ob hanc igitur rationem sequentem formulam adjungendam censui; eo magis quia non raro hoc medicamento indigent ægrotantes a fontibus martialibus longe dissiti.

In aqua aeris fixi
Fila ferrea suspenduntur, donec
Aqua a soluto ferro saturetur;
Hæc dupla, aut ubi exigitur, tripla portione simplicis aquæ aëris fixi diluitur.

Vis fortior, magis roborans, tonica. Usus in debilitate partium, & præsertim viscerum abdominalium. Clysteres etiam ex aquis acido aëreo saturatis parati magnopere commendantur in putridis ac revera dissolutoriis morbis; verum incerto huic, ac sæpe inefficaci præsidio usus internus ejusdem substantiæ anteferendus.

Pauca

Acidum succini.

Pauca demum de acido ſuccini, juxta chemicorum nuperrimas obſervationes apponam. Acidum itaque ſuccini, uti loquitur Cl. Bergman *vocari poteſt ſal concretus ab electro elicitus, nam inſtar acidi debilis ſe gerit. Num regno vegetabili ortum debeat ſuccinum, adhuc diſceptatur, interea foſſiliis adnumerant haud pauci*. Rurſum ubi de Petroleo loquitur hæc de ſuccino ſcribit: *Petroleum acido ſuccini adunatum, idem eſt ac ſuccinum. Multi e regno vegetabilium ortum contendunt; interea quum inter foſſilia reperiatur, & origo nondum ſatis ſit illuſtrata, huc refero*. Petroleum vero ſequentibus principiis conſtare certum eſt. Phlogiſton in nexu oleoſo etiam inter foſſilia occurrit, ſed e Regno vegetabili illud haud pauci derivant: hæc eſt Petrolei definitio. His poſitis facillimum erit intelligere naturam olei & tincturæ ſpirituoſæ ſuccini; hæc enim præparata paſſim adminiſtrantur externe aut interne in morbis omnibus convulſivis, & præſertim in mulierum paſſione hyſterica, & motibus convulſivis puerorum: confricantur etiam tinctura ſuccini loca contuſa, aut lymphaticis congeſtionibus affecta. Quoad notiſſimam qualitatem antiſpaſmodicam tincturæ ſuccini, hanc ab oleoſis phlogiſticis elementis pendere procul dubio exiſtimandum, principium enim phlogiſticum præternaturalem, nimiam & ideo morboſam ſucci nervei activitatem valde imminuit. Hinc hyſtericæ mulieres tempore paroxyſmi, ſimplici odore memoratæ tincturæ, aut a moderatis doſibus intus aſſumtis mirifice ſublevantur; excepto tantum caſu illo, in quo con-

 vul-

vulſiones hyſtericæ cum vehementi capitis dolore, validoque capitali pulſu copulantur. Tunc enim tinctura ſuccini noxia potius deprehenditur. Doſis pro uſu interno eſt a guttis decem, uſque ad triginta. Sunt qui eodem remedio utuntur in menſtruationis defectu, dum de mulieribus agitur admodum valido corporis habitu præditis; tunc enim juvat debilitando nervorum actionem, admodum neceſſariam vaſorum uteri relaxationem procurare. Oleum ſuccini ad guttas tantum tres vel quatuor adultis mulieribus propinatur, atque infantes motibus convulſivis correpti ſupra articulationes, & circa nares eodem oleo inunguntur. Præparata igitur ex ſuccino vim antiſpaſmodicam non ab acido ſuccini, ſed a principio oleoſo mutuantur, nunquam ideo in morbis phlogiſticis adhibenda. Longam uſque adhuc acidorum hiſtoriam chemico-medicam perſequuti ſumus, non ſolum quia acida ſimpliciſſima per ſe inſignes poſſident vires, ſed etiam quia aliarum compoſitarum ſubſtantiarum baſim conſtituunt.

## DE SALIBUS ALCALINIS.

Sales alcalini.

DEfinitio alcalinorum ex Sciagraphia Regni mineralis deprompta, ita ſe habet: *Alcalia ſapore lixivioſo proprio, acidorum vehementi attractione & cæruleos vegetabilium ſuccos vireſcendi facultate dignoſcuntur. De illis ſolitariis alioquin illud fere valet, quod de acidis antea notavi, eorum nempe tantam eſſe attractionis virtutem, ut diu vidua eſſe nequeant. Ambiens atmoſphæra acidum ſaltim aereum exhibet, ſi aliud potentius deſideratur. Hinc ſemper nupta occurrunt, niſi arte præparata.* Connubium acidi aërei cum alcali præbet alcali mite, ſive aëratum; atque ab hac combinatione, uti ſupra dictum eſt, efferveſcendi facultas, ubi cum aliis acidis conjungitur, eſſentialiter pendet. Si alcali acido aëreo ſpoliatum atmoſphæræ, nempe aëri libero exponitur, ſumma rapiditate acidum attrahit & cauſticitate amiſſa mite redditur. Sales igitur alcalini in ſtatu ſolido ſunt mites, a combinatione cum aëre mephitico, ſive acido aëreo. Mites efferveſcentiam cum acidis cient, cauſtici nullam. Cum oleis ſaponem, cum ſulphure hepar ſulphuris formant. Cum acidis calorem generant, itemque cum aqua, ſi ſicca & cauſtica ſint, & cryſtalliſati frigus. Alcalia uſque adhuc cognita tria ſunt. Alcali vegetabile, foſſile & volatile. Alcalini vegetabilis ſynonyma ſunt, *cineres clavellati, cineres ruſ-*

 *ſi-*

*ſici*, *ſal tartari*, *ſal abſinthii*, *nitrum fixum*, *fluxum fixum*, *lapis infernalis*. Obtinetur a calcinatione vegetabilium integrorum. Alcali fixum vegetabile omni orbatum acido, telluris cruſta non promit, interdum vero ligatum fovet vel vitriolico, vel muriatico; ſæpiſſime nitroſo, rariſſime aëreo. Neque alcali fixum minerale viduum proſtat, ſed ſemper maritatum acido, rarius vitriolico vel nitroſo, plerumque muriatico vel aëreo. Alcali vegetabile in ſtatu cauſticitatis aquam ab aëre avidiſſime attrahit & deliqueſcit. Cauſticum & mite, eadem producunt neutra. Cauſticum cum ſpiritibus vinoſis ſe ſe conjungit, in quibus tamen ſi ſit aqua, eam attrahit & fundum petit. Phlogiſtico conjunctum, corporum metallicorum fuſionem promovet, & plurima eorum diſſolvit. Cum terris in univerſum vitreſcit. Cauſticum corpora animalia & vegetabilia diſſolvit.

Altera alcali ſpecies alcali foſſile dicitur, ac verum nitrum vel natrum antiquorum eſſe exiſtimatur, eſt productio naturalis, quæ in Aſia & Africa utplurimum invenitur. Obtinetur a ſale marino, ſale Glauberi, Borace; ex aquis mineralibus & plantis marinis; etiam a quadam efflorefcentia, quæ ſuper muros cryptarum ſubterranearum ſæpe apparet: Ab alcali vegetabili parum diſcrepat, præter quod, aquam ab aëre minime attrahit, & acidis commixtum, alia producit neutra. Tertio denique loco alcali volatile argillis ſæpe inhæret, ſine dubio aëratum; nam cauſticum, artis auxilium poſtulat. Præterea & mu-

muriatico unitum reperitur. Obtinetur per distillationem ex omnibus corporibus animalibus & vegetabilibus; ex his tamen parce, nisi post putrefactionem, a sale etiam ammoniaco. Aquam avidissime attrahit; hinc plerumque in forma crystallina est, ergo mite, namque ubi causticum sit, semper fluit. Cum sulphure distillatum dat Tincturam sulphuris Hoffmanni. Mite cum spiritibus vinosis, dat offam Helmontii; cum oleis essentialibus & spiritibus vinosis salem volatilem oleosum: causticum, cum sulphure, tincturam volatilem: causticum cum oleis essentialibus, & oleo succini in spiritu vini solutis, dat *eau de luce*. Causticum calculum humanum dissolvit. Alcalinorum indoles præcipua versatur in diuretica, attenuante, ac resolutoria activitate, quæ dum intra certos continetur limites multorum morborum curationem efficit. Sed alcali suam actionem ab acutis, urentibus igneisque particulis desumit, hinc inter substantias stimulantes & quidem vehementiores collocari meretur. Majorem semper, at fere semper noxium effectum gignit alcali causticum, quia igneis activissimis elementis magna ex parte componitur. Mea quidem sententia alcali substantia est phlogistica, quæ si acido aëreo saturata reperitur mitissimam exercebit actionem; sed acido suo viduata & igneis elementis per superabundantiam combinata causticandi vim adipiscitur. Hanc doctrinam multis observationibus superstructam, in materia medica Regni vegetabilis illustrare conati sumus. Alcalinâ omnia et-

Alcalinorum usus.

etiam mitiſſima ſaporem habent acutum, immo urentem, ideoque ſtimulantia & irritantia eſſe debent. Nil itaque mirum ſi multæ ſecretiones a morboſa aliqua cauſa interruptæ, alcalinorum uſu ſtatim abundanter eveniunt. Et ſane natura ipſa indolem ſtimulantem, certo gradu corruptoriam, ac proinde reſolventem manifeſte oſtendit. Nam ut variæ excrementitiæ ſubſtantiæ, vel naturaliter evacuandæ, vel poſt morborum ſubactionem pro ſanitatis incolumitate eliminandæ ſunt omnes aut in alcalinum mutatæ, aut cum acuto tenuique alcalino principio conjunctæ emittuntur. Hoc probatur odore alcalino fæcum alvinarum, ſenſibilis atque inſenſibilis tranſpirationis, urinæ, ſanguinis menſtrui, aliorumque excretorum. Uteri ac penis glandulæ acerrimum effundunt alcali, ut exquiſito ſenſu percellantur partes venereis uſibus dicatæ. Saliva quæ digeſtioni, nempe comminutioni & diſſolutioni ciborum inſeruit, & quæ corruptionis ſpeciem in alimentis inducit, alcalinis abundat particulis; neque ſuccus gaſtricus eodem principio deſtituitur; nam præter ſalis marini non ſpernendam, quam continet copiam, acidum verum nunquam fere in ventriculo reperitur. Immo aciditates vulgo dictæ nullum acidi, ſed contra alcalini ſaporem præſeferunt. Hoc etiam confirmatur ſpecifica fere acidorum activitate adverſus imaginarias aciditates primarum viarum. Alcalinum itaque in corpore abundat, pro actione & motu, ac pro ſecretionibus admodum neceſſarium; atque eodem principio corpus

pus indiget ne acidum valde tenax & immeabile cum magno œconomiæ animalis incremento augeatur. Multi deinde ſunt morbi, qui alcalinis, ſemper tamen mitioribus, nempe aëratis tractari debent, quia a nimia humorum tenacite, atque ab adaucta cohærentia ortum ducunt. Hujus claſſis ſunt lentæ & diuturnæ organorum abdominalium, Hepatis ſcilicet, Lienis, Meſenterii, Uterique obſtructiones; præſertim illæ, quæ febribus intermittentibus ſuperveniunt. Colluvies ſeroſa non ſolum illa, quæ adnotatis obſtructionibus adjungi conſuevit, verum & illa, quæ a tenacibus, lentis, viſcidiſque humoribus gignitur, alcalinis copioſiſſimas urinas ſtimulo excitato educentibus, facile ſuperatur. Sanguinis menſtrui defectus alcalinis vincitur, atque non modo regulares menſtruationes hac methodo obtinentur, verum etiam ſi lochiorum repurgatio in puerperis ab accidentali aliqua cauſa intercipitur, alcalinis reſtituitur. Quo pacto inſignis ab alcalinorum uſu obtineatur utilitas ignorant qui attenuantem ſtimulantemque illorum qualitatem minime intelligunt. Simpliciſſima methodus exhibendi alcaninum præſidium ſe ſe offert in adminiſtratione Cremoris tartari, quo cum inſigni emolumento utimur in colluvie ſeroſa, & præſertim in Anaſarca & Aſcite. Primi omnium Itali, Academiæ Bononienſis ſocii uberiores cremoris tartari doſes hydropicis propinarunt, atque eradicativam inde curationem obtinuerunt. Paſſim modo utimur tribus vel quatuor hujus medicamenti drachmis

quotidie una cum decocto chamæmeli, aut infuso vel aqua distillata florum verbasci. Urinæ hac ratione copiosissimæ & sedimentosæ evacuantur, atque alvus etiam mediocriter subducitur. Utilitas cremoris tartari in colluvie serosa non modo pendet a stimulo illo alcalinis substantiis inhærente, quo renes sollicitantur & vesica stimulatur, sed etiam in hoc casu ab acido tartari non mediocriter corrigitur calefaciens, urens & caustica alcalini facultas. Contrarium enim accidit ubi alcalina simpliciora, quæ non modo acido peculiari privantur, sed ob parcissimam acidi etiam aërei quantitatem, ad causticorum naturam propius accedunt. Non mirum ideo si plantæ diureticæ, utplurimum, internum generant ardorem, linguam inflammant, & urinas valde rufas educunt. Hoc fere semper accidit, dum imprudenter medici largiores pulveris radicis scillæ doses exibent. Ejusdem naturæ damna deprehenduntur in administratione extracti cicutæ, a quo juxta recentissimas observationes non convulsiones modo, sed lethales syderationes ortæ sunt. Alcali etenim phlogisticato procul dubio hæc planta saturatur. Tutissimum itaque erit cremorem tartari cum infuso memoratarum plantarum, aut cum decocto *solani officinalis*, *vel S. sodomæi* exhibere, mane & vespere. Alterum alcali quo feliciter in praxi utimur est nitrum fixum, sive pars alcalina nitri, quæ continet alcalinum vegetabile, fortasse cum tenuissimo post detonationem superstite acido nitroso conjunctum; unde majorem quoque activitatem
adi-

adipiſcitur. Immo non raro hydropicis nitrum fixum cum nitro depurato propinare ſoleo, ut alcali ſemper cum tenui quamvis acidi quantitate copulatum mitiſſimo ſtimulo operetur. Duæ nitri fixi drachmæ ſpatio 24. horarum per intervalla adminiſtrantur in lochiorum defectu; atque eadem doſi uti poſſimus pro evocanda menſtruatione. Sunt qui inter emmenagoga primi ordinis boracem Venetum collocare ſolent; & quidem merito, nam borax alcali foſſili abundantiſſimo & ſale ſedativo, nempe acido Boracis componitur. Non ſpernenda ideo formula illa communis, quæ ſimul conjungit boracis ſcrupulum unum cum ſemidrachma myrrhæ lucidæ. Hoc remedio quotide adminiſtrato in chloroticis ſanguis menſtruus educitur. In eadem formula adiicitur non raro extractum cicutæ ſed admodum parce; nam ſi ultra doſim granorum quindecim aut viginti propinatur, moleſtum ventris fluxum inducit. Oculi, ita dicti, cancrorum, terræ abſorbentes, magneſia alba, pulveres diverſi aërati, & alia ejusdem naturæ alcalina mitiora commendantur in ſtomachi aciditate, in morbis renum & veſicæ, ac præſertim adverſus calculum ſummis laudibus extolluntur; quia lithontripticam facultatem, juxta medicorum ſententiam, poſſidere creduntur. Celebratiſſimum Dominæ Stephens remedium pro calculi diſſolutione calce oſtrearum, aliorumque teſtaceorum componebatur. Sed decantati adeo ſpecifici activitas a ſua inventrice propoſita omni dein fruſtrabatur ſucceſſu. De ſale abſinthii aliis-

que

que ſimilibus alcalinis nihil profecto adiiciam, quandoquidem in quotidiana praxi, non ob alcalinam intrinſecam qualitatem, ſed ob acidum aëreum, cujus inſignem continent copiam, variis in caſibus uſurpantur. Quod vero attinet ad uberiorem ſalis tartari alcalini uſum, ab hoc remedio ſemper abſtinendum eſſe cenſerem, nam ob præcipuam cauſticitatem ſuam, periculoſa accidentia, & quæ nullo modo ſuperari poſſunt, afferre conſuevit. Et ſane ægrotantes qui duas aut tres hujuſce ſalis drachmas ingurgitarunt, graviſſimis correpti convulſionibus, brevi obierunt. Alcalina enim cauſtica tanquam venena ſunt a nobis conſideranda. Sed frequenter a Medicis in morbis diuturnis magnopere commendatur aqua calcis vivæ, quæ ob ſuam cauſticitatem œconomiæ animali infeſta eſſe deberet; videndum ideo cur, quomodo, quando præſidium hoc poſſit adhiberi.

Aqua calcis.

Calcis vivæ ſive cauſticæ determinata doſis, utpote unius vel duarum unciarum, aquæ libris puta tribus immittitur, ibique per 24. horas detinetur. Poſtea per chartam traiicitur & pro uſu ſervatur, in vaſe bene clauſo. Hæc præparatio exhibet genuinam aquam calcis, amaram, ſtypticam, nauſeoſam & certo cauſticitatis gradu præditam. Sed medici noſtrates primæ infuſionis activitatem reformidant, hinc priori rejecta novam affundunt aquam, atque poſt ſecundam tertiam quoque infuſionem componunt. Tertiam infuſionem paſſim interne adhibent in morbis pectoris diuturnis, præſertim ubi febris hectica no-

nocturnos affert ſudores & maciem extremam gignit. Eodem utuntur remedio in Diabete, graviſſimo illo morbo, in quo ſemper urinæ inconcoctæ profluvium ab hepatis duritie oritur. Tertio loco aqua calcis inter ſpecifica præſidia adverſus nephritidem calculoſam, & veſicæ ipſius calculum collocatur. In omnibus vero modo adnotatis affectibus fere ſemper aqua calcis cum lacte copulatur, quia juxta communem ſententiam cauſticitas calcis a dulcibus glutinoſisque lactis particulis corrigitur. Fortaſſe hoc verum eſt, ſed animadvertendum quoque quod ſi aqua calcis cum lacte miſcetur, lac per plures dies a corruptione immunis ſervabitur. Hæc ſumma eſt doctrinæ Neapolitanorum circa adminiſtrationem & efficaciam aquæ calcis, ſi nonnullos excipias qui tonicam quoque, huic præſidio facultatem tribuunt, ac proinde tres vel quatuor uncias aquæ calcis ſtatim ante prandium hauſtas commendare ſolent. Nos vero nonnulla primum, quæ ad præparationem hujus remedii pertinent, deinde quæ uſum medicum reſpiciunt, breviter adnotabimus. Et ſane ſi aqua calcis adhibenda, & inter remedia recenſenda eſt, non ſecunda tertia aut quarta infuſio, ex eadem calce elicita adminiſtranda eſt, quandoquidem hæc ſubſtantia poſt certum tempus aëri atmoſphærico expoſita omnem amittit cauſticitatem; nam magna acidi aërei copia ſaturatur ac proinde in mitiſſimum alcali tranſit. Prima igitur infuſio reliquis ſemper anteferenda, atque ſi debiliſſima aqua calcis requiritur ſatis erit parvam

vam calcis proportionem, copiosæ aquæ immittere; hac ratione aquæ qualitates immutatæ servantur, ac simul nullum a vehementiori actione medicamenti damnum oritur. Rursum chirurgi maxime huic regulæ inhærere debent, quia si pro celeriori ulcerum curatione hoc præsidio utuntur, necesse est ut aquam calcis causticam & detergendi ideo qualitate præditam, non vero inertissimum alcali adhibeant. Aquam calcis & nos quoque in praxi sæpissime ægrotantibus commendare assueti, nunquam magni momenti utilitates observavimus. Hinc remedii vires ad examen serio revocare conati sumus. In Phthisi itaque pulmonali, si copiosus sudor nocturno tempore remittente febre oboritur & insignem virium prostrationem gignit, aqua calcis ad uncias quatuor vel quinque una cum lacte quotidie propinatur. Hac ratione lactis corruptela avertitur, sed magnam irritationem solida experiuntur, lingua ruberrima fit, & pulmones exsiccati in aridam inflammationem incidunt. Urinæ etiam, quæ per se in hoc casu saturæ esse solent, rufæ evadunt. In diabete tanta est partium ariditas, tanta oritur a tenuissimo alcali animali irritatio, ut lingua fere semper inflammatoria siccitate afficiatur. Rursum hepatis in diabete sicca obstructio utplurimum deprehenditur, hinc exsiccantia omnia huic morbo omnino contraria sunt; nam siccarum partium inflammationem efficiunt, humorumque acrimoniam phlogisticam adaugent. Ab usu aquæ calcis in diabete lingua magnopere exsiccatur,

&

& moderata antea ſitis intolerabilis redditur. Idem profecto accidit ſi in morbis veſicæ copioſe adminiſtratur; continuo enim ſtimulo excitata veſica urinaria, non lotium modo ſed naturales etiam ſuorum parietum mucoſitates ſedimenti ſpeciem præſeferentes emittit. Hac ratione falluntur medici, qui mucum veſicæ pro calculi comminutis particulis aſſumunt, & ita aquæ calcis lithontripticam facultatem ſe confirmare poſſe exiſtimant. Sæpe etiam aquæ calcis doſes copioſiſſimæ cum multo lacte, & per longum tempus caculoſis propinantur, nullo tamen felici reſpondente ſucceſſu; hinc ab hoc præſidio decantatæ illæ utilitates, nunquam ſunt expectandæ. Vellem potius ut peculiaria inſtituerentur experimenta cum aqua calcis in polyſarchia, nempe obeſitate, colluvie ſeroſa, omnibuſque morbis a fluidiorum præternaturali redundantia ortis. Hiſce enim in caſibus, ſtimulans, exſiccans & calefaciens aquæ calcis activitas, poſſet certe magnum afferre emolumentum. Chirurgi ſæpiſſime aqua calcis, modo ſimplici, modo aliis remediis copulata utuntur in ſordidorum ulcerum curatione ſive exſiccatione. Et profecto variis in caſibus ſimplex aqua calcis vivæ aliquam affert utilitatem, dummodo nulla in ulceribus moleſtæ inflammationis ſigna appareant. Adhibent rurſum aquam phagædenicam, ita dictam quia ulcerum phagædenicorum, curationem procurat, corruptique admodum puris generationem prohibet. Componitur lotio phagædanica ab aqua calcis & mercurio ſublimato

cor-

corrosivo. Verum ubi binæ substantiæ miscentur, utriusque decompositio nascitur, ac proinde nulla ab aqua phægadenica peculiaris utilitas poterit expectari; uti abunde alio in loco dictum est. Mitto usum frequentissimum aquæ calcis in gonorrhæa, scabie fluore albo, fluxu ventrali aliisque morbis, in quibus exsiccantia & adstringentia utilia sunt. Sæpe in gonorrhæa virulenta, post certum tempus injectiones ex aqua calcis cum lacte usurpantur; atque ita relaxationi partium medetur. Superest ut variæ memoratam aquam parandi formulæ adnectantur, ut hæc tractatio absoluta videatur, & primo pro compositione aquæ calcis vivæ simplicis

℞. Calcis vivæ recentis probe vistæ unc. xij.

Patinæ terreæ vitreatæ vel ligneæ immittatur, affundatur desuper sensim

Aqu. fontanæ puriss. unc. 96. ebullitione, quæ inde oritur, peracta, vas agitetur. Misceantur interdum spathula lignea, post 12 fere horas, vel simulac calx subsederit, aqua decantetur limpida, filtretur, asservetur in vase bene clauso. Debiliorem magisque proficuam præparationem proposuerunt Angli nomine aquæ benedictæ compositæ Bateanæ.

℞. Cortic. radic Glycyrrhizæ unc. un.
Cortic. sassufras unc. sem.
Aquæ calc. simpl. unc. 72

Macera sine calore per biduum & cola.

Mitissima deinde omnium sequenti ratione paratur.

℞.

℞. Aqu. calc. e conch. oſtreor. rec. paratæ unc. duodecim.
Ceræ flavæ drachmas tres.

Poſt ſufficientem triturationem, digere leni arenæ calore, dein coletur.

Componitur demum aqua ad cariem dicta miſcendo aquæ cal. viv. unc. 2. cum aquæ fort. mercurialis drach. 1. . Hec præparatio commendatur in carie oſſium & ulceribus phagedænicis .

De reliquis alcalinis cauſticis pauca ad materiam medicam ſpectantia dicenda ſuperſunt, quandoquidem tanta penetrandi, irritandique activitate donantur, ut fere ſemper externis uſibus addicta eſſe ſoleant. Alcali enim ammoniacale volatile, alcali ammoniacum cauſticum, ſales omnes alcalini volatiles, aqua lucis, adeo decantatum adverſus convulſiones hyſtericas præſidium, & ſimilia particulas nobis offerunt volatiles, quæ per nares ſuſceptæ proficuam multis in caſibus ſternutationem movent, adeoque lypothymia affectis, mulieribus hyſteria laborantibus, ſubmerſis vel fumo carbonum ſtupefactis temporarium levamen afferunt, languenteſque nimium vitæ vires revocare valent. Deſcriptis uſibus aptiſſima eſt præparatio illa, quæ appellatur ſal ammoniacum ſiccum, ſive anglicanum extemporaneum vel ſal volatile ammoniacale. Paratur vero ſequenti methodo.

℞. Sal. ammoniac. depurat. drach. 1.
Ciner. clavellat. depurat. vel ſal tartar. drach. 2.

Subito invicem miſceantur, & in vitris epiſtomiis probe munitis ſerventur. Olei cujuſdam deſtil-

destillati ex. gr. Lavendulæ guttæ aliquot commode, pro lubitu quoque addi possunt. Vis valde penetrabilis, tonica, stimulans, nervina, excitans, exhilarans, resolvens, antipasmodica, diaphoretica, *antiseptica*. Reuss. Recentiores medici in Gallia præsertim mognopere utuntur spiritu salis ammoniaci lacteo, succinato, cui aquæ luciæ nomen imposuerunt. Pro compositione:

℞. Sal. Tartar. ℨiij. Ol. succin. rectific. ℨj÷
Terantur in mortario vitreo, guttatim successive instillando spirit. vin. rectific. unc. 4.

Infundantur in lagenam vitream leviter obturatam. Detineantur per quadrantem horæ super cineribus calidis. Liquor supernatans, dein provide decantetur & servetur usui, dein:

℞. Spiritus sal. ammon. cum calce viva parati unc. un. & sem.
Instillentur liquoris antea parati gutt. 60.

Usurpatur externe in omnibus morbis nervinis, languore, animi deliquio, & visionis imbecillitate, quo in casu manus aqua luciæ confricata oculis appropinquatur. In hydrophobia etiam laudatur intus assumpta ad gutt. 15. & ultra. Alcali causticum externe applicatum, & multa aqua dilutum veneni venerei contagium prohibere contendunt multi, quia hæc substantia cum celtici veneni particulis commixta novam qualitatem causæ huic morbificæ conciliat. Adnotanda hoc in loco; quæ in nuperrimo cl. Hunteri tractatu de Lue venerea prostant, ubi de remediis præservativis loquitur: *Omnia quæ cum materia venerea mi-*

*sceri*

ſceri poſſunt, illamque a partibus quibus inhæret, abradere valent, præſervativi remedii vices gerere poſſunt. Ob hanc rationem alcali cauſticum reliquis eſt anteferendum, miſcetur enim cum materia morboſa, cum qua ſaponis ſpeciem conſtituit; tunc leviſſima adhibita lotione veneni particulæ diſſipantur. Huic indicationi mirifice favet ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis urinoſus, ſive alcali fluor volatile cauſticum. Guttæ aliquot hujuſce vehementiſſimi cauſtici multa aqua dilutæ, pro lotione & injectione poſt venereos concubitus utiliter adhibentur. Fortaſſe huic doctrinæ primario innititur uſus internus potentiorum alcalinorum in curatione luis venereæ confirmatæ. Fortaſſe etiam ob ſuppoſitam veneni celtici aciditatem alcali commendatur, quia acidi neutraliſationem ſive deſtructionem procurat. Quidquid de memorata praxi ſentiendum ſit, variæ tamen obſervationes uſum internum alcalinorum cauſticorum ſuſpectum reddunt. Nam data etiam cauſæ aciditate, alcalina priuſquam lymphaticos canales ſubire poterunt, graviſſima reliquis partibus, præſertim ſtomacho & inteſtinis damna afferunt. Melius itaque erit tutiora & longo uſu probata remedia, potius quam dubia & incerta adminiſtrare.

## DE SALIBUS NEUTRIS.

S. Neutri.

DEscripta usque adhuc acida cum diverso alcali conjuncta, sive a variis alcalinis substantiis saturata Neutra gignunt salina corpora, quæ medium quasi locum tenent, & utriusque principii activitatem retinere prima facie videntur. Verum quamvis hoc verum sit, facultates neutrorum salium ab activitate præsertim acidorum omnino differre videntur; & contra virium diversitatem & salium actionem magis ab alcali, vel alio terreo aut metallico elemento, quam ab acido ipso pendere existimaverim. Ex. gr. quoad primam propositæ doctrinæ partem acidum vitriolicum simplex, & omni alia mixtura liberum, non modo alvum non movet, immo contra adstringendi vim exercet. Alcali fossile quamvis urinam moveat, nunquam vero, nisi ad magnam dosim augeatur, purgat per inferiora. Attamen sale mirabili Glauberiano, nempe substantia acido vitriolico & alcali fossili composita uberrima ipercatharsis obtinetur. Alcali vegetabile non est catharticum nisi addito acido vitriolico, cum quo tartarum vitriolatum constituit. Idem dicendum de sale cathartico amaro, sive sale epsomiensi, aliisque salibus neutris vitriolicis. Qualitatem tamen solutivam potius ab alcali, quam ab acido esse repetendam probat primo debilis quamvis, sed tamen certa & essentialis vis cathartica alcalino-

linorum ſimplicium, ſive omni vehementiorum acidorum conſortio carentium. Et ſane alcali foſſile, & reliqua alcalina aërata, non autem ſimpliciter calcarea, cremor tartari, & alia hujuſmodi, alvum mediocriter movent. Sed in ipſis alcalinis aëratis vis cathartica pendere poteſt ab acido aëreo cujus opera alcalina aërata in certo neutraliſationis ſtatu reperiuntur, atque in cremore tartari vehementior ſolutiva facultas ab acido tartari, cum alcali vegetabili combinato procul dubio oritur. Rurſum a diverſitate elementorum cum quibus acida copulantur, quæ inde naſcuntur ſubſtantiæ minime catharticam, ſed diverſæ prorſus naturæ activitatem adipiſcuntur. Et ſane vitriolum ab acido vitriolico & ferro compoſitum, valde irritantem, emeticam, adſtringentem, vel potius corroſivam, non vero catharticam facultatem aſſumit. Ab acidi muriatici combinatione cum mercurio oritur mercurius ſublimatus corroſivus venenata non ſolutiva qualitate præditus; contra ab eodem acido cum alcali foſſili copulato naſcitur ſal marinus vehementer catharticus. Peculiarem igitur indolem acida alcalicis, cum quibus intime conjunguntur ope neutraliſationis communicant, vel potius, mea quidem ſententia, catharticam alcalinorum fundamentalem proprietatem adaugent, ob manifeſtam quam in alcalicis mutationem inducunt.

Quomodo vero hæc mutatio eveniat, & unde qualitatis catharticæ in alcalinis incrementum oriatur, breviter explicare conabimur. Moderatæ omnes, leves, minimeque moleſtæ irritatio-

nes, inteſtinorum evacuationes gignunt, quidquid contra inſigni vehementia alvum ſollicitat, vel teneſmum, dyſenteriam, vel abſolutam ſtypticitatem affert, acida enim concentrata, & alcalina volatilia inſuperabilem alvi ſilentium generant. Et contra alcali volatile, quamvis cum acido fortiori conjungatur, nunquam tamen vim catharticam acquirit, uti manifeſte deprehenditur in ſale ammoniaco communi. Stimulum quotidianum, pro excrementorum evacuatione naturæ ſuppeditat principium alcalinum, cui inopportunam volatilitatem, quam a circulationis viribus mutuatur, in inteſtinis aufert bilis mixtio. Alimenta quæ ob propriam indolem, aut ob nimiam quantitatem corrumpuntur, evacuationes alcalinum fæditiſſimum odorem emittentes gignunt. Hinc ſi artis opera naturam imitari contendunt medici, ad ſubſtantias alcalinas confugere debent. Sed alcalina primigenia vel aërata ſunt, & ideo vel debiliſſimi ſtimuli vices gerunt & parce admodum alvum movent, vel deaërata ſunt, & cauſticorum activitatem poſſident. Adhibenda igitur ſunt alcalina acidis ſaturata, & quæ hac in forma neutrorum ſalium nomine diſtinguuntur. Alcalina hæc tempore neutraliſationis debiliſſimum acidum aëreum amittunt, atque eodem momento acidum majori activitate præditum aſſumunt. Hac ratione acidi vires ſtimulantes alcalinorum vires catharticas adaugent, & tamen moderate operantur; nam ſi acidi integra potentia inteſtina ſollicitantur effectus erit prorſus contrarius & loco evacuationis ſtypticitas obtinebitur. Ex dictis mani-

manifesto sequitur qualitates salium neutrorum magna ex parte inter se similes esse, quia alcalina eandem fere similemque inter se naturam habent. Numerosis tamen experimentis evincitur alcali minerale majorem quam reliqua alcalica, neutris activitatem communicare. Vehementius enim purgatur alvus sale glauberiano, & marino, quam sale digestivo simplici, aut tartaro vitriolato. His positis satis erit salium neutrorum enumerationem & usum generalem afferre; reliqua enim e formulis medicamentorum facile depromuntur. Ab acido itaque vitriolico cum diverso alcali, quæ obtinentur neutra sunt I. Tartarum vitriolatum ab acido vitriolico & alcali vegetabili compositum. Hujus synonyma sunt *sal enixum paracelsi*, *sal de duobus*, *arcanum duplicatum sal polychrestum*, *nitrum stibiatum*, *panacea Ducis Holsatiæ*, *nitrum vitriolatum*. Crystalla hexagona pyramidalia utplurimum exhibet. Siccitatem servat in aere etiam humido. Magnam aquæ portionem requirit, ut dissolvatur. In spiritibus vinosis solubile non est. Modus præparationis ex pharmacia eruendus. Secundo loco ab acido vitriolico, & alcali fossili oritur sal Glauberi. Ejus synonymon est *sal selliæ* in Calabria nativus. A. D. Bergman appellatur alcali minerale vitriolatum; in aquis (scribit) interdum adest. In Siberia & Regno Astracano nonnulli lacus illud vehunt, pluresque alibi fontes. Crystalla hexagona exhibet. In aëre siccus evadit, pelluciditatem amittit. Solvitur in aquæ calidæ pondere æquali. Fusilis temperato calo-

re; unde a ſale epſomienſi diſcrepat, quod nullo caloris gradu fundi poteſt. Tertium occupat locum alcali volatile vitriolatum, ſive ſal ammoniacus vitriolicus, ab acido vitriolico & alcali volatili compoſitus. Salibus vitriolicis perfecte neutris, ab acido nempe & alcali compoſitis, uſque adhuc deſcriptis adjungi debet ſal catharticus amarus, ſive anglicus, vel epſomienſis, qui quamvis ad ſales medios terreſtres pertineat, nam magneſiam acido vitrioli copulatam pro baſi habet, tamen quia a vitrioli acido gignitur, & vulgatiſſimum catharticum in praxi præbet, ideo hoc in loco adnotari debebat. Appellatur aptiſſima definitione a D. Bergman *Magneſia vitriolata*. In aquis Angliæ, Bohemiæ, aliarumque regionum non raro hoſpitatur. Hic ſal aquæ calcis immerſus mox decomponitur, quo ab alcali minerali vitriolato facillime diſtinguitur.

S. neutrorum usus.

Salinis neutris modo enumeratis frequentiſſime in praxi medici utuntur ob ſolutivam, inciſivam & reſolventem qualitatem, ab omni irritatione ſejunctam. Tartari vero vitriolati ſive ſalis polychreſti vires inciſivæ, deobſtruentes & antifebriles, catharticæ qualitati anteferuntur, quia tartarum vitriolatum ob debiliſſimum vegetabile alcali, etiam ad magnam doſim exhibitum, vix tamen alvum purgat. Doſis ideo eſt a granis viginti, uſque ad drachmas duas; quia hac ratione humorum ſpiſſitudinem imminuit, primarum viarum debilitatem roborat, vitioſam bilis phlogiſticationem emendat, & ſimul criticos naturæ conatus in primo & ſecundo morbo-

rum

rum febrilium ſtadio, ſalutareſque cauſarum morbificarum coctiones minime perturbat. Moderatæ etiam tartari vitriolati doſes poſſunt puerperis & mulieribus menſtruorum defectu laborantibus, utiliter propinari. Juvat demum eodem neutro uti in puerorum cruditatibus, & præſertim in depravata lactis digeſtione; & tunc doſis erit a granis decem, uſque ad viginti. Cæterum nunquam aut pro valde efficaci, aut pro eradicativo remedio haberi debet. Inter cathartica ſalina, primarium certe meretur locum ſal mirabilis Glauberi, quia dum mitiſſimas minimeque ſtimulantes poſſidet qualitates, majori activitate alvum ducit, nam componitur ſubſtantia alcalina magis per ſe laxativa, & quæ ideo majorem ab acido incidendi proprietatem mutuatur. Hoc neutro paſſim utimur loco ſalis epſomienſis nativi, quamvis non ſemper ſal Glauberianus quoque purus obtinetur; ſed ſpecies illa, quæ poſt ſalis marini compoſitionem obtinetur venalis proſtat, neque quoad effectum tutiſſima eſt. In noſtris regionibus ob abundatiam ſalis ſelliæ, nempe ſalis Glauberiani nativi, hujus neutri uſus minime ſemper ſuſpectus eſt. Doſis hujuſce ſalis eſt a ſemuncia, uſque ad unciam unam & ſemis, atque reiterari poteſt per intervalla, pro re nata. Non raro uncia una ſalis Glauberiani, copioſiſſima aqua diluta, diverſis horis propinatur, ut actio medicamenti mitiſſima evadat. In acutorum principiis, poſt emetici adminiſtrationem ſolet adhiberi. Verum in primo ſeptenario ab primarum viarum repletionem, ob generalem ſolidorum corrugationem,

 atque

atque ob vehementiſſimam ventriculi conſtrictionem, etiam a ſalibus neutris omnibus abſtinendum. Contra poſt abſolutam coctionem, ſi purgare per inferiora oportebit, optimum certe conſilium erit uti ſale Glauberiano. Magnopere ab exteris medicis laudatur laxativa hujus neutri facultas, adverſus colicam, & iliacam paſſionem. Sed in memoratis affectibus, qui ſpecifica fere activitate olei ſeminum Ricini curantur, inutile profecto erit ad cathartica ſalina confugere. Qui aperientem & diureticam efficaciam ſalis Glauberiani ſummis extollunt laudibus, parvas doſes trium vel quatuor drachmarum exhibent nephriticis, calculoſis & mulieribus difficili menſtruatione vexatis: neutra reliqua ab acido vitriolico parata libenter prætermittimus, quia nullum præcipuum in medicina uſum habent.

Nitri uſus.

Ab acido nitroſo, & alcali vegetabili oritur nitrum commune, ſive alcali vegetabile nitratum, de cujus origine nonnulla dicta ſunt ubi de acido nitroſo ſermonem inſtituimus. Cæterum nitrum commune, uti loquitur Cl. Bergman, in ſuperficie telluris oritur, ubi vegetabilia, præſertim partibus animalibus mixta, putreſcendo deſtruuntur. Nitrum cryſtalla priſmatica hexagona aſſumit. Non facile deliqueſcit. Per phlogiſton expeditiſſime decomponitur, atque operatio hæc appellatur proprie nitri detonatio. Eſt fuſile modico in calore. Cum aqua maximum frigoris gradum excitat. Ab acido rurſum nitroſo, & alcali foſſili oritur nitrum cubicum, quoad vires a nitro communi parum diverſum.

Cry-

Cryſtallis potius rhomboideis conſtat. Vires nitri, juxta communem ſententiam ſunt primo refrigerantes dein diureticæ, aperientes, uterinæ; ideoque multorum medicamentorum antifebrilium baſim conſtituit nitrum depuratum. In febribus ideo inflammatoriis paſſim propinantur moderatæ nitri doſes cum copioſa aqua. Ad duas ex. gr. drachmas quotidie uſurpatur & per intervalla. Nonnulli in mere inflammatoriis nitrum purificatum potionibus acidis, gelidæque aquæ adiiciunt, cum magno equidem ægrotantium emolumento. Facultas antiphlogiſtica neutri hujus in morbis mere inflammatoriis pendet ab acido nitroſo, cujus particulæ propriam cum phlogiſto morboſo actionem exercent; ſimulque præternaturalem calorem ſummopere imminuunt. Inflammationes ideo adhibito nitro comuni, vel acido nitroſo ſimplici, uti ſupra dictum eſt, miteſcunt quia incipienti fluidorum phlogiſticationi acidum nitroſum opponitur, unde phlogiſti quantitatem, quam ad ſe attrahit, ab humoribus ſeparat, & propoſitam indicationem abſolvit. Caloris ſimul latentis evolutio, quæ phlogiſti ope eveniebat, & ejuſdem principii periculoſa exhalatio, hoc remedio prohibetur, & ita primarium vitæ fundamentum minime a corpore ſecedit. Magna vero prudentia, diligentiaque opus eſt, ut nitri operatio in morbis inflammatoriis, intra certos limites coerceatur; nam ſi per longum tempus, abundanterque admodum ſubſtantia phlogiſti avidiſſima corpori committitur in quo cauſa ejuſdem naturæ, nempe cauſa phlogiſtica, primum activitatis ſuæ

gra-

gradum ostendit & per stadium inflammatorium excurrit, a phlogisti incremento novaque substantiæ phlogisticantis accessione morbus inflammatoria demissa indole, in affectum mere phlogisticum mutatur. Hinc in erysipelate & anthrace maligno nitrum potius noxium quam bonum effectum gignit; atque deleteriam prorsus activitatem ostendit in morbis omnino phlogisticis; uti sunt acutissimi malignique affectus a paludum exhalationibus æstivo tempore pendentes. Ubicumque nitrum gelidæ aquæ immixtum administratur, urinas vehementer movet, & calculosis ac nephriticis efficaciter opitulatur. Hisce in casibus ad drachmam unam aut alteram quotidie exhiberi potest cum decocto foliorum *solani*, cum sero lactis, aliisque aptioribus vehiculis. Hydropici sæpenumero sublevantur exhibito nitro, aut simpliciter, aut cum cremore tartari, vel sale polychresto. Sæpe nitri drachmas duas cum æquali salis polychresti quantitate in tres doses divisas propinare singulis diebus consuevimus leucophlegmaticis & asciticis. Doses uberiores semper vitandæ, quia periculosum frigus inducunt, ob rationes superius allatas. Frigore lethali corripiebatur mulier, quæ integram nitri depurati unciam loco salis Glauberiani assumpserat; testante in suis doctissimis observationibus Cl. Edinburgensi medico Alexandro. Nitro passim utuntur in gonorrhæa virulenta medici illi, qui fluxum morbosum in principiis semper augendum esse contendunt. Revera tamen nitrum in hoc casu non solum diureticam, verum-

etiam

etiam antiphlogisticam facultatem exercet, nam in hac ægritudine canalis urinarii præcipua inflammatio adest. Medicamenta quæ in Icteri curatione usurpantur, sæpenumero nitrum pro basi habent; quia per urinæ vias non raro morbus judicatur, atque urinæ admodum rufæ refrigeratorium remedium postulare videntur. Pilulæ ideo saponaceæ, cum terra foliata tartari, & nitro parantur; atque potiones refrigerantes Ictericorum nitro constant, uti ex. gr. est aqua *ex albo albi* dicta, quæ componitur sequenti ratione:

℞. Aqu. Gramin. offic. unc. quinque;
Sapon. hispan. grana quinque,
Nitr. depurat. scrupulum unum,
Sacchar. alb. drachm. duas. M.

Hæc potio refrigerans & diuretica, per plures dies Ictericis propinatur, cum aliqua certe utilitate. Remedia emmenagoga, quæ scilicet in defectu sanguinis menstrui commendantur, aperientibus vegetabilibus, simulque nitratis parantur. Nitri enim parciores doses, iterato exhibitæ sanguinem uterinum cum aliqua efficacia evocare valent. Atque hæc de nitri communis usu dicta sint satis; superest ut nonnulla adiiciamus de nitro stibiato, in recenti Neapolitanorum praxi usitatissimo certe præsidio. Aqua quæ pro repetitis antimonii diaphoretici nitrati lotionibus adhibetur, per filtrum traducta & lento igne evaporata, usque ad cuticulæ in superficie generationem, si in loco frigido detinetur crystalla exhibet, quæ nitri stibiati nomine donantur. Nitrum stibiatum generatur a deflagratione sulphu-

Nitri stibiati usus.

phuris antimonii cum nitro, uti accidit in generatione salis polychresti, a quo differt tantummodo, quia aliquam calcis antimonialis proportionem continet. Passim in febribus inflammatoriis, biliosis, erysipelate, uteri valida post partum irritatione & similibus omni bihorio, aut omni quadrihorio propinantur grana decem vel quindecim nitri stibiati. Effectus admodum ambiguus videtur, quandoquidem neque urinæ multum augentur, neque sudor copiosus excitatur; nam in hac compositione basim constituit sal polychrestum: quod si calx antimonii cum nitro copulatur, a tenui admodum hujus substantiæ quantitate nulla profecto utilitas expectari debet. Antimonium contra diaphoreticum, ab omni etiam nitro sejunctum magni certe momenti vires possidet, uti suo loco ostendemus. De nitro cubico ab acido nitroso & alcali fossili composito, de sale ammoniaco nitroso ab acido nitroso & alcali volatili facto, atque de sale digestivo sylvii, qui oritur ab acido muriatico & alcali vegetabili, nihil adiiciam, sunt enim composita salina, quæ nunquam a practicis usurpantur.

Sal marinus.

Sal communis, sive sal gemmæ, sal marinus vel muria constat acido muriatico & alcali fossili. In cubos concrescit, qui si purus sit, in nulla aëris constitutione figuram mutant. Est antisepticus; experimenta enim Pringliana cum sale culinario, multa terra referto instituta fuerunt. Sal communis a Cl. Bergman appellatur *alcali minerale salitum*, in Schiagraphia, ubi

ubi ait; *uberrimum reperitur tam in terra efficiens strata, plus minus crassa ( sal gemmæ ) quam in Fontibus ( sal fontanus ) & lacubus, nec non in magno Oceano ( sal marinus ) solutus*. Majori efficacia quam reliqua neutra alvum purgat sal marinus, ob copiosum alcali minerale. Hinc unciæ decem aut duodecim aquæ marinæ copiosas evacuationes afferunt, & pecuIiarem etiam resolvendi qualitatem possident. Uncia una aut altera salis communis in aqua soluta feliciter purgantur rustici in morbis biliosis, & ubicumque alvum movere oportet. In alvi fluxu immodico a ciborum corruptela pendente, alvus sale præsertim marino compescitur, quia succi gastrici vices gerit. Immo in languida admodum digestione, vires ventriculi augentur & stomachus firmatur sale marino, cum alimentis, condimenti loco, copiosius ingurgitato. Recentiores enim observationes declararunt succi gastrici basim sale marino constare. Ab eadem substantia in multis mineralibus aquis existente multarum thermalium fontium tonica, roborans & præsertim stomachica activitas pendet. Natura vero huic neutro resolutoriam & simul tonicam facultatem largita est; nam alimenta in ventriculo a sale marino emollita tanquam a peculiari menstruo, cujus vices gerunt particulæ alcalinæ, acidi dein activitate a vitiosa corruptione servantur. Fortasse acidi etiam marini in corpore humano existentia periculosam & sæpius lethalem phlogisti multiplicationem prohibet? Fortasse mercurii sublimati corrosivi efficacia in curatione morbi ve-

Salis marini usus.

venerei ab eodem principio pendet; acidum namque marinum phlogisti avidissimum tenacem viscidam & ideo phlogisticam luis venereæ causam ad se attrahit & per urinæ vias emittit. Mercurius tunc phlogisto etiam saturatus certam revivificationem subire debet, uti nonnulli scriptores suspicati sunt. Sed de hoc argumento suo loco differendum. Insignis rursum facultas resolvens salis marini, & peculiaris efficacia, quam hoc præsidium ostendit in præternaturali humorum dénsitate evidenter probatur admodum proficuo aquæ marinæ usu adversus obstructiones viscerum naturalium & præsertim adversus tumores scrophulosos, qui a morbosa lymphæ cohærentia oriuntur. Scrophulæ enim balneo marino, aqua marina intus assumpta & frictionibus mercurialibus feliciter curantur. Qui ob hepatis aut lienis obstructionem leucophlegmatici vel ascitici fiunt, usu interno aquæ marinæ perfecte aliquando sanantur. Mulieres, quæ ob sanguinis menstrui defectum, nempe ob adauctam particularum rubrarum spissitudinem chloroticæ fiunt epota ad uncias quotidie decem & ultra aqua marina pristinam sanitatem acquirunt. Mitto salis marini usum chirurgicum.

*De sale ammoniaco.*

Sal ammoniacus communis, constat acido muriatico & alcali volatili. Obtinetur ex omnibus fuliginis speciebus per sublimationem vel solutionem. Sequentes possidet proprietates. In aqua solubilis. Aeri expositus deliquescit. In aqua solutus, menstruum ita disponit, ut majorem sublimati corrosivi proportionem dissolvere valeat. Cum sale communi in aqua solutus, insi-

gne

gne generat frigus. In ſpiritibus vinoſis eſt ſolubilis. In modico calore fuſilis. Neutro hoc ſale frequenter medici utuntur ob ſummam volatilitatem particularum alcalinarum, unde ſal ammoniacus totum pervadit corpus, fluidorum nimiam cohæſionem imminuit, circulationem adauget, ac proinde vel ſudorem copioſum vel uberiores urinas affert. In lentis ideo febribus, intermittentibus præſertim, utiliter adhibetur a ſcrupulo ad drachmas duas quotidie; ſæpe etiam in febribus cum cortice peruviano utiliter copulatur, & fortaſſe febrifugi activitatem adauget. Doſes largiores alvum vehementer ſubducunt. Noſtrates Medici ſale ammoniaco communi utuntur in omnibus febribus indiſcriminatim, & pauca tantum grana adhibere ſolent. Flores dicti ſalis ammonici, qui celeri vehementique ſublimatione obtinentur, a ſale ammoniaco puro nullo modo differunt. Ubi ſudoris evacuatio deſideratur ſal ammoniacus una cum infuſo calido florum Sambuci, radicis Bardanæ & ſimilibus exhibetur. Cum potionibus contra frigidis diureticam facultatem aſſumit. In faucium lymphatica præſertim congeſtione gargariſmate utimur ex eodem ſale. Tumores duriſſimi broncocele dicti, ſi ſolutione ſalis ammoniaci frequenter foventur, ſæpe integre diſſipantur. Qui ſublimatum corroſivum interne adhibent mercurium cum ſale ammoniaco conjungunt, ut medicamenti actio facilior reddatur. De ente veneris, panacea cinnabarina, floribuſque ſalis ammoniaci martialibus alio in loco diſputabimus. Ammoniaci effectus, qui in

pra-

praxi obſervantur nunquam aut valde ſenſibiles aut certi ſunt; ob particulas tamen inſigniter volatiles ac penetrantes, inter præſidia reſolventia & diſcutientia, non infimum meretur locum.

Tartarum regeneratum, tartarum ſolubile, & ſal diureticus ſunt ſynonyma ejusdem neutri ab acido vegetabili & alcali vegetabili compoſiti. Cum reliquis neutris omnino convenit & mitiſſime operatur alvum ſolvendo. Solubilis eſt in ſpiritibus vinoſis; cum oleis gummi & reſinis conjungitur; ac metalla in ſpiritibus vinoſis ſolubilia reddit. Magnopere laudatur tanquam catharticum mite & validum diureticum a ſcrupulo uno uſque ad duas drachmas exhibitum. Lenior certe actio pendere debet a minori acidi & alcali vegetabilis proportione, unde non adeo valida oritur in corpore irritatio.

Sal Rupellenſis ab acido vegetabili & alcali foſſili factus idem eſt cum ſale polychreſto *de la Rochelle*, vel ſale *de Seignette*. Non tam facile deliqueſcit ac tartarum regeneratum; atque inter mitiſſima cathartica collocatur. Hujuſmodi tamen ſales, uti tartarum regeneratum, & ſal Rupellenſis nunquam cum acidis aut fortioribus aut magis concentratis copulandi; in hoc enim caſu integre decomponuntur.

Spiritus Mindereri.

Poſtremum inter neutra ſalina locum occupat ſal ammoniacus vegetabilis, vulgo ſpiritus Mindereri dictus, atque ab acido vegetabili & alcali volatili compoſitus. Appellatur quoque ſalſilago ammoniacalis acetoſa. Componitur vero ſequenti ratione:

℞.

℞. Aceti vini diſtillati acerrimi unc. 2. Inſtilla paulatim ſal. ammoniac. cum ſale tartari, vel ſpiritus cornu cervi qu. ſuffic. ad ſatur. plenar. aſſerva in vitro probe clauſo. Simplicior formula eſt:

℞. Aceti diſtillati quant. plac. Inſtilla paulatim, ſubinde agitando ſpirit. ſal. ammon. cum calce viva parati quantum ſufficit ad juſtam & perfectam ſaturationem. Doſis eſt a drachma dimidia uſque ad duas, cum ſyrupo quodam, vel cum aliis remediis. Cl. Pingle plurimum mixtura hac ſalina utebatur in febribus acutis, ad reſolvendam humorum tenacitatem, atque ad procurandam diaphoreſim. Decantatæ adeo vires non integre obſervationibus confirmantur. Sæpe tamen vidi ſummam utilitatem ſpiritus Mindereri externe confricati in vehementioribus rheumaticis doloribus. Quæ nuperrime a ſcriptoribus memorantur circa uſum hujus præſidii, breviter hoc in loco adnotari merentur. Spiritus itaque Mindereri *Aſæ fœtidæ vires præcipuas antiſpaſmodicas, reſolventes inſigniter auget & ſecundat, in obſtructionibus viſcerum, in menſium ſuppreſſione & aliis ſanguinis fluxibus: in aſthmate, tuſſi ſuffocativa; morbis hyſtericis. Hinc conſulto Millar Aſæ fœtidæ uncias duas in hujus ſpiritus uncia una ſolvendas ſuadet, & cum aliquot unciis cujusdam aquæ diſtillatæ miſcendas, ut infantes omni bi-tri-horio aliquot cochlearia parva ſumant, & adulti majora*. Multa non adeo neceſſaria libenter prætermittimus.

## SALES METALLICI.

S. metallici.

METallorum particulæ ab acidis solutæ, vel a peculiari erosione decompositæ salinas generant substantias, quæ phlogiston metallicum cum acido copulatum pro basi habent. Et quemadmodum neutri sales acutissimam & corrosivam acidorum qualitatem imminuunt, quia alcali relicto acido aëreo quo saturabatur, intime cum acido combinatur; sic contra ubi acidum, metallum phlogisto copiosissimo semper refertum offendit, phlogisticatur insigniter & corrosivam vim nanciscitur. Substantiæ illæ, quæ cum phlogisto affinitatem habent, si acido saturantur, salem acerrimum & corrosivum constituunt, uti accidit in argilla, quæ ob affinitatem quam cum phlogisto gerit, si cum acido vitriolico combinatur, alumen acerrimum componit. Hac itaque ratione non adeo difficile erit intelligere cur ab iisdem acidis, a quibus mitissimi neutri sales exurgunt, combinatione cum alcalinis instituta, dum eadem acida metallicis corporibus adhærent, salibus corrosivis originem præbent. Hoc etiam ulterius probatur exemplo salium neutrorum, qui ab alcali volatili & acido componuntur. Hujusmodi enim sales acutissimi & pungentissimi sunt, quia alcali volatile procul dubio constat simplici sale alcalino, omni acido spoliato; componitur nempe substantia mere phlogistica, salina.

Dum

Dum opera calcis vivæ e ſale ammoniaco educitur alcali volatile, particulæ alcalinæ phlogiſto calcis vivæ ſaturatæ vehementer corroſivæ redduntur. Hæc neceſſaria prorſus videbantur ut differentia inter ſalina neutra & ſalina metallica quodammodo innoteſceret; progrediamur modo ad hiſtoriam vitriolorum. Et primo vitriolum cæruleum, quod idem eſt ac vitriolum Romanum, vitriolum veneris, vitriolum cyprium, eſt artis utplurimum productio, quæ conſtat acido vitriolico & cupro. A Cl. Bergman appellatur *cuprum vitriolatum*; reperitur omnibus in locis, in quibus pyrites cupri adeſt. Cryſtalla depreſſa, rhomboidea habet. Saporis eſt adſtringentis, acris, ingratiſſimi. Eſt fuſile, & in magno caloris gradu calcinatur. Cæterum nomen genericum eſt cuprum vitriolatum, quia cuprum baſim ſalinam conſtituit. Vitriolum viride eſt ſalinum metallicum ab acido vitriolico & ferro compoſitum; dici itaque debet *ferrum vitriolatum*. Synonyma ejus ſunt vitriolum martis, vitriolum anglicum, & ſal martis. Eſt nativum, ſed plerumque per artem paratur. Cryſtalla pellucida rhomboidea exhibet. Saporis eſt adſtringentis, ſubdulcis. Calcinari poteſt. In aqua facile ſolvitur, ſedimentum deponens. Denique vitriolum album conſtat acido vitriolico & zinco; eſt ideo *zincum vitriolatum*. In fodinis reperitur atque ſaporis eſt ſubdulcis & adſtringentis. Ad uſum medicum vitriolorum externum aut internum quod attinet, caute omnino incedendum, omnes enim ſales metallici cauſticam, inflammatoriam,

Vitriolum cæruleum.

Vitriolum album.

Uſus vitriolorum.



ideo-

ideoque ſemper irritantem vim poſſident. Phlogiſticatur enim acidum a phlogiſto metallico, cum quo perfecte combinatur. Hinc eſſentialiter ſalibus metallicis ſtomachus perturbatur. Vitriolis vomitus excitatur; ventriculum erodit mercurius ſublimatus corroſivus. Cur itaque vitriolum cupri aut ferri commendetur a recentiſſimis medicis, ad vomitum procurandum in Phthiſi pulmonali, prorſus ignoro? A multis etiam laudatur vitriolum martis ad drachmas duas cum terebinthinæ ſufficienti quantitate trituratum, ac deinde quatuor aquæ libris ſolutum, & quotidie copioſe exhibitum in memorato pulmonis morbo. Verum loco vitrioli, tutius ſemper erit acidum vitriolicum ſubminiſtrare. Decantatam adeo vitrioli martis activitatem adverſus hæmorrhagias omnes, & præſertim adverſus fluxum hæmorrhoidalem, diarrhæam ac dyſenteriam raro in auxilium advocari debere exiſtimarem; nam primo ſanguinis fluxus accidentaliter evenientes nullo adhibito remedio, ipſa virium debilitate compeſcuntur; fluxus illi, qui criticam evacuationem conſtituunt, nunquam fere compeſcendi ſunt; multi denique, qui ab acri, ſcorbutica, vel corruptoria cauſa oriuntur, aliis prorſus præſidiis curantur. Fluxus dyſenterici, diarrhææ & ſimilia ſalibus vitriolicis tractari non debent, quia irritationem, ſive ſpasmum pro cauſa agnoſcunt. Hujus naturæ perturbationes dulcibus, anodynis, & præſertim balneo ac lacte curantur. De ſtomachi debilitate, & obſtructionibus viſcerum naturalium nihil profecto adiiciam; hiſce enim in caſi-

ſibus ſemper a ſalibus metallicis abſtinendum. In externa vero vitriolorum adminiſtratione paſſim chirurgi verſantur; injectiones enim, collyria opthalmica, lotiones & unguenta ex vitriolis parata uſurpantur in gonorrhæa virulenta, oculorum inflammatione & ulceribus ſordidis. Injectiones in urethram factæ cum vitriolo albo, aut viridi & aqua roſarum in recenti gonorrhæa plerumque noxiæ, verſus finem morbi ſalutares redduntur, quia in vigore morbi magnum inflammationi momentum adiiciunt vitriolica, & omnia adſtringentia. Subſidente inflammatione ſtimuloque ſublato, quæ ſupereſt partium debilitas vitriolo tollitur. Neque ſimpliciter gonorrhæa inopportune ſiſtitur injectionibus adſtringentibus, verum frequenter in moleſtiſſimum ſpermatocele ægri incidunt. Hoc vero in caſu videndum num ſimplici inflammatione teſtes, & potius membranæ teſtium afficiantur, vel hic morbus a venereo veneno ad teſtes delapſo ortum ducat. Utplurimum vero ſpermatocele, mea quidem ſententia, mere inflammatorius a ſtimulo & per conſenſum ortus morbus eſt; neque a veneno venereo immediate excitatur. Aquarum opthalmicarum plures extant formulæ, quæ collyria exſiccantia, detergentia, & uti vulgo dicitur, refrigerantia componunt. Celeberrima aqua ophthalmica cærulea, ſive ſaphirina, vel famoſa Taylori ſequenti ratione componitur. ℞. ſal. ammon. depur. drachmas duas. aqu. calc. viv. rec. unc. 12. ſtent ad ſolutionem uſque in vaſe cupreo, vel cum bracteis aliquot cupri, donec aqua colorem ſa-

phirinum acquisiverit per 24. horas; a quo aqua colorem saphirinum nacta filtretur & servetur usui. Usus externus aquarum vitriolo saturatarum ad sistendas hæmorrhagias, & præsertim in artuum amputationibus, jam exolevit; etenim vitriolo magnis canalibus insperso sæpe periculosæ inflammationes, & magis etiam periculosæ suppurationes supervenire solebant.

Lapis infernalis.

Acido nitroso & argento componitur substantia salina metallica, quæ *crystallorum lunæ*, *lapidis infernalis*, vel *caustici lunaris* nomine dignoscitur. Vim possident insigniter causticam crystalla lunæ, & tantum externe adhibentur in curatione ulcerum sordidorum, & pro destructione carnium fungosarum, quibus ulcerum sanatio retardatur. Superficies itaque carnium flaccidarum & informium a chirurgis lapide infernali aduritur, & prima secedente lamina, renovatur operatio, usque ad integram cicatrisationem, quæ ideo acceleratur, quia non solum debilissimæ destruuntur fibræ, verum etiam quia caustici actione carnes irritatæ solidiores firmioresque redduntur. In venereis vero ulceribus, si lapide infernali utimur, ob irritationem ulceris veneni absorptio citissime accidit, & statim glandulæ inguinales in bubones intumescunt. Hoc vero non cum caustico tantum lunari, sed & cum reliquis etiam escharoticis evenire consuevit. Verrucæ demum lapide infernali tractatæ vel extirpantur, vel suppuratæ decidunt.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Principem inter salina metallica locum tenet mercurius sublimatus corrosivus, ab acido muriati-

tico & mercurio compositus, & insigni corrosiva & admodum venenata qualitate præditus. Colorem habet album; in spiritibus vinosis facile solvitur, parcius in aqua. Quamvis ad præparata mercurialia pertineat, qualitates tamen ejus hoc in loco recenseri debent, quia nunc proprie de salibus metallicis sermo est. Vetustiores medici mercurium sublimatum corrosivum merito inter venenis adnumerarunt, atque ab ejus usu interno penitus abstinuerunt. Causticitate etenim sua ventriculum primario inflammat, dein corrodit, ejusdemque naturæ damna intestinis affert. A vehementiori actione vomitus excitatur, os intumescit, fauces inflammantur, convulsiones superveniunt. Primus omnium Boerhaavius facultatem antivenercam essentialem sali huic metallico inesse suspicatus est, & pro usu interno, reliquis mercurialibus anteferendum remedium obtineri posse dubitavit. Tanti viri auctoritate permotus Swietenius specificum antivenereum suo nomine insignitum, nempe solutionem sublimati corrosivi in spiritu frumenti proposuit. Juxta Cl. viri formulam mercurii sublimati corrosivi grana 12 solvuntur in spiritus frumenti unciis 24; de qua mixtura dantur mane & vespere cochleare 1. 2. 3. superbibendo unc. *6.* ad 12. decocti cujusdam demulcentis ex. gr. Hordei, Bardanæ &c. magnam copiam. Alii mercurium sublimatum non in spiritu frumenti, sed in spiritu vini, alii denique in aqua simplici solvunt. Specificum Swietenii omnes indistincte sequuti sunt medici, neque propriis ob-

 ser-

servationibus aliquid novi huic praxi adiicierunt. Eodem specifico & ipse multis abhinc annis luem veneream confirmatam debellare conatus sum. Mercurium sublimatum spiritu vini solutum sæpe magno cum emolumento exhibui; criticos sudores & judicatorias urinas obtinui. Pilulas eodem remedio, additis simul opiatis, non sine optimo successu adhibui. Verum progressu temporis non pauci se se obtulerunt casus, in quibus post perfectam morbi venerei curationem periculosissimi sanguinis sputus supervenerunt in nonnullis; alii rursum macie confecti, perfectam ventriculi erosionem, & absolutam perforationem post mortem ostenderunt. Cum igitur de gravissimis a corrosiva substantia provenientibus damnis, & simul de insigni ejus antivenerea activitate serio cogitarem, usum externum ad examen revocare constitui; etenim ab inversa actione non modo innocuum verum etiam utillimum effectum expectari posse existimavi. Magni sane momenti argumentis mea innitebatur sententia. Mercurialia externe applicata & per cutim suscepta, quibuscumque præparationibus intus assumptis anteferenda sunt; juvant enim semper nec unquam nocent; quia per vasa lymphatica in totam cutis superficiem hiantia recta feruntur ad glandulas conglobatas, nempe lymphaticas, quæ a causa venerea primario afficiuntur, & pro morbi sede haberi debent. Mercurialia lympham veneno venereo inspissatam attenuant, & in hac actione decomponuntur propriamque naturam, magna ex parte

amit-

amittunt. Tunc dum ad interna organa perveniunt, & sanguinem intrant, nempe ubi ad loca pertingunt omni venerea labe carentia, nullam exercere activitatem poterunt. Si enim mercurialium vim integram persentiunt partes veneno venereo destitutæ, statim essentialia exurgunt & valde periculosa incommoda; uti certe accidit ubi mercurialia per os assumuntur. Horum namque remediorum noxia efficacia internæ partes & sana organa vexantur, & quod etiam magis interest, mercurius post labefactatam perturbatamque recte valentium organorum œconomiam, majori efficacia sua, ac propria antivenerea actione spoliatus, humoribus lue venerea depravatis miscetur, sine ullo ægrotantium aut saltem parvo levamine. His ita se habentibus, ut certa vitarentur incommoda, certaque utilitas exurgeret, externum sublimati corrosivi usum instituendum curavi; aliaque aptiori excogitata methodo experimenta felicissimo cum successu institui, & post certum tempus numerosissimas observationes curationumque eventus cum publico communicavi. Simplicissima admodum ratione mercurius sublimatus corrosivus externe administratur. Unguenti primo sive linimenti formula, ita profecto se habet:

℞. Mercur. sublimat. corrosiv. drachmam unam, axung. porcinæ n. r. unciam unam m. triturentur simul in mortario vitreo vel marmoreo per hor. vi. ut f. l. a. linimentum.

Semidrachma, aut drachma una descripti modo linimenti plantis pedum tantummodo, vesper-

ſpertinis horis confricantur & per plures dies adminiſtratur remedium, augendo doſim uſque ad drachmas duas pro ſingulis frictionibus. Balnea tepidiuſcula tempore curationis vel quotidie, vel frequenter ſane adhibita utillima ſunt; uti etiam decoctum lignis antivenereis compoſitum & pro potu quotidiano uſurpatum, nimiam ſæpe medicamenti activitatem emendat. Mutationes quæ in corpore ægrotantium tempore frictionum eveniunt, admodum conſtantes ſunt; nam fere ſemper primis diebus urinæ copioſiſſimæ excernuntur, poſtea albicantes fiunt, ac deinde uberrimum cinerei coloris ſedimentum deponunt; & hac mediante evacuatione morbus perfecte judicatur. Salivatio nunquam oritur, ſudores raro excitantur, rariſſime etiam alvus ſolvitur; & ante curationis terminum nutritio augetur, & amiſſus carnium naturalis color reſumitur. In omni confirmata vel incipienti lue, in gonorrhæa, ulceribus penis, bubone inguinali, tumoribus oſſium, faucium ulceribus, nocturnis doloribus, graviſſimiſque aliis ejuſdem morbi accidentibus tutiſſimum, feliciſſimum, jucundum & certe erudicativum remedium ſuppeditant frictiones unguento e ſublimato corroſivo compoſito, inſtitutæ. Adverſus deſcriptam methodum inſurrexerunt jam dudum vulgares medici, qui dum uſum externum mercurii ſublimati, tamquam pernicioſiſſimum pharmacum damnant, eodem remedio interne utuntur, non ſine magno ac certo ægrotantium periculo. Sed opinionum commenta delet dies, & ſophiſmata Neapolitanorum

nume-

numerosis per totam Italiam institutis feliciter experimentis penitus evertuntur. Videndum modo cur mercurius sublimatus corrosivus activitatem reliquis mercurialibus anteferendam possideat, per se; nam de merculialium externorum actione magis proficua nemo inter rationales medidicos dubitare audet. Merculiaria salina primum omnium efficaciora sunt, vehementiorem activitatem possident, & quam celerrime manifestum effectum gignunt. Calces mercuriales & inter reliquas *mercurius calcinatus per se*, *sive præcipitatus per se*, summam activitatem ostendunt. Sales mercuriales & calces mercurii tantam vim habent ut corrosiva semper composita esse deprehendantur. Sed mercurius salinus & mercurius calcinatus phlogisto, nempe principio inflammabili caret, illoque acidi ope vel ignis actione privatur, hinc mercurii major efficacia a phlogisti defectu pendet. Hoc confirmatur fundamentali observatione, nam efficacia & vis antivenerea mercurii sublimati corrosivi insigniter a viribus mercurii dulcis differt, quia sublimatus addito novo mercurio, ob phlogisti restitutionem valde corrigitur atque mitescit. Acidum etiam salis marini eodem principio supersaturatum, vim etiam pungentem magna ex parte amittit. Hinc mercurius salinus, nempe in statum calciformem ab acido marino redactus dum a lymphaticis cutaneis absorbetur & recta ad glandulas conglobatas perducitur, lympham offendit a causa venerea principio inflammabili, sive principio tenacitatis refertissima præternaturaliter inquinatam.

Pro-

Propria hinc affinitate cum tenaci lympha phlogisto saturata conjungitur, illamque fluidiorem ac satis meabilem reddit. Tenacissimæ profecto lymphæ venereæ particulæ, a sublimato corrosivo plantis pedum applicato, cum urina extra corpus feruntur; ac primis diebus urina tantum albicans & opaca, sine ullo sedimento excernitur; progrediente dein curatione albæ urinæ admodum sedimentosæ redduntur. Tanta enim copia lymphæ venereæ elementa sublimati actione soluta in urina suspenduntur, ut frigefacto, & extra corpus quiescente lotio, major horum morbificorum elementorum quantitas sedimenti forma matulæ fundum petere cogatur. Hæc vero sublimati corrosivi operatio tuta & eradicativam curationem afferens, raro aut a frictionibus simplici hydraygro, aut ab internis mercurialibus obtinetur, ob rationes modo allatas. Immo si mercurialia excitato copiosissimo sudore sanitatem ægris absolutam promittunt, tamen precaria fere semper emolumenta inde manare deprehendi. Etenim cutaneæ evacuationes non modo vehementissimam postulant medicamenti actionem, verum etiam crassas viscidasque substantias nunquam secum ferre vel possunt vel valent. Non pauci itaque momenti differentiam inter diversas mercurii præparationes interesse existimarem, quamvis contrariam sententiam Cl. Joannes Hunterus in Tractatu de lue venerea tueatur. Eruditissimus auctor triplicem mercurio vim tribui posse existimat; vel enim cum veneno venereo copulatur & illud decomponit, unde actionem

nem irritandi amittit, vel extra corpus secum trahit, vel denique novam in animali œconomia irritationem venereæ irritationis destructricem gignit, unde morbus curatur. Alteram dein mercurii proprietatem, qua nempe in humoribus corporis humani facile solvitur, docte admodum proponit. Experimentis namque in proprio corpore institutis cum mercurii diversis præparationibus, vel interne adhibitis, vel externe usurpatis uniformitatem actionis evincere conatur. Mercurius enim dulcis, sublimatus corrosivus, hydrargyrus communis & mercurius calcinatus per se analogum semper saporem habent, ideoque eadem ratione uniformiterque in humoribus dissolvi debent. Quæcumque igitur evacuationes post mercurialium administrationem excitantur, mercurium semper extra corpus educunt. Addit tantummodo, quod mercurialia facilius in humoribus nostris solubilia, faciliorem morbi venerei curationem reddere valent. Sed omnia, quæ mercurii actionem, & varia præparata respiciunt inferius enucleanda sunt; satis erit in præsentia numerosis experimentis innixam sublimati corrosivi activitatem adversus luis venereæ graviora symptomata vobis indicare. Gonorrhææ enim virulentæ, bubones, ulcera, dolores & alia hujusmodi, frictionibus cum sublimato corrosivo institutis eradicative curantur. Desinant igitur imperiti quas ignorant doctrinas contemnere, servent suam in jecore masculam bilem invidi, & quæ ipsi neque attigere neque pertractare possunt, aliis perficienda relinquant. Post detectas

hujus

hujus generis frictiones, inutile prorsus erit aquosis sublimati corrosivi solutionibus ulcera venerea, aut tumores inguinales fovere. Ulcera enim irritantibus remediis tractata bubones gignunt, & bubones topicis stimulantibus vel augentur, vel venenum venereum in externa sede collectum internis partibus communicant. Hinc tempore frictionum partes affectæ simplicissimis, dulcissimisque lotionibus detergi tantummodo debent, ut ulterior irritatio & principium inflammatorium avertatur. Quæ usque adhuc de sublimato corrosivo ejusque usu medico dicta sunt reliquis mercurii præparationibus, magna ex parte aptari possunt; reliqua integram hujus metallicæ substantiæ historiam medicam complectuntur, & brevi a nobis debent illustrari.

Saccharum saturni.

Postremum inter salina metallica locum occupat saccharum saturni, substantia nempe coloris albi, quæ componitur acido vegetabili & plumbo; *Acetites* hodie plumbi, juxta recentiorem chemicam nomenclaturam appellatur. Facile in aqua solvitur, saporemque habet dulcem & adstringentem. Externe solummodo commendatur, & inter exsiccantia & detergentia præsidia collocatur. Chirurgi saccharo sive sale saturni frequenter utuntur in ophthalmia, ulceribus venereis & gonorrhæa virulenta. Solutionem enim instituunt pro lotione & pro injectionibus. Internus usus valde suspectus est quia periculosissimas primo intestinorum ægritudines, colicas saturninas & tabem inducit; effectus enim gignit oprationi extracti saturni, aquæ vegetabilis & Cerussæ simil-

millimos; hæc namque plumbi præparata interne assumpta valde noxia sunt.

---

## DE SALIBUS TERREIS.

Sales terrei.

BReviter admodum de salibus terreis differendum, quandoquidem de duobus tantum agitur nempe de sale cathartico amaro, & de alumine. Sal catharticus, anglicus & epsomiensis quoque dictus constat acido vitriolico & magnesia, ideoque magnam cum sale Glauberiano analogiam habet. Magnesia enim quamvis ab alcali fossili magnopere differat, nullam tamen in operatione salis anglici essentialem affert differentiam. Inter cathartica itaque mitiora, inter aperientia, & non parum etiam diuretica sal catharticus collocatur. Quemadmodum vero rarissime venalis reperitur, ejus loco practici Glauberiano sale utuntur, & huic vulgatissimum salis anglici nomen tribuere solent. Quæ superius de sale Glauberi dicta sunt & huic etiam aptari commode possunt.

De alumine.

Alumen proprie sive argilla vitriolata, substantia est salina ab acido vitriolico & terra argillacea composita. Interdum, uti scribit Cl. Bergman *sponte generatur fatiscentia pyritæ, in argilla vel schisto argillaceo hospitantis*. Ob hanc ideo rationem frequenter occurrit in antiquissimis vulcanis, in quibus a lapidum pyritaceorum decompositione quæ oritur argilla, facile

aci-

acidum vitrioli assumit, & facilissima artis operatione in alumen vertitur. Alumen igne liquescit. Decies quater aquæ pondus requirit ut solvatur; saporis est adstringentissimi. Crystalla octoædra pyramidalia exhibet. Si alumen igne vehementiori tractatur præbet spiritum vitrioli simul cum copiosa aqua & statim vertitur in substantiam acerrimam pungentem, & non leviter corrosivam, quæ in officinis dignoscitur nomine aluminis usti. Qualitas, juxta generalem sententiam, pendet a defectu aquæ crystallisationis, unde acidum valde concentratum suam actionem valde exsiccantem exercet. Ad usum medicum aluminis crudi quod attinet, inter fortiora adstringentia collocatur, atque in sanguinis fluxu immodico, atque etiam diarrhæa diuturna commendatur. Serum ideo aluminosum, aluminis grana quinque, sex, decem, & similia præparata aluminosa in supradictis morbis administrantur. Summa tamen prudentia opus est; siquidem adstrigentissima aluminis qualitate alvus in stypticitatem invincibilem incidit; & intestina styptico remedio insignitur irritata inflammatione corripiuntur. Falluntur itaque nostrates medici, qui alumine crudo, aut aqua aluminosa naturali vel artificiali utuntur pro curatione intermittentium immo & acutarum febrium in quibus laxantibus, & dein tonicis simplicibus remediis succurrendum nimiæ humorum spissitudini. Sæpe collyria alumine & albumine ovi composita adhibentur in obstinatis opthalmiis, ubi morbus lympham tenaciorem acerrimamque

pro

pro causa agnoscit. Ob ægritudinis quoque diuturnitatem, lymphæ circulatio per externa oculi vasa retardatur; hinc recte collyrii aluminosi stimulo utiliter acceleratur. In inflammationis contra maximo vigore, ab adstringentibus & stimulantibus externis omnino abstinendum. Injectiones aquis aluminosis in gonorrhæa virulenta passim instituuntur, uti dictum est, sæpissimeque in ipso morbi vigore adhibentur. Rursum in habituali stillicidio, post inopportunam curationem perennante, ad injectiones aluminosas medici deveniunt. In primo quidem casu præmatura fluxus interruptio gravioribus affectibus & præsertim bubonibus venereis ansam præbet; idem sæpe observatur ubi escharoticis & fortioribus irritantibus præsidiis glandis penis & præputii ulcera foventur. Lymphatica enim vasa, quæ in partium genitalium superficie aperiuntur, recta ad glandulas inguinales feruntur. Hinc prohibito fluxu gonorrhoico, atque interrupta ulceris suppuratione, statim venenum venereum glandulas conglobatas proximiores adoritur, & majoris momenti morbum gignit. Aluminosa itaque hisce in casibus penitus fere ableganda sunt. Possunt tantummodo adhiberi si post absolutam morbi venerei curationem, ob persistentem affectarum partium relaxationem ac debilitatem, lymphaticus tenuissimus humor per urethram adhuc evacuatur. Tunc immediata adstringentis præsidii actione, levissima illa ægritudo curatur. Solutiones aluminosæ a Chirurgis in magnis operationibus, ex. gr. in amputationibus artuum adhiberi solebant, adver-


sus

ſus magnorum vaſorum hæmorrhagias . Accurati vero noſtrorum temporum Chirurgi ab hac praxi merito abſtinent , quandoquidem periculoſæ ſæpius inflammationes & graviſſimæ convulſiones uſum aluminis ſequuntur . Ulcerum denique ſordidorum conſolidatio , & carnium flaccidarum deſtructio procuratur alumine uſto ; hoc enim ſatis vehementi eſcharotico fibris carnoſis tonus conciliatur, unde corruptæ ſejunctæque carnes approximantur pro efficienda cicatrice . Oportet vero ut parcius alumine uſto utamur ob qualitates quas habet cauſticas .

## DE INFLAMMABILIBUS.

HAc classe comprehenduntur substantiæ phlogisto per superabundantiam saturatæ, & quæ dum ignis actione, & aëris vitalis interventu attenuantur & evaporationi aptæ redduntur, flammam concipiunt, & atmosphæram noxiis vaporibus inficiunt. Huc pertinent oleosa omnia, non solum quæ e vegetabilibus, & animalibus obtinetur, verum, & corpora phlogistica fossilia, uti oleum fossile, sulphur, omnia bitumina in genere; spiritusque ardentes, ac ætheres proprie dicti. Dum de bituminosis loquitur Cl. Bergman, hujusmodi substantias eandem profecto naturam habere arbitratur, & differentiam inter genera diversa a quantitate phlogisti repetendam esse existimat. Hanc vero doctrinam, veritati procul dubio valde affinem, non est hujus loci vel temporis ad examen revocare. Generales vero Inflammabilium proprietates sunt, primo odor in nonnullis parum, in aliis gravissimus, nauseosus & capiti infestus; uti ex. gr. observatur in oleis expressis vegetabilium, in pinguedine animali & similibus: hujusmodi enim substantiæ dum recentes sunt, odorem haud ingratum spirant. Verum vel post certum tempus, vel postquam ignis actionem expertæ sunt, ingratum ambustorum odorem emittunt; atque propriis effluviis caput tentant. Hoc accidit ob superabundantem quam

Inflammabilia.

 affu-

assumunt phlogisti quantitatem. Ab eodem certe principio oritur insignis illa mutatio in oleosis & pinguibus corporis humani substantiis, quæ in nonnullis febrilibus morbis a principio inflammabili fere combustæ, vaporis formam assumunt, & exhalationem gignunt absolute empyreumaticam, odorem cornu cervi usti præseferentem. Ab hac causa celerrime corpus macie conficitur, & paucarum horarum spatio arescit. Simili empyreumatico odore donantur, olea empyreumatica, bitumina sive olea fossilia, multæque etiam peculiari fœtore præditæ resinæ. Sulphur tantam cum componentibus suis affinitatem habet, ut in statu concreto nullo fere odore distingui possit; verum ignis actione, dum nexus inter acidum vitriolicum & phlogiston separatur, substantiæ bituminosæ odorem sulphur adipiscitur. Alchool, & spiritus omnes inflammabiles vegetabilium, qui fermentatione & distillatione obtinentur, dum accenduntur, bituminosum sive sulphureum odorem emittunt. Hujusmodi etiam substantiæ inflammabiles sulphuris volatilis naturam assumunt, dum acidis copulantur. Oriuntur hac ratione ætheres diversi, qui in perenni evaporationis statu versantur, semperque odorem bituminosum spargunt. Olea itaque expressa vegetabilium & pinguedines animalium sunt substantiæ glutinosæ, ac mucilaginosæ, quæ phlogiston retinent, & coërcere conantur, dum in naturali versantur statu; & tunc principium inflammabile nullum præsefert peculiarem odorem. Acidum in genere coërcentis principii vices gerit in pingue-
di-

dine, sebo, & saccharo, in quo copiosa semper, uti in oleis, mucilago acidum abscondit; tunc memoratæ substantiæ dulces sunt. Acidum vitrioli in sulphure principium inflammabile includit, & tunc sulphur nullo peculiari odore distinguitur. Verum si ignis pinguedinem, sebum, sulphur aliaque inflammabilia adoritur, tunc decomponuntur olea, atque oleosæ particulæ ob acidi defectum, & phlogisti superabundantiam in vaporem attenuatæ odorem bituminosum, empyreumaticum exhalant, & vim summopere gravativam adipiscuntur. Hanc qualitatem naturaliter possident olea fossilia universa, quæ ignis subterranei actionem experta sunt, ac proinde effluvia empyreumatica fœtidissima jugiter præbent, coloremque etiam obscurum piceumque, uti corpora omnia combusta nanciscuntur. Idem profecto evenire consuevit in pice communi, quæ ab oleo pini ortum ducit, & ope ignis obtinetur. Oleum enim resinosum odorem gravem & aromaticum, colorem subflavum, & omnes substantiæ inflammabilis naturales characteres habet. Verum statim ac ignis vehementia decomponitur pro picis compositione, vapores emittit empyreumaticos, atque quod superest substantia est coloris obscuri, & quæ indolem insigniter inflammabilem possidet. Succini qualitates, quoad colorem & odorem, adnotatam modo doctrinam penitus confirmare videntur. Oleum quoque dulcissimum, sive principium mucilaginosum natura semper in animalibus & vegetabilibus substantiis collocavit, ut spissitudine particularum quibus

 oleum

oleum componitur, particulas alimentorum, elementa solidorum, moleculasque admodum volatiles & acutas, vitæ sustinendæ admodum necessarias, retineret, conglutinaretque. Acerrimæ seminum Ricini particulæ, oleo ejusdem plantæ involutæ dulcissimum constituunt catharticum; particulæ acres & corrosivæ Euphorbiarum, Daphnidum, Ficuum, oleo destituuntur. Animalia pinguedine destituta corrosivis humoribus absumuntur. Tenuissima cutis pinguedine, valde stimulans perspirationis materia obtunditur & corrigitur. Contra si oleosa & pinguia phlogisto ultra modum saturantur, exsiccantia, stupefacientia & syderantia sunt, uti de oleis empyreumaticis, de bituminosis & sulphureis verissimum est. Olea expressa, pinguedinesque recentes animalium, quemadmodum subdulcem potius saporem, ac minus ingratum odorem habent, ideo inter medicamenta demulcentia, relaxantia & antispasmodica collocantur. Sed olea interne usurpata stomachum primario afficiunt, ac deinde internis sedibus communicata, non mediocrem sanitati noxam afferunt; quandoquidem caloris animalis accessione empyreumaticam naturam acquirunt, unde varia in corpore damna exurgunt. Nausea inde orta ab eodem principio nascitur, siquidem emetica ideo suam operationem exercent, quia principio inflammabili scatent. Inflammabilia vero oleosa secretionum abundantiam imminuunt & præsertim insensibilem perspirationem retardant, uti observarunt recentiores practici, qui ab immoderato butyri

ri uſu imminutam perſpirationem, corporiſque pondus quotidie adauctum viderunt. A defectu perſpirationis morbi oriuntur bilioſi graviſſimi, ac lethales phlogiſticæ ægritudines generantur. Sed de his alio in loco. Subſtantiæ inflammabiles e claſſe bituminum magnopere commendantur in morbis convulſivis, paſſione hyſterica, motibus convulſivis infantum aliiſque hujusmodi. Sunt qui tincturam oleumque ſuccini pro ſpecifico anti hyſterico externo atque interno habent; alii rurſum oleum animale empyreumaticum, oleum animale Dippelii, oleum cornu cervi interne adhibent in graviſſimis convulſionibus, atque valde inflammabili phlogiſticoque remedio mirificas vires tribuunt. Sed activitas antiſpasmodica horum remediorum non a calida & ſtimulanti qualitate, ſed a fluidi nervei interrupto curſu repetenda eſt. Subſtantiæ enim omnes inflammabili principio ſaturatæ, fluidum nerveum, ſcilicet omnium actionum ac ſenſationum inſtrumentum potenter attrahunt, & cum principio vitalitatis ſtrictiſſime copulantur. Hoc autem evenire debet ob ſummam, quæ inter principium inflammabile & materiam caloris intercedit differentiam. Sed fluidum nerveum materiæ electricæ ſimillimum eſſe recentiſſimæ certiſſimæſque obſervationes oſtendunt,& ſcintilla electrica calorifico principio præſertim componitur, hinc inflammabilia, bitumina & olea empyreumatica fluidi nervei quantitatem imminuunt, motum retardant & efficaciam admodum inertem reddunt. Aëre inflammabili, phlogiſticato,

Inflammabilium usus.



&

& fixo per pulmones fuſcepto cordis irritabilitas amittitur, ſumma virium proſtratio deprehenditur, caput ſtupore & lethargo afficitur, ac mortali pallore facies obducitur. A fumo carbonum ſimilia naſcuntur phænomena; pulmones enim ſtatim perturbantur, pulſus parvi & admodum inæquales fiunt, homo apoplecticus redditur, ac generali frigore perturbatur. Paluſtris aër noſtrarum regionum, qui æſtivo tempore malignos morbos gignit, inflammabilibus ſcatet elementis, quibus calorem animalem, atque ideo irritabilitatem deſtruit, omniaque mox allata accidentia gignit. Quæ uſque adhuc de natura ſubſtantiarum inflammabilium adnotavimus, uſum & vires olei animalis, olei ſuccini & ſimilium adverſus morbos convulſivos, nobis indicare videntur. Si enim in pertinacibus convulſionibus parciſſimæ horum remediorum doſes propinantur, fortaſſe aliquam utilitatem afferre poterunt, quia celerrimam & præternaturalem fluidi nervei diſtributionem & actionem prohibent. Abſtinendum vero a doſibus valde adauctis, nam hac ratione non minuitur modo, ſed deletur omnino fibræ muſcularis neceſſaria oſcillatio. De oleo foſſili, petroleo ſcilicet, naphtha aliiſque bituminoſis nihil addam, ſemper enim noxias, non autem ſalutares vires poſſidere exiſtimavi. Veteres petroleo, bitumineque judaico utebantur pro balſamatione cadaverum; mortua enim corpora fœtidis hiſce & unguinoſis ſubſtantiis obducta, a corruptione intacta ſervabantur. Nos picem communem pro ſimili objecto utiliterque ſemper adhi-

hibuimus. De picis qualitatibus, & præsertim de pice navali alio in loco disputavimus.

De sulphure.

Primarium inter inflammabilia locum tenet sulphur, substantia nempe acido vitriolico & phlogisto composita, juxta celebriorum chemicorum sententiam; quamvis alia ratione oriri Galli existiment. Sulphur est vel nativum vel factitium; coloremque habet dilute luteum. Nec acqua, spiritu vini, nec acido quocumque solubile est; Oleis tam expressis quam stillatitiis, ac petroleo solvitur. Cum alcalinis fixis unitur; hinc hepar sulphuris. Igne liquescit. Metallicorum corporum fusionem promovet. Alcalinis volatilibus dissolubile. Vim mercurialium debilitat. Denique a suis constitutivis partibus sulphur appellatur *phlogiston acido vitriolico satiatum*. Loca vulcanica magnam sulphuris nativi copiam suppeditant, aliis sæpe mineralibus mixti. Purificatione purissimum obtinetur. Officinæ exhibent flores sulphuris, balsama sulphuris diversa, nempe balsamum sulphuris simplex, crassum, Barbadense, Terebinthinatum, & Anisatum. Parantur etiam artis opera hepar sulphuris, lac sulphuris præcipitatum, tinctura sulphuris volatilis, aqua sulphurata, unguentum ad scabiem. Pro præparatione florum sulphuris sublimetur sulphur ex vase idoneo, & flores qui concrescunt, reducantur in pulverem mola lignea, vel ligneo pistillo, in mortario marmoreo. Flores sulphuris omnium purissimi pro usu interno, & pro compositione remediorum sulphureorum adhibentur. Si sulphur interne assumitur totum pervadit corpus, per-

spi-

ſpiratio enim ſulphureum odorem acquirit & inſtrumenta argentea corpori approximata nigra evadunt, uti ſemper cum ſulphure accidit. Hæc ſimpliciſſimi ſulphuris activitas morborum cutaneorum curationem promovet, juxta generalem ſententiam, nam uti ſulphure externe confricato ſcabies curatur, ita etiam ob inſignes, quas poſſidet vires diaphoreticas morborum internorum cauſas noxioſque humores ad exteriora pellit. Balſamicam quoque, pectoralem, ſive pulmonicam facultatem ſulphuri tribuunt practici, & ideo balſamo ſulphuris Aniſato, aut Terebinthinato utuntur in phthiſi pulmonali. Internus vero uſus balſami ſulphuris in ulcere pulmonum ob analogiam commendatur, quandoquidem eodem medicamento ulcera externa admodum ſordida repurgantur. Verum activitas hæc detergens externa non ſolum inutilitatem, ſed damna etiam, quæ a balſamo ſulphuris interne adminiſtrato expectari debent, manifeſte declarat. Etenim ut ulcus externum detergatur, oportet ut medicamenta huic indicationi abſolvendæ neceſſaria ab irritantium, calidorum & ſtimulantium claſſe deſumantur. Sed diverſum prorſus eſt externi ulceris ſordes & impuritates diſſipare; ſtimulatis enim carnibus, & ulceris ipſius fundo exſiccato, ſalutaris obtinetur cicatrix, neque ab irritatione externa ullam generalis corporis œconomia noxam experitur. Contra inſigniter ſtimulans, inflammans atque exsiccans balſami ſulphuris actio internis ſedibus applicata, partibus nullo peculiari morbo affectis, & quæ nullo indigent pharma-

maco primario inhæret, periculofasque ægritudines excitat. Et fane balfamum fulphuris, quo ulcus pulmonis curari deberet ventriculum primo & inteftina perturbat, dein univerfum corpus pervertit. Paucæ tantum guttæ, utpote decem aut quindecim in phthifi commendantur a practicis; ipfe vero numquam bonos hujus præfidii effectus expertus fum. Refinofa enim omnia, bituminofa, inflammabilia pectori & pulmonibus infefta funt. Sed balfamum fulphuris inter præfidia pulmonicis proficua collocari poffe fuadet acidi vitriolici in fulphure præfentia. Hoc certe prima facie verum videtur, fed fi res ferio perpendatur fallacia doctrinæ facile apparebit; vel enim fulphur non decomponitur, & tunc nulla erit medicamenti operatio, vel contra in propria & diftincta componentia fejungitur & tunc infignem actionem procul dubio exercebit. Sulphuream fœtidiffimam tranfpirationem exhalant corpora, quæ flores fulphuris, vel balfamum fulphuris affumpferunt, hinc certe hæc fubftantia intra corpus decomponitur & per omnia tenuiffima etiam vafa diffunditur. Nam ut odor fulphureus perfentiri poffit, oportet ut ab igneo principio & ab oleofis particulis fulphuris diffolutio perficiatur. Oleum enim animale, & pinguedo, una cum calorificis elementis, fulphuris decompofitioni inferviunt. Sed particulæ fulphuris hac ratione indolem aëriformem qualitatemque acerrimam nancifcuntur; vapores etenim a fulphuris combuftione exurgentes valde irritantes, exficcantes vitæque animali admodum infefti funt. His pofitis

dum

dum sulphur acidum vitriolicum humoribus corporis communicat, acidi particulæ acerrimo phlogisto saturatæ stimulantem, inflammantem & alterantem facultatem solidis valde noxiam exercent. Neque exanthemata illa, quæ ab interno sulphuris usu in superficie corporis efflorescunt, expulsioni morbificæ causæ tribuenda sunt; quandoquidem ab acri sanorum humorum diathesi, ope sulphuris procurata, ortum ducunt. Facultas vero specifica sulphuris in curatione scabiei, nullo modo ejusdem substantiæ efficaciam in morborum cutaneorum dissipatione probare aut confirmare videtur. Nam scabies morbus est omnino externus; quia acarus scabiei cutaneis squamulis absconditus & succis animalibus vivens pustulas efformat, atque simplici frictione linimenti sulphurei, aut unguenti mercurialis occiditur. Falluntur sane medici illi qui scabiem a superficie corporis exturbatam & ad interna vergentem gravissimorum morborum causam esse contendunt; & idéo scabiei renovationem mediante immediato contagio commendant. Si pus in pustulis scabiosis abundat, potest aliquando a lymphaticis cum ægrotantium damno absorberi; hoc vero rarissime accidit. Tutissimum igitur semper erit linimento sulphureo quamcumque scabiem curare. Sunt qui sulphur cum pinguedine vel oleo olivarum trituratum adhibent; alii rursum una cum sulphure mercurium etiam sublimatum corrosivum triturare solent. Sed scabies etsi celtico conjuncta principio, nunquam tanto indiget remedio, quin sulphure tantum perfecte cu-

curari non possit. Usitatiores præstantioresque unguenti ad scabiem præparationes sunt I. Unguentum e sulphure: ℞. Unguenti simplicis lib. sem. Flor. sulph. non lot. drachm. duas essent. limon. scr. un. m. & f. l. a. unguentum. Secunda præparatio appellatur unguentum ad Psoram, pro quo: ℞. Sulphur. drachm. unam pulv. radic. Helleb. vel sal. ammoniac. crud. unc. ij. Axung. porcin. drachm. duas m. f. unguentum. Ne generalis cutis obstipatio a generali frictione eveniat, quarta corporis pars unguento ad scabiem repetito confricatur nocte ingruente, usque ad perfectam curationem. Reliquæ sulphuris præparationes prorsus e materia medica eliminandæ, quandoquidem aut a sulphure puro parum differunt, aut nullam prorsus peculiarem efficaciam possident. Denique de spiritu sulphuris suo loco disseruimus; etenim idem est ac spiritus vitrioli.

De aëre sulphureo.

Materiæ medicæ scriptores, ipsique sagaciores practici vix, ac ne vix quidem de aëre sulphureo loquuntur & tamen qualitates aëris sulphure imprægnati, a qualitatibus vitalis & respirabilis aëris omnino differunt. Loca omnia vulcanorum effluviis referta genuinum exhibent sulphureum aërem, respirationi inimicum. In hisce regionibus ægrotantes phthisi pulmonali affecti celerrime intereunt, quia loco purissimi aëris, vapore phlogistico insigniter noxio saturantur. Decipiuntur itaque medici dum sulphureum aërem phthisicis commendant; miselli enim hoc inspirato aëre celerrime moriuntur; quemadmodum experimenta frequentissima cum aëre Puteolano instituta pa-

parenter evincunt. Neque ulla in aliis morbis ab aëre ſulphureo utilitas expectanda; aër enim ſanguini commixtus ſi purus ac dephlogiſticatus eſt vitam ſuſtentat, morboſque periculoſiſſimos ſuperat; contra impurus & phlogiſticatus, uti aër ſulphureus, vitalitati opponitur novorumque morborum fundamentum ſuppeditat. Aëris itaque ſulphurei effectus valde pertimeſcendi ſunt, ſiquidem circulationem retardat, nutritionem perturbat, ob tenacitatem quam in humoribus inducit, ac proinde æſtivo tempore lethales phlogiſticos, hyberna vero tempeſtate chronicos, viſcerum præſertim naturalium, morbos gignit. Aquæ tandem acidulæ, quæ ob vaporem, aëris hepatici nomine recte inſignitum, ſulphureæ dicuntur, ſalutares, & medicamentoſæ ſunt, non ob moleculas hepatis ſulphuris quas continent, ſed quia copioſiſſimo ſaluberrimoque acido aëreo ſcatent, uti alio in loco adnotatum eſt.

De spiritibus ardentibus.

A ſulphure ad ſpiritus ardentes, nempe ad Alcohool tranſeundum, atque de compoſitis a ſpiritibus hujuſmodi differendum. Alcohool itaque, ſpiritus vini, & ſpiritus vinoſus, unicam deſignant fluidam ſubſtantiam ſummopere volatilem, principio inflammabili admodum ſaturatam, oleo eſſentiali, aqua & acido vegetabili compoſitam. Oleum vegetabile eſſentiale, uti ex materia medica vegetabili patet, obtinetur per diſtillationem vegetabilium a foliis, floribus, ſtaminibus, lignis, corticibus, fructibus, ſeminibus, radicibus, balſamis & reſinis. Saporis eſt odoriſque penetrantis, unde ſubjectum a quo erat ſepa-

separatum plane declarat. Spiritibus vinosis solubile. Frigus insigne generat. Cum acido nitroso & vitriolico flammam concipit. Cum aqua per distillationem uniri potest, unde aquæ officinarum stillatitiæ. Cum alcali etiam fixo conjungitur, & saponem philosophicum vel Starkæi constituit; cum alcali vero volatili efformat spiritum volatilem aromaticum. Ab oleo essentiali modo descripto spirituum ardentium primariæ qualitates ortum ducunt; summa enim volatilitas, odor valde penetrans, sapor ardentissimus, & inflammabilitas ab oleoso principio nascitur; acidum vero vegetabile per se nunquam accenditur. Contra plantæ resinosæ, quæ oleo essentiali supra modum abundant, non solum igne admoto facile accenduntur; sed quam æstivo tempore emittunt oleosam atmosphæram accendit admota candela. Oleum itaque essentiale valde solutum & attenuatum occurrit in spiritibus ardentibus, unde flammam statim concipiunt. Summa inflammabilis principii attenuatio spiritum vini penetrantissimum, & insigniter noxium solidis fluidisque corporis animalis reddit, uti mox demonstrabitur. Sed priusquam ad theoriam actionis spirituum ardentium veniamus, essentiales harum substantiarum proprietates adnotabimus. Spiritus itaque ardens, sive spiritus vini ab oleo essentiali, acido vegetabili & aqua compositus, liquor est pellucidus & volatilis; qui cum aqua facillime miscetur; saporem odoremque habet ardentem ac pungentem. Igne admoto protinus accenditur; resinas, balsama & olea distil-

lata

lata ex toto dissolvit; saccharum difficilius; ceram imperfecte. Acidis per distillationem conjunctum dat spiritum dulcem, nempe æther; cum alcali volatili caustico spiritum volatilem officinarum. Fluida animalia, quæ coagulabilia sunt coagulat. Fermentationem prohibet. Specificæ gravitatis est fere minimæ. Nullam inter se quoad præcipuam naturam diversi spiritus ardentes differentiam habent, nec non depurati & rectificati eandem actionem exercent; hinc spiritus vini, frumenti, sacchari eodem genere complecti possunt. Ab enumeratione vero præcipuarum qualitatum facile eruuntur effectus, qui a spiritibus ardentibus in corpore animali oriri debent. Penetrantissimus enim, inflammabilis, pungentissimus liquor, stimulo vehementi & qualitate phlogistica, a fluidis solidisque maximam caloris copiam cum insigni damno educit; liquores enim amisso calore concrescunt & coagulantur, fibræque solidæ ob eandem rationem rigescunt, & sicca inflammatione afficiuntur. Hoc probatur exemplo hominum, qui spiritus vinosos, spiritumque sacchari affatim bibunt; primo tempore hebetes facti naturalium actionum promptitudinem amittunt, exquisito sensationum exercitio privantur, artuum torpore corripiuntur, sanguinemque possident non solum atrum sed spissum, valde fibrosum, nempe phlogisticatum. A simplici abusu vini simillima nascuntur accidentia; quandoquidem vinum spirituosas & inflammabiles particulas abundanter continet. Verum peculiari animadversione indigent gravissimi illi & sæpenume-

numero lethales pectoris morbi, & præsertim, asthma & hydro-thorax, qui vini, & spirituum ardentium abusum proxime sequuntur. Facilimum tamen erit intelligere cur alcohool potius pulmonis & respirationis, quam aliarum partium œconomiam perturbat. Pulmonum cellulæ, quæ vitiosum noxiumque phlogisticum totius corporis vaporem recipiunt, si ultra modum hoc fluido a spiritibus ardentibus proveniente saturantur, neque necessariam vitalis aëris proportionem suscipere possunt, a causa insigniter noxia obruuntur. Respiratio tunc cum difficultate absolvitur. Rursum spirituum vinosorum coagulans activitas sanguinem crassum, humoresque lymphaticos admodum tenaces reddit; hac ratione ob retardatam circulationem pulmonalem aqua in cavitate thoracis colligitur; obstructionesque in substantia pulmonali nascuntur. Juxta theoriam modo adnotatam & firmissimis observationibus superstructam, spiritus ardentes semper œconomiæ animali noxii esse debent; nec unquam medicamentorum nomine insigniri merentur. Neque internus modo, sed externus quoque usus prima fronte proficuus, suspectus esse debet; nam Chirurgi qui contusis, sugillatis compressisque partibus mederi posse opinantur, frictionibus simplici spiritu vini, vel calidis & aromaticis remediis saturato, magnopere falluntur; contusæ enim dolentesque sedes, quæ nova irritatione vexantur, periculosa inflammatione & gangræna corripi poterunt, ut sæpe praxis ostendit. Attamen quamvis recta materiæ medicæ intelligentia experimentis suffulta internum

 spiri-

ſpiritus vini uſum improbare conatur, non deſunt multi, qui ſpiritu vini, & præſertim ſpiritu ſacchari interne utuntur in catarrho, tuſſi, & rheumatiſmo. Apparenti enim calore decepti, coctionem hoc præſidio procurari exiſtimant. Magis vero reprehendendi ſunt practici illi, qui Swietenii aliorumque auctoritati innixi mercurium ſublimatum corroſivum in ſpiritu vini, vel ſpiritu frumenti ſolutum interne adhibent in lue venerea. Graviſſima ab hac praxi damna oriuntur; corpus enim urenti calore comburitur; pulmonalia vaſa ſæpe lacerata ſanguinem emittunt, & ventriculus non ulcere tantum ſed corroſione affectus ſæpenumero deprehenditur. Hoc autem pendet ab actione combinata ſublimati corroſivi & ſpiritus ardentis. Alcohool tamen quia facile diſſolvit ſubſtantias reſinoſas & gummoſas vegetabilium commode pro menſtruo adhibetur. Tincturæ enim ſpirituoſæ omnes, particulis eſſentialibus & peculiaribus plantarum ſaturæ, ſpiritu vini tantummodo obtinentur. Et quamvis tincturæ ſpirituoſæ parcius prudenterque adminiſtrari debeant, quia caloris non modo, verumetiam ardoris ſenſationem in ventriculo excitant; poſſunt tamen ſtomachi ipſius languorem, viſcerumque naturalium debilitatem diſſipare. Spiritus itaque ardentes potius tamquam inſtrumenta pro medicamentorum præparatione, quam ut præſidia per ſe conſiderari debent, & potius damna vitare quam genuina emolumenta expectare oportet.

De æthere. Æther ſpiritum vini pro baſi habet, atque eſt productio artificialis, quæ obtinetur per diſtillatio-

lationem ſpiritus vini rectificatiſſimi, cum acido vitriolico, nitroſo, muriatico vel vegetabili concentrato. Odor fragrantiſſimus eſt. Fluidorum omnium maxime levis, volatilis, inflammabilis, ſubtilis. Nec aqua, ſpiritu vini, nec liquoribus acidis, vel alcalinis conjungitur. Olea, reſinas & balſama diſſolvit. In propoſita operatione prodit primo ſpiritus ſubtiliſſimus fragrantiſſimus; *qui liquoris anodyni mineralis Hoffmanni* nomine inſignitur. Repetita deinde diſtillatione prodit naphtha vitrioli; & ſi reſiduo affunditur nova ſpiritus vini quantitas, denuo ſpiritus exurgit odoratiſſimus. Æther in genere inter antiſpaſmodica, anodyna & ſedativa remedia collocatur, ſummiſque extollitur laudibus. Medici utuntur paſſim liquore anodyno minerali in convulſionibus hyſtericis, in internis externiſque doloribus, & in morbis quoque renum & veſicæ, quia vires ſedativas revera poſſidere exiſtimant. Multi in gravi capitis dolore embrocationes hoc remedio factas adhibent. Doſis pro uſu interno eſt a guttis 20. ad 40. & ultra. Vulgus medicorum, qui vim anodynam cum opiata confundit, doſes uberiores liquoris anodyni damnat, & ultra decem vel duodecim raro progreditur. Experientia tamen docente aſſerere poſſumus liquorem anodynum non modo non ſuſpectas ſed magni momenti vires nunquam poſſidere. Fruſtra potius, & ſine apparenti ſaltem utilitate hujus liquoris uberrimas doſes, variis in morbis, ſæpiſſimeque adhibuimus. Multi etiam primi ſubſellii practici de inefficacia liquoris anodyni conquerun-

 tur

tur . Quamvis enim in hac compoſitione inſi-
gnis utilitas manare poſſit ab acido vitrio-
li mediante ſpiritu vini in vapores attenuato,
nunquam tamen res bene ſuccedit , quia acidi
particulæ nullo modo intactæ ſervantur, immo de-
componuntur, propriamque naturam omnino amit-
tunt. Ob eandem certe rationem ſpiritus vitrio-
li ſimpliciſſimus uſurpatur . Æther reſinas, olea
& balſama diſſolvit , hinc tamquam menſtruum
ſæpe poterit uſurpari.

---

## METALLICA.

De metallicis,

Corpora metallica, quæ præcipuam conſtituunt
claſſem in regno minerali, non ſolum val-
de compacta, ſolida ac inſigniter ponderoſa ſunt,
verum etiam ob componentium indolem, ad ſub-
ſtantias inflammabiles proxime accedunt . Quæ
metallicam formam diutius retinent , vehemen-
tiori quamvis igne tractata, perfecta magis atque
nobiliora ; quæ vero , uti Cl. Bergman ſcribit ,
*ſub vulgari fuſione* aëri atmoſphærico expoſita ,
cito in ſuperficie exareſcunt , & terreſtrem por-
rigunt cremorem , & in priſtinum ſtatum reſtitui
nequeunt, niſi addito principio inflammabili, igno-
bilia vocantur . Hiſtoria metallorum & metalli-
carum ſubſtantiarum omnium ad chemiam perti-
net. Medici enim neque metalla in univerſum,
aut integra pro morborum curatione , neque o-
mnia adhibent , ſed tantum acida metallis conjun-
cta,

cta, five falina metallica fuperius defcripta, vel terras fingulis metallis peculiares ufurpare confueverunt. Utuntur ex.gr. calce antimonii, aut mercurii aliisque terris metallicis, quibus effentialis ineft facultas medicamentofa, juxta generalem fententiam. Non pauci vero inter recentiores calces metallicas omni phlogifto orbatas, nulloque acido copulatas omnino inertes, & quacumque activitate deftitutas effe contendunt. Stibium ideo diaphoreticum bene lotum, ftibium fixum & fimilia pro fruftraneis præfidiis habent. Contrarium porro dicendum de calcibus nonnullorum metallorum, quæ non terreæ aut inertes, fed alterantes vehementerque corrofivæ funt, quemadmodum accidit præfertim cum mercurii calcibus, etiam fimpliciffima methodo paratis. Nos vero quoad terras metallicas diverfam a communi fententiam tuemur, uti inferius apparebit. Materia medica pauca tantum metalla inter medicamenta complectitur, nam aurum & argentum, quas vulgus imaginatur vires non poffident, & potius empiricis funt relinquenda. Tincturæ omnes aurificæ, fales ex auro parati & fimilia, quæ magno comparantur pretio remedia, nullam ægrotantibus utilitatem afferunt. His itaque pofthabitis ad genuina e metallis comparata medicamenta defcribenda gradum faciamus.

## DE HYDRARGYRO.

De hydrargyro.

Hydrargyri ſive argenti vivi nomine deſignatur mercurius ab omnibus metallis diverſiſſimus, quandoquidem inſignem habet fluiditatem, nec concreſcit, niſi adhibito frigore graduum 380.; tunc concreſcit & malleo tractari poteſt uti plumbum. Argentum vivum poſt aurum ponderoſiſſimum eſt. In igne eſt volatile, ſed actione ignis lente procedente, poſt longum tempus in calcem rubram vertitur, & nomen *præcipitati per ſe*, acquirit. Metalla & ſemimetalla plurima, caloris vel triturationis ope ſolvit. Maxime diſſolubile eſt, particulæque diviſæ figuram ſemper ſphæricam aſſumunt. Balſamis, ſulphure, vel corporibus unctuoſis per triturationem uniri poteſt. Agitatione diuturna in pulverem mutatur. In acidis mineralibus ſolubile eſt; facinus tamen in acido nitroſo ſolvitur, & pro ſolutione in acido vitriolico ebullitione opus eſt. Color mercurii currentis ſplendens, vivaciſſimus eſt. Saporem nullum habet mercurius vivus non ſolutus; ubi vero ſolvitur in humani corporis humoribus guſtum præbet ſubdulcem. In ſaliva humana, & fluidis lymphaticis facile ſolvitur, uti in ſubſtantiis gummoſis, unde mercurius gummoſus. Generalis, quæ in corpore humano actio a mercurio gignitur primo in pulſuum elevatione & præternaturali plenitudine verſatur. Poſt quatuor

tuor enim vel quinque frictiones arteriæ ampliores, magisque resistentes deprehenduntur; & quo major quantitas mercurii adhibetur, non solum major fit arteriarum diameter, sed pulsationes inæquales factæ undositatem & frequentiam assumunt. Hæc autem mutatio de critica aliqua futura evacuatione nos admonet, ac præsertim ostendit vel proximam salivationem, vel salutarem urinæ fluxum. Salivatio est primaria mercurii operatio, quæ variis conjungitur initio, variisque in progressu accidentibus copulatur. Primo enim salivæ sapor naturalis admodum dulcis redditur, densiorque antea saliva summam tenuitatem fluiditatemque nanciscitur; hujusmodi qualitates una cum quantitatis incremento observantur. Salivatione ultra modum & per plures dies adaucta saliva fœtidissima quoque redditur; atque gingivæ initio tantum tumidæ ac dolentes, sordidis ulceribus & molestissimis aphthis afficiuntur. Tempore salivationis palatum & fauces excoriantur, & ob glandularum omnium intumescentiam deglutitio difficulter absolvitur, ac respirationis integritas perturbatur. Fœtida saliva, spiritus fœtidus, & ulcera oris ac faucium cum generali perspirationis ac sudoris pessimo odore, nec non cum urinæ sæpius fœtore conjunguntur. Memorati effectus satis manifeste ostendunt essentialem mercurii actionem in corpore humano pendere a certo corruptelæ gradu in humoribus excitato; attenuari enim atque inde evacuari lymphæ tenacissimæ elementa non possunt, nisi antea corruptorii principii vim persentiant, uti inferius

 demo-

demonstrabitur. Peculiari etiam coloris defœdatione vexantur, qui mercurialem salivationem experiuntur, non solum quia generalem humorum corruptionem patiuntur, verum etiam quia hoc tempore digestio ciborum essentialiter pervertitur. Mercurius salivationem gignit, non quia post integram veneni venerei subactionem, cum hac morbosa causa conjunctus per os exitum sibi parat, verum quia peculiarem cum saliva affinitatem habet. Hinc chemica potius attractione ad glandulas salivales fertur, salivæ attenuationem & corruptionem gignit, stimuloque vehementi gingivas ac totum os penetrando salivationem copiosissimam procurat. Quæ in morbo venereo mediante mercurio accidit salivatio, in hominibus quoque perfecte valentibus & mercurio tractatis, constanter deprehenditur. Mercurius etiam extra corpus cum saliva ope triturationis perfecte miscetur, atque extinguitur. Falluntur ideo vulgares practici, qui morbum venereum absque salivatione mercuriali curari non posse existimant. Contraria prorsus doctrina locum habet, quandoquidem salivatio aut præcox, aut valde copiosa, vel diuturna morbum non solum insanatum relinquit, verum aliis incommodis, sæpe gravissimis fundamentum suppeditat. Et sane si salivatio post primas frictiones apparet, de mercurii per totum corpus rapidissimo progressu certi sumus; intacta hinc remanebit morbi causa, quia mercurius cum saliva simplici conjunctus foras egreditur. Hoc probatur frequentissimis exemplis ægrotantium, qui præmatura sali-

va-

vatione correpti, dum perfecte se curatos esse existimant, paucis elapsis mensibus confirmatæ luis accidentibus denuo afficiuntur. Salivatio itaque mercurialis nunquam pro certo absolutæ curationis indicio haberi debet. Rursum si hæc evacuatio mercurii opera procurata per longum tempus sustinetur, non solum molesta & periculosa macie corpus conficitur, verum nova & magni momenti incommoda oriuntur. Febricula primum hecticæ febri simillima vespertinis horis exsurgit; tussis oritur primo sicca, dein humida, neque raro alvi etiam fluxus oritur periculosus. Frequenter itaque post diuturnam salivationem mercurialem ægrotantes phthisici fiunt. Ulcera etiam, quæ hoc tempore pertinaciter fauces occupant, morbis pectoris originem præbent. His positis a salivatione mercuriali, eradicativam morbi venerei curationem nunquam expectare debemus; eo magis quia tuta perfectaque curatio absque salivatione semper obtinetur. Nam si tempore frictionum unguento communi institutarum certæ in usum revocantur regulæ, & præsertim si balnea tepidiuscula administrantur, ad præcavendam salivationem, morbus omnino curatur. Si unguentum mercurio sublimato corrosivo paratur, morbi causa medicamento attenuata, & lympha venerea ad certum corruptionis gradum perducta, lues venerea urinæ sedimentosæ profluvio eradicative curatur. Hæc breviter, arrepta occasione, de salivationis natura, effectu & causis lubenter adnotavimus, ut essentialis circa operationem mercurii doctrina illustraretur. Qua vero ratione perti-

pertinax & noxia salivatio coerceri possit, hoc in loco videndum, ut hujus theoriæ historia, quantum fieri possit, perfecta evadat. Ex dictis eruitur balneorum usum salivationem arcere; hinc in salivæ fluxu immodico eodem præsidio utendum. Lotiones deinde dulcibus medicamentis, uti solutione gummi arabici in aqua rosarum & similibus factæ, admodum utiles esse solent. In genere vero copiosissimus aquæ usus optimum in hoc casu effectum gignit. Sunt qui alvum frequenter purgantibus pharmacis laxare solent, ad avertendam salivationem; verum qui hac ægritudine laborant, sunt valde exstenuati, ideoque numquam sine periculo purgantur; immo diarrhæa sæpe in morbo gallico diuturno suspecta est. Ab opiatis in eodem casu non mediocris certe obtinetur utilitas; imminuto enim generali stimulo, ac retardato circulationis impetu, minor semper erit versus partes superiores humorum affluxus. Pilulæ itaque e cynoglossa aut styrace, ad grana quinque vel sex quotidie exhibitæ proficuæ sunt; immo in universum mercurialia cum opiatis utiliter semper copulantur. Ubi tempore frictionum, vel salivatio exoritur, vel alii effectus deprehenduntur, ab aëre frigido cavere debent ægrotantes; quæ enim in atmosphæra eveniunt mutationes actionem medicamenti penitus evertere possunt. Veteres medici aërem externum frigidiusculum omnino vitandum esse clamabant; ægrotos angustissimo & perfecte clauso conclavi detinebant, puriorisque externi aëris accessum arcere conabantur portis, fenestris, vitrisque

per-

perpetuo firmiterque occulsis. Igne assiduo aër artificialiter incalescebat, indusium ægrotantes unicum ab initio ad finem curationis retinebant, neque unquam lectuli lintea mutabantur. Mephiticum aërem alcalicis, phlogisticisque effluviis saturatum ægri spirabant, & dum medici morbum venereum debellare nitebantur, putridarum magni momenti ægritudinum fundamentum statuebant. Ab aëris vitiosa, & phlogistica indole coloris defædatio, macies lentæque febriculæ, cum maximo ægrotantium detrimento oriebantur. Nostra vero ætate contraria prorsus methodo frictiones mercuriales administrantur; omnia enim, quæ ægro inserviunt purissima ut sint a medicis imperatur; aër frequenter renovatur, balnea sæpe usurpantur, ut copiosa eveniat perspiratio, atque ut mercurius facile intus suscipiatur. Certæ circa numerum frictionum, & circa quantitatem unguenti, quod adhiberi debet, regulæ constitui nequeunt; nam juxta morbi accidentia, tempus, corporis habitum, anni tempestatem, aliaque non pauca vel diuturnius progrediendum vel maturius abstinendum. In genere vero ab una tantum drachma initium facere oportet pro singula frictione, & dosis ad duas usque drachmas quotidie augeri potest. Primo enim parciores doses salivationem, fere semper noxiam, prohibent. Secundo mercurius ob operationis suæ tarditatem, per satis longum tempus intra corpus retinetur, unde venenum venereum integre decomponere, & penitus evacuare potest. Contrarium profecto accidit si affatim intus suscipitur medicamentum; nam

mo-

motu circulationis insigniter accelerato, non solum celerrime versus glandulas fertur, sed statim extra corpus eliminatur mercurius, causa morbi ex parte tantum subacta. Hinc imperfectæ illæ curationes, & tantum temporariæ utilitates, quæ luis venereæ regenerationi nullo modo opponuntur. Nunquam ideo a curatione cessandum, nisi prius accidentia morbosa omnia, mediante sensibili aliqua evacuatione penitus evanuerint; quod enim relinquitur in morbis, recidivas facere consuevit. Plethorici & biliosi homines lentam curationem, & tenues medicamenti doses adhibere debent, nam vehementiori actione, & quacumque nimis valida irritatione summopere perturbantur. Eadem prudentia cum melancholicis, aridis strigosisque incedendum, atque in hujusmodi subjectis, magis quam in aliis humectantia, diluentia, aquosa & demulcentia, immo & opiata etiam cum frictionibus mercurialibus sunt copulanda; ne aut ultra modum incalescant, aut insigniter corrugata & irritata corpora omnino exarescant. Liberalius ac largiori manu administrantur frictiones in phlegmaticis, humidis ac pituitosis, in quibus calor corporis impune augetur, & lenti viscidique humores, a validiori actione mercurii promptius attenuati, facile evacuantur. Varia morbi venerei accidentia, diversum prorsus in administratione mercurii methodum postulant; atque ipsius morbi diversa tempora absolutam in curatione mutationem requirunt. Inter dogmata tamen fundamentalia statuendum primo, quod recens morbus nulla interposita

ma-

mora nulloque palliativo præsidio præmisso, frictionibus tractandus sit, ut eradicative curetur. Gonorrhæa igitur aut benigna sit, aut virulenta, ulcera, bubones, spermatocele a gonorrhæa proveniens, & alia hujusmodi, diluentibus internis & frictionibus tractari debent. Nam parvi quamvis momenti ægritudines venereæ apparenter curatæ, diuturni morbi firmissima fundamenta constituunt. Inter symptomata vero majoris notæ, & quæ morbum jam confirmatum esse significant, sunt ulcera penis aut præputii, quæ non solum in tumorem inguinalem desinunt, sed causam morbi humoribus omnibus & glandulis lymphaticis præsertim, jam communicatam esse declarant. In ulcere venereo & in tumore inguinis, statim ad frictiones confugiendum, ne integra fluidorum, ac progressu temporis solidorum etiam & organorum œconomia pervertatur. Cavendum vero ne mercurio inungantur, aut alio medicamento foveantur partes affectæ; suppuratio enim omni modo, totisque viribus prohibenda est; magis operationes chirurgicæ ferro, magisque caustico remedio institutæ ablegandæ sunt a tumoribus inguinalibus. Suppuratio quantumvis copiosa ac diuturna nunquam corpus a veneno venereo repurgare valet; post longum enim puris fluxum gravissima morbi symptomata, dolores, pustulæ, nodi & similia superveniunt. Si emplastrum causticum crudo atque immaturo tumori applicatur, ut nullum resorptioni causæ morbificæ tempus relinquatur, juxta vulgarium medicorum sententiam,

non

non pertinacissimæ modo suppurationes, & sinuositates oriuntur, non solum sanguinis fluxus immodici, & mortificationes nascuntur, sed tetanus, insanabilis ac lethalis morbus exoritur, uti practicæ observationes quotidie nos admonent. Methodus inungendi mercurium, sive ipsa topica confricationis operatio suas quoque peculiares regulas, & differentias habet. Qui unguento mercuriali communi utuntur initio a plantis pedum facto, tibiis, femoribus, brachiis humerisque in progressu mercurium confricare consueverunt; alia enim ratione remedium per omnia ferri, omnesque partes subire non posse contendunt. Hoc vero minime verum est, nam si pedibus tantum confricatur, salivatio sæpissime excitatur, adeoque de generali remedii actione dubitari non potest. Generaliter tamen mercurio partes omnes simul inungere noxium profecto est; nam a pinguedine excalefacta & a metallico principio in urentem substantiam penitus mutata, varia cutis loca irritantur inflammantur, pustulisque acerrimis eroduntur. Rursum insignis & superflua mercurii quantitas, cito exitum quærens, nondum absoluta veneni venerei subactione sive decompositione, extra corpus fertur, sanorumque etiam humorum particulas secum trahit. Hac methodo inopportunæ damnosæque eveniunt salivationes, quæ morbum venereum palliative curant, dum novas diversi generis ægritudines in corpore excitant. Hunterus meliori consilio unguento internas femorum regiones confricandas monet, quia externa

na horum locorum lymphatica proxime ad organa sexus glandulasque inguinales feruntur. Mercurialia vero linimenta delicatioribus partibus dum insigni, & necessaria semper vehementia confricantur, præternaturalem calorem ac superficialem sæpe inflamationem afferunt. Hæc itaque accidentia omnia avertuntur, neque remedii efficacia ullo modo diminuitur, si tantummodo pedum plantis unguentum applicatur. Ab extremo pede, per suras & femora lymphatica numerosissima ad genitalia progrediuntur & glandulas conglobatas subeunt; ac proinde mercurius recta ad affectas sedes perducitur, nimioque immo noxio carens impetu, lentam actionem cum magna utilitate exercet. Tumores inguinales, ulcera, irritationes gonorrhoicæ, & nunquam irritandæ testiculorum intumescentiæ, quæ spermatocele constituunt, tarda mercurii activitate, evitata irritatione & inflammatione ad resolutionem per gradus feruntur. Ob memoratas igitur potissimas rationes, nostram methodum reliquis anteferendam esse existimamus. Ut curatio rite procedat operatoris manus sacculo ex corio, pinguedine sive axungia communi saturato & emollito tegenda, dein absque linimento per octo aut decem horæ minuta planta utriusque pedis confricanda, usque ad mediocrem incalescentiam. Unguenti dein mercurialis dosis illa, quæ morbosis accidentibus, ægroti temperamento, atque ætati convenientior existimabitur blandiori prius, dein celeriori fortiorique frictione adhibita, sedulo & repetito inungi debet, ut facile ac magnopere attenuata a lym-

lymphaticis suscipiatur. Operatio vero protrahenda usque ad integram linimenti evanescentiam, quæ nunquam a sensibili pedum calore disjungitur. Vespertinis horis frictiones utilius instituuntur, nam relaxato æquabiliterque tempore somni perspirante corpore, majori cum facilitate secretiones mercurii actione promoveri possunt; hac etenim via morbosæ etiam causæ facilior evacuatio procuratur. Urinæ post somnum uberiores magisque concoctæ, veneni venerei particulis copiosius saturantur, & abundantior etiam perspiratio nocturna & matutina curationem accelerat. Tandem mercurii operatio, quæ multis post prandium horis incipit, a ventriculi actione, & digestione ciborum, minime perturbatur. Frictionum numerus eradicativæ curationi necessarius exacte determinari nullo modo potest; pendet enim a natura morbi, atque a promptiori tardiorique medicamenti effectu; nunquam vero celeriter agendum, immo semper cunctando, diligenterque observando sanitati consulendum, præsertim in morbo venereo. Judicatur vero morbus evacuationibus a mercurio procuratis; hinc quo citius criticæ separationes, atque quo copiosius eveniunt, & majorem aut minorem utilitatem afferunt, absolvenda vel longius protrahenda est frictionum administratio. Si urinæ uberrimæ, crassæ, albicantes copiosoque sedimento referræ apparent, nunquam de optimo medicamenti effectu dubitandum. Hæc vero urinarum qualitas non modo curationis tempore deprehendi solet, sed ad plures etiam

etiam menses superest, semperque beneficam mercurii activitatem declarat. Sudores qui aliquando mercurii opera excitantur in lue venerea, etsi sæpe salutares & palliativi, raro tamen eradicativi evadunt; quia cito attenuata & vehementiori medicamenti actione volatilem naturam adepta causa morbifica, ex parte tantum eliminatur, tenaciorque, quæ relinquitur, post certum tempus multiplicata recidivam affert. Hinc mercurius dum per urinæ vias fertur, perfectam semper curationem promittit. Cavendum magnopere ne diarrhæa a mercurialibus excitetur; ob hanc enim evacuationem æger in languorem incidit, humores vix superabilem corruptionem nanciscuntur, atque tunc organa interna, ob generalem corporis imbecillitatem in essentiales morbos incidunt. Non omnes anni tempestates pro frictionibus opportunas esse medici docent; ideoque vere & autumno frictiones instituunt; uti fieri solet in aliorum etiam medicamentorum administratione. Hyemali etenim tempore non solum a perspirationis impedimento plura oriri possunt essentialia damna; verum ob solidorum rigiditatem, ac retardatam simul fluidorum circulationem, magna medicamento obstacula opponuntur. Particulæ siquidem metallicæ ægre suscipiuntur difficulterque angustioribus canalibus communicantur; ideoque curatio imperfecta semper evadit. Æstas contra statum corporis opposi-tum affert; nam ob generalem solidorum relaxationem, nimis facile mercurius per omnia ducitur, nullaque retardatus oppositione sive reactione, im-

 mu-

mutatus foras egreditur. Intensus etiam atmosphæræ calor salutarem attenuationem, nempe necessariam corruptionem a mercurio procuratam, in pessimam scorbuticam resolutionem putredinemque vertit. Bina vitantur extrema, ubi pro frictione mercuriali media anni tempora seliguntur. Ipse vernam tempestatem autumnali anteferendam semper esse existimarem; nam postremum curationis tempus æstate excipitur, atque ideo faciliori perspiratione, ac moderata vasorum relaxatione medicamenti effectus adjuvantur. Autumno contra aër semper frigidior factus minime opportunam totius animalis œconomiæ constrictionem rigiditatemque gignit. Attamen quamvis hæc omnia verissima esse videantur, nos qui frictionibus sublimati corrosivi utimur, curationes quocunque anni tempore, cum æquali semper utilitate instituere solemus; quia a mitissima operatione, & quæ prudentis medici industria, non ultra votum suas exerit vires, nulla a nimio calore nimioque frigore damna sunt pertimescenda. Frictionum mercurialium historiam, indolem & usum peculiariter illustrare conati sumus, quia hoc tantum præsidio multiplices a lue venerea pendentes ægritudines penitus profligantur. Reliquæ præparationes mercuriales, & præsertim illæ, quæ interne usurpantur, raro eradicativæ, sæpe palliativæ, sæpissime vero damnosæ esse solent. Hujusmodi sunt Pilulæ Belloftianæ, Pilulæ Rufferi a Gallis celebratæ, mercurius gummosus D. Plenck, syrupus mercurialis, mercurius præcipitatus, sive cal-

calcinatus per se, solutiones mercurii sublimati corrosivi, sive specificum antivenereum D. Swietenii, Panacea mercurialis, Panacea D. Thompson, Æthiops mineralis, Æthiops alkalisatus, Cinnabaris nativa, mercurius dulcis sive Calomelanus, innumeræque aliæ præparationes a vulgaribus medicis usitatissimæ. De omnibus modo adnotatis mercurialibus nihil addendum, nam internæ præparationes improbandæ semper sunt; magis vero illæ, quæ nudam acutamque metalli actionem valde irritabilibus simulque sanis sedibus communicant, uti mercurius gummosus, sublimatus corrosivus & mercurius alkalisatus: hisce enim præparatis magnæ perturbationes, periculosique morbi in corpore excitantur. Mercurius contra cum sulphure conjunctus in cinnabare & æthiope minerali propria inutilitate distinguitur; quia a sulphure admodum difficulter separatur, ideoque suam activitatem exercere nequit. Frustra igitur remedia cinnabarina prædicantur tanquam summæ activitatis præsidia in capitis nervorumque morbis; omnes etiam medici in apoplexia, epilepsia, paralysi, convulsionibus hystericis, cinnabare nativa vel factitia a granis quatuor usque ad decem utuntur, sæpissimeque etiam cinnabarinis pulverem valerianæ sylvestris adiiciunt. Multiplici diuturnaque praxi edocti ab hujusmodi modo remediis semper abstinemus. Tandem quid de mercurio dulci, nempe de substantia salina mercuriali a medicis, usitatissima sentiendum? non modo enim adultis, sed puerulis etiam passim propinatur: alvum mediocri-

ter ſubducit, & inter remedia anthelmintica principem locum tenet. Nec deſunt qui moderato attamen diuturno hujus remedii uſu, confirmatæ luis venereæ curationem aggrediuntur; immo non quidem ſpernenda præparatio, quæ pulveris alterantis plummeriani nomine in officinis diſtinguitur, mercurio dulci & ceruſſa ſtibii præſertim componitur. In gonorrhæa denique uſurpatur non ſolum interne verum etiam externe, quandoquidem injectiones frequenter aquis vitriolicis & mercurio dulci parantur. Vim anthelminticam aliquando oſtendit, quia mercurialia omnia, magis quæ ſalina ſunt, parva animalia & vermes occidunt. Rurſum mediocris illa irritatio, quæ mercurium ſalinum catharticum reddit, dum alvum purgat, vermes etiam inteſtinales educit. Parcius vero calomelano utendum magis in ætate infantili, quippe non raro longam & periculoſam ſalivationem affert. Doſis eſt a granis quatuor uſque ad quindecim in adultis. Atque hæc de mercurialibus ſatis; ſi enim cum noſtris de ſublimato corroſivo ſuperius expoſitis doctrinis conjunguntur, ſatis accuratam hujus metalli hiſtoriam medicam conſtituere poſſe videntur.

## DE ANTIMONIO.

De Antimonio.

Antimonium vulgo stibium, ultimum inter imperfecta metalla occupat locum; attamen quamvis nobilitate sua & pretio reliquis comparari nequeat, insignes vero possidet qualitates medicamentosas, magnæque admodum utilitatis præparata nobis exhibet. Componitur substantia ponderosa, attamen friabili, partibusque constat tenuibus, acutis, splendentibus, quibus miscetur obscurior plumboque similis materia. Reperitur frequenter in Germania, Hungaria, Gallia & Anglia, & ignis ope ab heterogeneis corporibus sejungitur & in massas conicas redigitur. Optima species illa est, quæ majori pondere & densitate, striisque amplioribus distinguitur, atque vehementi adhibito igne integre evaporatur. Substantia hæc mineralis constat essentialiter metallo sive parte regulina, cum sulphure intime combinata; tunc purissima obtineri potest eadem ratione ac reliqua metalla. Antimonium in aqua regia solubile est; in acidis aliis & alcalinis difficulter & imperfecte. Igne sublimatur in flores. Sulphure conjunctum, vel cum nitro ex parte calcinatum, activitatem suam virulentam magnopere deponit. Calcinatione fortiori, phlogisto in integrum spoliatum, in calcem mutatur inertem ponderis incrementum acquirentem. Veteres antimonium inter ve-

venena collocabant illoque externe tantum utebantur pro collyrio antiphlogistico in morbis oculorum. Præparationes nonnullæ antimoniales etiam a recentioribus lethales esse pronunciantur. Calces denique inertissimis substantiis adnumerantur. Crudi antimonii nullam esse activitatem doctiores chemici merito contendunt, quia principio inflammabili copiosissimo particularum metallicarum actio integre coërcetur. Hinc pro frustranea habetur antimonii crudi additio in Prisanis purgantibus antivenereis; multique etiam inutilem esse pulverem antimonii interne assumptum in morbis cutaneis, asserunt. Verum quæ praxis nobis suppeditavit observata, ostenderunt pulverem antimonii, per certum tempus usurpatum, gravissimas sæpe attulisse ægritudines. Insignis enim internus externusque ab hoc remedio oritur calor, macies supervenit, ulcera sicca igneum ardorem afferentia, integram sæpe corporis superficiem infestant; nec deest incommoda & periculosa febricula. Quomodo hoc evenire possit, non adeo facile erit explicare. Fortasse partes sulphuris antimonii cum oleosis & pinguibus animalibus elementis conjunctæ acerrimam salinam substantiam, caloris etiam accessione constituunt, & hac ratione scorbuticæ gravioris ægritudinis modo descripta species oritur. Summa igitur prudentia opus est etiam in antimonii crudi administratione. Qui morbos a scabiei retropulsione antimonii pulvere curare nituntur imaginariæ ægritudinis curationem, cum genuini novique morbi generatione commutant. Quemadmodum in

cru-

crudo antimonio sulphuris intima cum metallicis elementis combinatio, substantiam hanc fere inactivam reddit, sic contra dissipato sulphure vel integre vel ex parte, quæ supersunt particulæ metallicæ, & quæ regulum antimonii componunt vehementissimum gignunt effectum; purgant enim per superiora & inferiora, sudorem excitant, validissimasque sæpe afferunt convulsiones, cum frigidis sudoribus, animi deliquiis, pulsuque interno conjunctas. Adnotatas proprietates regulus antimonii, cum omnibus perfecte phlogisticis substantiis communes habet. Si abundanti quo scatet inflammabili principio regulus calcinationis ope privatur, suam activitatem suamque virulentiam amittit, uti accidit in stibio diaphoretico, fixo, aliisque hujusmodi. Calx vero antimonii vehementiori igne tractata abit in vitrum, & sub hac forma amissas proprietates denuo resumit. Hac posita antimonii indole, præparationes omnes, quæ ab hoc semimetallo obtinentur suam efficaciam majorem aut minorem, a minori, aut majori sulphuris quantitate accipiunt. Quo enim partes regulinæ majori sulphuris proportione privantur, magis activæ redduntur; ac rursum si regulus calore calcinationis principium inflammabile amittit, suas vires omnino deponit. Sulphur facillime mediante nitro, nempe deflagratione, ab antimonio separatur; atque dum varia adhibetur nitri proportio, diversæ activitatis regulus efformatur. Nonnullas tantum, & quidem usitatiores præparationes indicabimus, reliquæ ex libris mate-

riæ medicinalis erui poterunt. Et primo crocus antimonii medicinalis, crocus antimonii mitior, & crocus metallorum ſunt præparata antimonialia, quæ fiunt ab antimonio crudo & nitro, in crucibulum immiſſis & poſt deflagrationem in pulverem redactis. Crocus antimonii medicinalis fit cum antimonii partibus octo, & nitri parte una; hinc mitiſſime operatur, & exhiberi poteſt uſque ad grana viginti, quia regulus non paucas ſulphuris particulas adhuc continet. Crocus antimonii mitior duabus componitur antimonii partibus & una parte nitri, majoremque habet efficaciam quam deſcripta modo præparatio. Crocus deinde metallorum conſtat antimonii & nitri partibus æqualibus, ac proinde ſulphur omnino abſumitur, regulinæ particulæ tunc nudæ, activitatis ſuæ vehementiam oſtendunt. Quamvis vero tenuiſſimæ admodum doſes, utpote unius vel duorum granorum croci metallorum incredibili vehementia operentur, a prudenti tamen medico hoc antimoniale præſidium in multis graviſſimis caſibus ſummo cum emolumento poſſet adhiberi. In acutis enim morbis a nimia humorum tenacitate, atque ab actionum pigritia pendentibus, medicamenta quæ parva doſi propinata, omnium functionum œconomiam perturbare, retardatos motus excitare, & deficientes evacuationes renovare valent, inter heroica habenda ſunt. Idem de diuturnis quoque morbis, ac præſertim de congeſtionibus lymphaticis & glandularibus dicendum; medicamenta enim alterantia principem locum occupare merentur, ut in-

fe-

ferius apparebit. Sed præparationes antimonii distinguendæ sunt in duas classes, prior includit calces antimoniales vel simplices vel ferro etiam copulatas, uti est ex. gr. Cerussa martialis: altera continet præparationes regulinas, nempe particulis metallicis magis minusque refertas, uti sunt crocus antimonii, tartarum emeticum & similia. Quacumque ratione antimonii & nitri ope insignis conflagratio instituitur, juxta nitri proportionem, magis perfecta aut imperfecta antimonii calx obtinetur. Quo vero major ad antimonium nitri proportio adhibetur, antimonium amisso sulphure in albam vertitur terream substantiam, odoris saporisque omnino expertem. Hujus naturæ sunt præparationes illæ, quæ apud nos nomine stibii fixi vel diaphoretici dignoscuntur, atque ab omnibus simplici calcis antimonii appellatione designantur. Memorata calx metallica paratur ab antimonii parte una & tribus nitri partibus, & dum genuina est dicitur peculiariter antimonium sive stibium diaphoreticum nitratum, vel non lotum. Aqua pro repetitis calcis antimonii lotionibus usurpata, post filtrationem & evaporationem exhibet Nitrum stibiatum, vulgatissimum nempe nostratium medicorum febrifugum, diureticum & diaphoreticum præsidium. Calces antimoniales primo inter heroica medicamenta, & ideo summa prudentia administranda, collocabantur; in desperatis gravissimisque morbis sudores critici a stibio, calidissima metallica substantia expectabantur. Recentiores vero chemicis imbuti doctrinis contrariam sen-

sententiam proposuerunt, ac stibiata terris inertissimis, nulloque effectu distinctis adnumeranda esse contenderunt. Hanc prima facie veritati maxime consonam doctrinam fallacissimam esse suspicatus sum; nam ipsis chemicorum principiis innixus dubitare cæpi de jactata terrarum metallicarum inactivitate. Et sane dum calces metallicas tanquam peculiares terras, quæ ob phlogisti privationem naturam metallicam amittunt habendas esse existimabam, & simplici addito principio inflammabili metalla peculiaria repristinari cum memoratis terris certus essem, calces tamen metallicas in morbis a causa mere phlogistica ortis, principii inflammabilis elementa propria affinitate resumere posse credidi. Hac eveniente mutatione corpus a causæ morbificæ insigni activitate facile liberari poterat. In morbis itaque febrilibus acutis, in quibus summa deprehendebatur humorum spissitudo, congestionesque ob lentescentiam in sedibus organicis aderant; in lethalibus febribus ab aëre palustri, nempe phlogisticato ortis, doses stibii diaphoretici uberiores, utpote viginti ac triginta granorum, singulis diebus cum magno ægrotantium emolumento adhibui. Secretionum defectus, urinarum suppressio, cutis ariditas, caloris absentia, coloris defœdatio, & alia magni momenti accidentia penitus dissipabantur. Calor enim naturalis superveniebat; cutis madefacta sudore copiosissimo calidoque diffluebat, urinæ copiosæ obtinebantur. Criticæ hujus naturæ evacuationes a calce antimonii oriebantur; phlogisti enim morbosi particulæ, quæ periculosissi-

ſiſſimam humoribus tenacitatem conciliant, calci metallicæ ſtatim adhærent, unde morbi graviſſimi cauſa decomponitur, ut ita dicam, ſuamque naturam omnino mutat. Sed ſi mediante hac operatione terra antimonii in corpore animali cum phlogiſto conjungitur, facillimum erit determinare maximam hujus calcis utilitatem in morbis modo adnotatis. Nil igitur mirum ſi calx antimonii imperfecta, quæ procul dubio præſtantiſſimum D. James pulverem febrifugum conſtituit, tantam in deſperatis etiam febrilibus morbis afferre utilitatem ſoleat. Nonnullæ enim in hoc remedio regulinæ partes ſuperſunt, quæ neceſſariam in corpore criticam perturbationem excitant, dum moleculæ calcis proprio muneri incumbunt. Quamvis inter incognitas formulas collocetur, nuperrimi Scriptores ſequenti ratione pulverem D. James componi afferunt.

℞. Antimonii ad vitrum conficiendum calcinati,

Nitri pondera æqualia.

Commixta & in crucibulo indita terantur, ita ut per horam rubeat materia; quæ demum e crucibulo exempta, conteratur, & aqua calida ſæpius lavetur, donec ſaporis expers ſit. Multi ſunt etiam qui pulverem febrifugum D. James pulveri antimoniali Pharm. Londinenſis ſimilem eſſe credunt. In hac compoſitione cum antimonio copulatur raſura cornu cervi, cujus terra poſt calcinationem cum calce antimonii conjuncta ſervatur. Proceſſum pulveris antimonialis adnotavimus in noſtris *formulis medicamentorum*. Calx hæc

hæc antimonii nitrata admodum salutares in morbis febrilibus effectus gignit ; quandoquidem sæpe vomitum, alvum & sudorem movet, sæpiusque copiosissimas urinas educit. In biliosis, rheumaticis, lymphaticisque morbis, in quibus nulla in organo aliquo peculiaris congestio aut inflammatis deprehenditur, magnum affert emolumentum ; & ubi alia, etsi decantata præsidia, incassum adhibita fuerunt, solo hoc remedio felicissimæ obtinentur curationes. Non raro evacuationes non apparent & ægroti in eodem permanent statu; symptomatum tamen vehementia nullo modo augetur. Aliquo dein temporis spatio elapso criticæ evacuationes beneficum morbi judicium afferunt. Dosis a granis duobus vel tribus in infantibus, usque ad scrupulum unum, omni sexhorio propinatur usque ad manifestam operationem. Frigidæ potiones penitus vitandæ, neque æger frigido aëri exponendus, ne corporis primo relaxatio, dein perspirationis evacuatio prohibeatur ; nam ut crises eveniant, oportet ut omnia laxa & perfecte pervia sint. Criticæ evacuationes, quæ per diaphoresim aut urinæ fluxum perficiuntur, cæteris paribus, alvi fluxibus & anacatharsi præferendæ sunt ; hac enim ratione de majori materiæ morbificæ attenuatione certi sumus. Juscula ideo tenuissima cum pulvere febrifugo abundanter propinantur, neque ullis aliis præsidiis a sua operatione natura perturbatur. Non raro post secundam aut tertiam medicamenti dosim, & post profusum sudorem alvinæ evacuationes necessariæ sunt ; tunc commode repetitis dosibus olei seminum

num Ricini alvus repurgatur. Hæc ab observationibus practicis immediate deprompta de pulvere D. James adnotare potui. Reliqua remedia quæ calcem antimonii perfectam pro basi habent, & peculiariter in pharmacopœis reperiuntur libenter prætermittam, alterantem enim semper, attenuantem & deobstruentem facultatem possident, & a granis quatuor vel quinque usque ad decem vel duodecim administrari possunt. Kermes mineralis est sulphuris aurati antimonii species, quæ componitur antimonio crudo & sale aliquo alcalino fixo, sive lixivio alcalino. Post longam coctionem & filtrationem, dum refrigeratur liquor, Kermes mineralis forma pulveris obscure-rubri fundum petit. In hac compositione, quæ etiam *pulveris carthusianorum* nomine dignoscitur, non solum sulphureæ, sed regulinæ etiam particulæ reperiuntur. Hinc non raro vomitus hoc remedio gignitur. Sed si sulphuri tantum fidendum esset, frustranea Kermes administratio evaderet. Ob hanc igitur qualitatem repetitæ paucorum, utpote duorum vel trium granorum doses utillimæ sunt in morbis lymphaticis lentis, congestionibus pituitosis, ac præsertim in catharro diuturno, asthmate, & hydro-thorace. Acuti pectoris & suppuratorii simul morbi, uti pleuritides ac peripneumoniæ hoc remedio ad grana decem vel quindecim quotidie utiliter tractantur; nam Kermes aliquando sudorem, sæpe urinam, sæpiusque etiam expectorationem promovet. Qui magna a largioribus dosibus damna reformidant, dubitabunt semper dum materiæ medicæ fundamenta ignorant.

Pri-

De tartaro emetico.

Primaria atque omnium utillima pro praxi medica antimonii præparatio appellatur proprie tartarum emeticum vel ſtibiatum, quia facultatem inſigniter emeticam habet. Varia ratione paratur, nempe cum croco antimonii loto & cryſtallis tartari, vel cum cremore tartari & vitro antimonii, vel cum pulvere Algarotti, juxta methodum a Cl. Bergman indicatam. In omnibus vero præparationibus partes regulinæ a ſalinis ſubſtantiis ſolutæ mitiores redduntur, & vehementiſſima nudi reguli actione ſpoliantur. Quo vero elementa metallica puriora pro compoſitione tartari reperirentur, laudatus Bergman loco croci antimonii, vel vitri, pulverem Algarotti, ſive mercurium vitæ adhibuit; hic enim pulvis obtinetur ſolutione butyri antimonii in aqua pura, atque poſt repetitam lotionem cum tartaro conjungitur. Summa principii metallici puritas differentiam facit. Tartaro emetico vomitus procuratur; ſudor gignitur, & alvus ſolvitur; hinc merito in acutorum principiis, cum maximo ægrotantium emolumento propinatur. Dum enim materia turget, natura ipſa monſtrante viam, tartari granum unum aut alterum purgat per ſuperiora & inferiora, ſæpiſſimeque ſudorem affert. Non unico tamen hauſtu tartarum aſſumere neceſſe eſt, ſiquidem doſes ſolutionis per intervalla exhibentur, uſque quo manifeſta medicamenti operatio animadvertitur. Vomitu namque superveniente diluentia tantum affatim ingurgitanda, uti aqua tepida, juſcula tenuia, & decoctiones chamæmeli theiformes. Si operatio diuturnior ac juxto vehemen-

mentior erit, juſculis pinguioribus, atque opiatis moderanda. In acutorum principio ſi lingua tartaro craſſo tegitur, ſi nauſea adeſt, ac vires ob viſcerum vitioſam repletionem languent, repetito ad tartarum emeticum deveniendum eſt, etiam contra vulgarium medicorum ſententiam, qui aſſiduis vociferationibus de tartari venenata qualitate, & de graviſſimis ægrotantium damnis loquuntur. Etenim revera unico hoc remedio opportuno tempore adminiſtrato, morborum graviſſimorum initiis opponi poteſt medicorum induſtria; frequenterque periculoſa accidentia, quæ ſupervenire ſolent omnino prohibentur. In chronicis quoque febrilibus morbis, qui plerumque a lymphæ præternaturali tenacitate, & a ſecretionum impedimento oriuntur, ipſe tenuiſſimas tartari emetici doſes quotidie adhibui, & nunquam eradicativa curatione ægri fruſtrabantur. Eadem methodo debellare conſtanter ſoleo pertinaces nervorum morbos, & præſertim paralyſim artuum, emiplegias, & epilepſias; dato enim quotidie tartari emetici grano dimidio, una cum infuſo aliquo diaphoretico, curationes abſolvuntur ſpatio duorum menſium. Hæc de antimonio dixiſſe ſatis, reliqua ex libris hauriri poterunt.

*De Ferro.*

Inter metallica, quæ a medicis pro morborum curatione uſurpantur non infimum certe locum tenet ferrum, ſive mars chemicorum vel chalybs, unde medicamenta, quæ ab hoc metallo parantur vulgo chalybeata aut martialia nuncupantur. Qualitates chemicas ferri longum ſane eſſet enumerare in præſenti temporis anguſtia; hinc ſatis

tis erit animadvertere ejus colorem ex nigro-purpureum & quandoque violaceum esse, præsertim dum igne tractatur. In statu vero calciformi, & postquam aëris atmosphærici actionem sustinuit, in rufum & proprie ferrugineum colorem, nempe in veram æruginem sive rubiginem mutatur. Ubicumque ferrum rubigine inducitur, uti accidit si humido ac magis si maritimo aëri exponitur, particulæ metallicæ propria natura relicta, nempe phlogisto spoliatæ in calcem rufam, sive mineram ferri calciformem vertuntur. Hæc autem mutatio, quæ pro vera ferri decompositione haberi debet, magni facienda ac peculiariter a medicis intelligenda est; nam ferri proprietates medicinales ab hac proprietate tantummodo pendent, uti mox elucescet. Medicamenta roborantia nempe tonica, emmenagoga in chloroticis mulieribus & in cachecticis valde laudata, sæpissime vel purum ferrum, vel præparata ex hoc metallo pro basi habent. A sapore styptico particularum hujus metalli, ab incremento virium ventriculi, atque a generali robore, quo mediante, ferro partes antea debiles firmantur, præcipuas vires practici deduxerunt. Ideo varia usurpare consueverunt martialia, inter quæ vulgatissima sunt limatura ferri vel chalybis, dulcedo martis, syrupus chalybeatus, tinctura martis in spiritu salis, sal martis, vinum chalybeatum, & innumeræ aliæ ex eodem metallo factæ compositiones. In stomachi debilitate, ventris fluxu diuturno, lyenteria, chlorosi, mensium defectu, confirmata cachexia, morbisque

bisque omnibus a solidorum debilitate & lymphæ tenacioris congestionibus & aliis hujusmodi, chalybeatis quotidie utimur, quia amissus solidorum tonus hisce præsidiis denuo restituitur. Sed memoratæ ægritudines, quæ semper cum secretionum retardato munere, ac vitalis principii inertia, ac proinde cum generali frigoris sensatione conjunguntur, pro morbis phlogisticis haberi debent. Metallica & medicamenta a perfectis metallis deprompta nullam utilitatem, immo potius detrimentum afferre possunt, quia metalla perfecta principium inflammabile copiosissimum & insigniter noxium corpori communicant. Verum ferri præparata, quamvis metallicam penitus naturam habere existimentur, ab inferioris ordinis medicis, sunt tamen substantiæ calciformes, quæ vel aëris actione, vel acidorum activitate proprium amiserunt phlogiston. Rubigo etenim ferri utillimum reddit in adnotatis morbis vinum chalybeatum rubiginosis ferri frustulis, & ferro, vini, nempe acidi vegetabilis actione decomposito, paratum. Syrupus martialis oritur a solutione ferri in acido vegetabili, sacchare deinde sive syrupo communi edulcorata. Idem dicendum de omnibus fere medicamentis cum ferro compositis. Calces itaque ferri, quæ magna ex parte principio inflammabili privantur, dephlogisticantes esse procul dubio debent; ideoque in morbis a nimia tenacitate, nempe a phlogisti redundantia ortis summam utilitatem afferunt. Ferri rursum activitas sæpe insignis redditur ubi metallum a tenuissimo acido dissolvitur, uti ac-

cidit in aquis noſtris chalybeatis acidulis, in quibus ferrum ab acido aëreo ſolutum exiſtit; ideoque ob tenuitatem & dephlogiſticationem ſuam, majorem ſemper activitatem habet. Attrahunt igitur particulæ calciformes ferri tenaciſſima humorum elementa, & fluidis lymphaticis naturalem tenacitatem reſtituunt. Redit poſt chalybeatorum uſum digeſtionis vigor, muſculi roborantur, ſecretiones fluunt liberæ, defœdatus faciei color in naturalem floridumque tranſit. Atque hac ratione martialium operatio in corpore humano facile intelligitur. Præparationes quoad titulum diverſæ, magnam tamen inter ſe analogiam habent; quæ fluidæ ſunt, cæteris paribus, anteferendæ, quia particulæ medicamentoſæ facilius penetrare, faciliuſque humoribus miſceri, ſolidiſque aptari poſſunt. Vinum chalybeatum cum incredibili emolumento ad uncias quinque vel ſex, ante prandium exhibere ſolemus in cachexia, & menſtruorum defectu. Eodem cum ſucceſſu adminiſtratur quotidie ſyrupus chalybeatus ad unciam unam, in decocto graminis officinalis. Remedia hæc rectius uſurpantur vere vel autumno, quam hyeme aut æſtate, quia hiſce tempeſtatibus corpora humana laxiora, magiſque pervia ſunt. Cum moderata exercitatione martialia conjungenda ſunt, quia hujus naturæ medicamenta, quæ debili plerumque ſtomacho committuntur difficulter digeruntur. Omnia denique ferri præparata a parva doſi incipienda, utpote a quinque vel ſex granis, atque ad ſcrupulum unum augenda. Exci-

pi

pi tantum debet mars ſolubilis, ſive tartarum ſolubile martiale. Hoc remedium inter omnia calybeata utiliſimum, ſequenti ratione paratur:

℞. Limatur. ferr. &

Cryſtall. tartar. ſingulorum part. æqual.

Aqu. pluv. qu. ſu. ut redig. in maſſ. calore arenæ exſiccand. f. dein pulv. humect. & denuo exſiccetur. Hoc per plures vices facto, materia redigatur in pulverem impalpabilem.

In hac præparatione cryſtalla tartari ferrum in humoribus corporis humani ſolubilem reddunt; hinc majorem ſemper ac reliqua martialia utilitatem affert. Doſis eſt a granis quinque uſque ad drachmam unam.

De plumbo, ſtanno, zinco & biſmutho in calce materiæ medicæ mineralis diſputare fruſtraneum profecto eſt; externas plumbi qualitates alio in loco recenſuimus; vires ſtanni anthelminticæ incertæ ſunt; atque florum zinci facultatem antiepilepticam imaginariam eſſe experimenta practicorum oſtenderunt. Heroica remedia indicavimus, actionem veram a componentibus, ab analogia, ab effectu inveſtigare conati ſumus, magnam molem oculis veſtris ſubjecimus, nunc veſtrum erit utiliora ſeligere, adhibere, experiri, & philoſophica temeritate imperitorum turbam funditus evertere.

F I N I S.

# INDEX

## RERUM.

*Substantiæ salinæ* . . . . . . . . . . . . . . pag. 3
*Salium characteres generales* . . . . . . . . . . . . 5
*Sales acidi & alcalini* . . . . . . . . . . . . . . 7
*Acidum vitriolicum* . . . . . . . . . . . . . . . 9
*Acidum vitriolicum phlogisticatum* . . . . . . . 10
*Acidi vitriolici usus* . . . . . . . . . . . . . . 12
*Inflammationis causa* . . . . . . . . . . . . . . 16
*Ratio administrandi acidum vitrioli* . . . . . . . 18
*Acidum nitrosum* . . . . . . . . . . . . . . . . 21
*Usus Acidi Nitrosi* . . . . . . . . . . . . . . . 22
*Acidum muriaticum* . . . . . . . . . . . . . . . 25
*Usus acidi muriatici* . . . . . . . . . . . . . . ivi
*Aër muriaticus* . . . . . . . . . . . . . . . . . 27
*Novæ acidorum species* . . . . . . . . . . . . . ivi
*Acidum arsenicale* . . . . . . . . . . . . . . . 28
*Acidum aëreum* . . . . . . . . . . . . . . . . . 29
*Acidum succini* . . . . . . . . . . . . . . . . . 33
*Sales alcalini* . . . . . . . . . . . . . . . . . 35
*Alcalinorum usus* . . . . . . . . . . . . . . . . 37
*Aqua calcis* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 42
*De Salibus Neutri* . . . . . . . . . . . . . . . 50
*Salium neutrorum usus* . . . . . . . . . . . . . 54
*Nitri usus* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 56
*Nitri stibiati usus* . . . . . . . . . . . . . . . 59
*Sal marinus* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 60
*Salis marini usus* . . . . . . . . . . . . . . . . 61

*De*

*De sale ammoniaco* . . . . . . . . . . . . . . . . 62
*Spiritus Mindereri* . . . . . . . . . . . . . . . . 64
*Sales metallici* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 66
*Vitriolum cæruleum* . . . . . . . . . . . . . . . 67
*Vitriolum album* . . . . . . . . . . . . . . . . . ivi
*Usus vitriolorum* . . . . . . . . . . . . . . . . . ivi
*Lapis infernalis* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 70
*Mercurius sublimatus corrosivus* . . . . . . . . ivi
*Saccharum saturni* . . . . . . . . . . . . . . . . 78
*Sales terrei* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 79
*De alumine* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ivi
*Inflammabilia* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 83
*Inflammabilium usus* . . . . . . . . . . . . . . . 87
*De sulphure* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 89
*De aëre sulphureo* . . . . . . . . . . . . . . . . 93
*De spiritibus ardentibus* . . . . . . . . . . . . . 94
*De æthere* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 98
*De metallicis* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 100
*De hydrargyro* . . . . . . . . . . . . . . . . . . 102
*De Antimonio* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 117
*De tartaro emetico* . . . . . . . . . . . . . . . . 126
*De Ferro* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 127

# *AVIS AU PUBLIC.*

LE Docteur Cirillo Professeur de Medicine dans l' Université de Naples vient de publier les trois premiers Cahiers d' un Ouvrage d' Histoire Naturelle, qui a pour titre : *Entomologiæ Neapolitanæ specimen primum &c.* in fol. grand papier. L' Ouvrage regarde les insectes rares du Royaume de Naples, qui ont eté decrits & non gravés par les Auteurs, ou les especes inconnues jusqu' a present. Ces trois Cahiers consistent chacun de quatres planches de differentes insectes dessinés & colorés d' aprés nature par l' Auteur lui meme, & enluminées avec le plus grand soin. Tout l' Ouvrage, frontispice, preface, descriptions &c. est gravé avec beaucoup d' attention. Le prix de chaque Cahier est de six ducats, monnoie de Naples, & sera toujours le meme pour la suite de l' Ouvrage.

*ducats* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 6

Le quatrieme Cahier sera publié vers la fin de l' anneé 1792.

# *OPERE*

## *DEL DOTT. DOMENICO CIRILLO.*

| | | duc. | gr. |
|---|---|---|---|
| I. | *Osservazioni pratiche intorno alla Lue Venerea in 8.* . . . . . . . . . . . . . | 1 | |
| II. | *Nosologiæ Method. rudimenta in 8.* . . . . | | 60 |
| III. | *De essentialibus nonnullarum Plantarum characteribus in 8.* . . . . . . . . | 1 | |
| IV. | *Riflessioni intorno all' acque adoperate per la Concia de' Cuoi; seconda edizione in 8.* . . . . . . . . . . . . . . . . | | 20 |
| V. | *Fundamenta Botanica, sive Philosophiæ Botanicæ explicatio, in 8. Vol. 2. Pars secunda complectitur materiam Medicam Regni Vegetabilis.* . . | 2 | |
| VI. | *Oratio pro Studiorum Instauratione, in 4.* . . . . | | 10 |
| VII. | *Plantarum rariorum Regni Neapolitani Fasciculus primus, & secundus, in fol. cum Tab. 12.* . . . . . . . . | 4 | |
| | *Idem cum figuris ad naturam coloratis.* | 12 | |
| | *Fasciculus tertius sub prælo.* | | |
| VIII. | *Entomologiæ Neapolitanæ specimen primum, fol. maj. cum Tab. 12. ad viv. colorat. & explicationibus ære incisis* . . . . . . . . . . . . . . | 18 | |
| IX. | *Discorsi Accademici, in 12. Napoli 1789.* . . . . . . . . . . . . . . . . . | | 60 |
| X. | *Tabulæ Botanicæ Elementares quatuor primæ, in 4.* . . . . . . . . . . . . . . | 1. | 20 |

Reliquæ diverso tempore lucem videbunt.

PROPEDIEM EVULGARI DEBENT.

| | | duc. | gr. |
|---|---|---|---|
| XI. | *Cyperus Papyrus. Monographia fol. maj. cum tabulis duobus, typis Bodonianis* . . . . . . . . . . . . . . | | |
| XII. | *Formulæ Medicamentorum usitatiores &c. in 8.* . . . . . . . . . . . . . . . . | 1. | 20 |
| XIII. | *Materia Medica Regni Mineralis in 8. 1792. Jam evulgata est* . . . . . . . . | | 50 |